Hist. 1614 (4

Matthæi Dresseri
PARS SECVNDA MILLENARII SEXTI,

ISAGOGES
VERO HISTORICAE
pars quarta:

COMPLECTENS FAMILIAS IMPERIJ, Electores, archiepiscopos, episcopos, duces, comites, barones, dynastas.

Additæ sunt orationes tres de tribus ducibus Electoribus Saxoniæ, Mauricio, Augusto, & Christiano.

Seriem iuxta numerum paginarum monstrabit pagina proxima à dedicatoria epistola.



1601.

LIPSIAE,
Sumtibus IACOBI APELI.
Cum priuilegio.

ILLVSTRISSIMO, GENEROSISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, Domino MAVRICIO, Hassiæ Landgrauio, Cattimelibocorum, Diciorum, Zigenhaini, Niddæ Comiti, domino S. clementissimo.

CELEBRE EST IN MOnumentis rerum veterum, Maurici, princeps illustrissime, Cattorum cum Hermunduris, de salis fontibus certamen. Quod cum à Cornelio Tacito mandatum sit literis, peruetustum esse apparet. Vixit enim ille fermè centesimo à nato seruatore anno. Etsi autem salis fontes non exprimit Tacitus, quales, aut vbi fuerint; res tamen ostendit, alios non fuisse, quàm eos, qui Misniæ sunt vicini, ad Salam, vbi nunc vrbs est, quã Halam Saxonicam vocant. Sic enim & Philippus Melanchthon, & cum eo Georgius Agricola, & alij interpretantur. Sala autem flumen Straboni quidem ignotum non fuit: sed Hala ipsa, quæ nunc amplitudine & splendore cum præcipuis Germaniæ vrbibus contendit, pagus olim fuit. Catti verò ijdem fuerunt, qui nunc Hessi appellantur, commutatione literarum non magna interueniente, T duntaxat in S & C vel Ch in

aſpirationem H tranſeunte Heſſorum porrò ſiue Hettorum, vt vetus ita perdulcis eſt appellatio, qua pater ſignificatur. Hatto enim ſeu Hetto idem eſt qui pater. Quam equidem etymologiam ſi ſequimur, Hattia ſeu Haſsia nihil aliud erit quàm patria, & Heſsi ſeu Catti patres. Hi partem Duringiæ & Hercyniæ ſyluæ olim tenuerunt. Hermunduri autem ſine vlla controuerſia propè triangulum totum Miſniæ, & cum eo etiam Salinas incoluerunt. Ex quo Hala Hermundurorum appellari cœpit, quæ poſtea tamen Saxoniæ accreuit, & in Slauorum poteſtate fuit, vſq; ad Caroli Magni ætatem, qui eam comitatui VVetinenſi, & Merſpurgenſi, ad quem etiam Gebichenſteinum pertinebat, tribuit. Sed mortuo Ridaco comite Mersburgenſi, & Marchione Miſnenſi, qui vnus de maioribus Saxoniæ principum fuit, archiepiſcopatui Magdepurgenſi ab Othone Magno imperatore donata eſt.

Cauſa certaminis de Salinis inter Cattos & Hermunduros alia non fuit, quàm fructus copia, quæ ex ſalis fontibus percipitur. Ea igitur impulſi Heſsi Hermunduros oppugnarunt, tanquam de ſumma rei cum illis decertaturi. Ac potentia quidem Heſsi ſuperiores fuerunt: nihilominus tamen Hermunduri ſalinas ſuas fortiter dimican-

do

do defenderunt. Legimus etiam contentionem inter Isaacum patriarcham & Palæstinos fuisse non quidem de terminis, sed de puteis aquarum, quos Abrahamus & Isaacus foderant quidem, sed fossos in suo solo Palæstini sibi vendicabant. Vtrobiq; certamen fuit de fontibus, inter Cattos quidem & Hermunduros sale, inter patriarchas verò & Palæstinos aqua pura fluentibus. Estq; tam salis, quàm fontanæ aquæ copia thesauri magni loco habenda. Nam vt de naturali vsu vtriusq; nihil dicam, an non arcana quædam tam salis, quàm fontis est significatio? Absq; sale equidem nihil offerendum esse Deo Leuit. 2 præcipitur. Et S. Paulus sermonem eum maximè probat, qui verbo Dei quasi quodam sale persperſus est, Colos. 3. Quin pro ipsa etiam comitate locis, temporibus, personis accommodata vox salis vsurpata reperitur. Vnde salis sapientiæ appellatio nata est: & sales salseq; dicta, item verborum sales à Tullio in laude ponuntur. Præceptum verò in Leuitico, quod commemorauimus, mouet nos, vt doctrinam etiam puram & integram sale significari credamus. Ex quibus & alijs multis non solum significata, sed etiam commoda salis æstimari possunt. Exempla passim in scriptoribus latinis & græcis occurrunt.

Fontis verò nomen dulce est in primis, & res ipsa valde salutaris. Nam & optima res est aqua secundum Pindarum: & à fonte riuorum deductio fit per prata, per hortos, per vrbes, & pagos, & succum inde hauriunt homines pecudesq;, ac res terra nascentes. Quamobrem & scriptura cœlestis flumina aquæ viuæ nobis commendat: & Homerus in horto Alcinoi duos fontes fuisse memorat, ex quibus in vniuersum hortum aquæ manarint, omniaq; tanquam rore quodam vitali rigarint. Non igitur mirum nobis videri debet, illustrissime princeps, maiores nostros Hessos & Hermunduros tanta contentione olim de salis fontibus dimicasse. Ostendit equidem, vt mihi videtur, vtraq; gens suum studium & ardorem quendam amoris erga illud bonum, quod & per se magnum est, & futuri boni multò maioris indicium extitit. Non enim dubito salis istos fontes iam tum significasse, quamuis ex longo temporum interuallo secuturam sapientiæ & doctrinæ copiam in his Misnensium & Hessorum regionibus. Tametsi enim alia sunt decora, quibus vtraque gens affluit, tamen ornamentum præcipuum est doctrinæ literarum cultus, à quo tanquam à lumine regiones totæ splendorem acceperunt. Quid enim fuit Misnia? quid

quid Hſasia? antequam cum Muſis commercium habere cœperunt. An non quod optimum fuit, & amorem & belli ardor ac fragor fuit. Huic ſeſe dediderunt, quicunq; celebritatem nominis conſequi ſtuduerunt, aut mereri de patria conati ſunt.

Serò tandem literarum lumen in his terris accenſum eſt, & quos tot ſeculis aſpicere horruerunt Muſæ, in eorum familiaritatem ad extremum ſeſe inſinuarunt & tanquam immerſerunt. Fato id factum eſſe non nego: quanquam conſilium Dei, vel cauſam, quare tamdiu hoc bonũ nobis non dico inuiderit, ſed denegarit Deus, ignorare me fateor: Sed maturius tamen aliquanto illud Miſnicæ nationi conceſsit, quàm Heſsis largitus eſt. Lipſiæ enim an. C. 1409. Muſæ ſedem humanitatis, ſapientiæ, & gloriæ ſuæ collocarunt. Secundo verò ſupra milleſimum quingenteſimum anno, Vvitenbergam tanquam in domicilium ſeu domum tot ſeculis ſibi reſeruatam immigrarunt.

Incenſus hoc tam illuſtri Muſarum cum Miſnicis hominibus commercio auus tuus Philippus Cattorum princeps, magnitudine rerum geſtarum in primis clarus, non quidem de ſalis terreni, quemadmodum maiores feceraut, ſed de ſapientiæ & literarum fontibus, ſibi cum Miſnenſibus contendendum eſſe putauit. Ad eamq; rem non

armis, sed studio & impetu animi laudatissimo vsus est. Etsi enim bellica laude suæ ætatis homines facilè superauit: tamen ea non contentus, vitam sibi acerbam esse existimauit, nisi antiquæ Cattorum suorum celebritati hanc præclaram accessionem adiunxisset, & Musas humeris suis in Hassiam importasset. Itaq; anno à nato seruatore supra millesimum quingentesimum vicesimo septimo, fundamenta Academiæ, quæ est Marpurgi, iecit, & cum Musis, hoc est, doctrina liberali ratione eiusmodi habere cœpit, vt non solum in sinu suo eam foueret, sed largè liberaliterq; in totam prouinciam infunderet, & vicinis etiam de ea impertiret. Tanta autem erat in eo principe excelsitas animi, vt quod alij non sine summo periculo se facere posse arbitrarentur, id ille duce Deo, comiteq; industria & virtute susceperit, transegerit, confecerit. Eadem igitur animi magnitudine etiam Academiæ constitutionem aggressus in maxima temporum difficultate eam perfecit.

Excepit hunc paternum amoris in Musas ardorem Guilelmus pater tuus omni laude cumulatus princeps, qui iam ab adolescentia dedit documenta maxima, quantum & prudentia militari efficere posset, si vti ea vellet, & quanti scientiam literarum facere-

ret.

ret. Quos enim labores corporis, quas contentiones animi pro patre diutius, & quidem durius quàm libertas Germaniæ ferebat, in custodia habito, non sustinuit? Omnia tamen prius tentare, quàm ad arma venire voluit. Quamobrem principes, quorum fidem pater secutus erat, adijt, officij admonuit, precibus solicitauit, nihilq́; quod ad eam rem pertinere videretur, prætermisit. Sed cum obtinere quod æquum esset, nihil posset: preces in arma vertit, & cum Mauricio Saxone suo affine, fratreq́; Ludouico coniunctus vi patrem è manibus pontificiorum extorsit, libertatemq́; patriæ defendit. Qua quidem victoria sic vsus est, vt patre recuperato contentus, persequi eam noluerit, sed vna cum Mauricio Saxone operam duntaxat dederit, vt libertas restitueretur, & pax religioni concederetur. Sedatis fluctibus & tempestate iam commutata, omne studium suum in doctrina & sapientia collocauit, tantosq́; progressus in ijs fecit, vt imperij lumen iure omni habitus sit. Quoad enim in vita remansit, Hassia totius imperij oraculum fuit, & quicquid magnæ arduæq́; cogitationis indiguit, id à Guilelmo Landgrauio petitum est. Ingenij autem & artis reconditæ tantum in hoc principe fuit, vt cum artificibus ipsis certarit,

rit, & mathematicorum inuenta penè omnia superarit.

At quanquam hæc magna fuerunt in Guilelmo principe: vix tamen maius quicquam est, quàm quod te filium hæredem non tam principatus, quàm omnis virtutis, sapientiæ, & eruditionis post se reliquit. Is enim tu es, qui ingenij acumine, eruditionis splendore, sapientiæ magnitudine, possessionem paternæ laudis merito ac iure occupasti. Quod tamen de te in præsentia scribo, parcè & timidè, quod & pudor tuus generosus laudes meas respuit, & ego timiditate quadam summissa ab ijs persequendis refugio. Id tamen dissimulare neq; possum neq; debeo, illustrissimarum virtutum atq; ornamentorum tuorum prædicatione admirabili ita me incensum esse, vt omnia summa de illis mihi pollicear. Ac vt Ptolemæi Philadelphi Aegyptiorum regis fama sapientiæ, eruditionis, ac liberalitatis vndiq; ad se allexit viros doctos: sic virtutis atq; doctrinæ tuæ celebritas me inuitauit, vt inscribendam illustrissimo tuo nomini duxerim hanc Isagoges meæ historicæ partem quartam, quæ familiarum imperij, principum scilicet, ecclesiasticorum, & politicorum, comitum, & dynastarum commemorationem complectitur. Vtinam verò

satis

ſatis ex ſententia euentus inſcriptionis & compellationis huius procedat. Sat quidem benè cecidiſſe hoc conſilium meum arbitrabor, ſi Deo, & tibi literatiſsimo principi meum laborem placere cognouero.

Ac ne aſſentatiuncula quadam videar vel tuam, vel aliorum quorumcunq; gratiam aucupari velle: profiteor ingenuè, me neq; in religionis, neq; in ciuilium rerum narratione quicquam metu offenſionis, aut comparandæ beneuolentiæ cauſſa vel reticuiſſe, vel diſsimulaſſe: ſed operam potius dediſſe ſedulò, vt tam in religionis profeſsione, quàm rerum memorabilium deſcriptione verax & conſtans reperiar. Vt enim in philoſophia duos mihi propoſui duces, Ciceronem, & Melanchthonem, in dicendi verò facultate Demoſthenem & Ciceronem: ſic in theologia Athanaſium, Nazianzenum, Baſilium, & Lutherum inde vſq; ab adoleſcentia mea ſequi conatus ſum. Horum vnuſquiſq; in ſuo genere aliquid peculiare habet, quod erudire me potuit. Demoſthenis quidem & Ciceronis oratio polita, ſenſus ac motus habens, non ſolùm ſapientiæ, & eloquentiæ neruos monſtrauit, ſed ad rectè etiam ſentiendum, & ad dicendum tuendumq́; conſtanter ea, quæ recta ſunt, me inflammauit. Lutheri verò animi magnitu-

do ni-

do nihil extimescens omniaq; humana despiciens ad grauitatem constantiamq; inuitauit. Eandem spem fructus etiam lectio Nazianzeni & Athanasij præbuit. Basilij verò & Melanchthonis doctrina naturæ, vel Dei potius quadam bonitate ad moderationem omni ex parte inflexa, ad facilitatem, & æquabilitatem, orationis ad scholarum vsus maximè accommodatam allexit. His ducibus hoc quicquid est, quod certè perexiguum est, consecutum me esse præ me fero, vt quæ recta, veraq; esse inuenio, sine dissimulatione proferre studeam. Ac cum ijdem autores sapientiæ & eloquentiæ etiam celsitatem tuam illustrissimam ad hanc rectè sentiendi ac scribendi facultatem tantam traduxerint: minus vereor, ne libertate, qua vti secundum leges historicas me oportuit, offendaris. Quid enim excellentius, quid admirabilius est in ingenuo principe, quàm veritatis ingenuæ amor & comprobatio? Hæc Augustum Saxonem, ne longius abeam, nostra memoria, ad gloriam sempiternam extulit: hæc Guilelmum Landgrauium, patrem tuum consecrauit. Sed quo delabor? Longius certè, quàm apud literatissimam tuam celsitatem decet, ex cuius pectore, tanquam ex fonte augusto, omnis doctrina liberalis, & principe summo loco,

& ad

& ad res summas nato digna manat.

Quamobrem ad hanc ipsam generosissimam & literatissimam celsitatem tuam cõfugio, & benignè clementerq; hanc operam humilem quidem illam ac demissam, tum contractiorem etiam quàm rerum magnitudo postulat, accipi vehementer etiam atq; etiã peto. Contractiorem autem & astrictiorem me suscepta Isagoges ratio esse coëgit quæ dilatandi licentiam omnem adimit, & in viam duntaxat historiarum studiosos deducit. Lipsiæ Cal. Iulij, anno Christi M. D. XCVII.

Matthæus Dresserus
vtriusq; Linguæ &
hist. Professor.

Series

SERIES RERVM SEV FAMILIARVM IN HAC SECVNDA PARTE MILlenarij sexti.

Boiemia 2
Moguntinus archiepiscopatus 57
Coloniensis 69
Treuirensis 85
Metensis episcopatus 95
Virdunensis 95
Dolanus ibid.
Magdepurgensis archiepiscopatus 96
Salispurgensis 126
Bremensis, & Hamburg. 128
Rigensis 130
Episcopatus Ratisponensis 137
Bambergensis 139
Misnensis 145
Argentinensis 161
Spirensis 171
Vuormaciensis 175
Vuurcepurgicus 179
Augustanus 186
Constantiensis 191
Curiensis 194
Eichstetensis 195
Halberstadensis 200
Hildesheimensis 207
Padebornensis 220
Verdensis 224
Osnabrugensis 227
Mindensis 230
Traiectensis 232
Leodiensis 235
Merseburgensis 236
Cicensis & Numpurgensis 254
Brandepurgensis 266
Lebusiensis 267
Raceburgensis 268
Pataniensis 269
Frisingensis 282
Monasteriensis 282
Lubecensis 287
Suerinensis 290
Cathedralis ecclesiæ Erfurdiæ 291

Misnen-

Misnensis } *tres ludi illustres*
Grimensis } *in Misnia*
Portensis } *229. 296. 297.*
Palatinatus ad Rhenum 299
Bauaria 318
Austriæ archiducatus 335
Suevia 345
Principes Sax. & elect. 349
Marchiones Misniæ 367
Palatinatus Sax. 374
Electoratus Sax. 408
Burggrauij Magdeburgenses 418
Archimarschallus imp. Rom. 440
Marchiones & electores Brandeburg. 477
Landgrauij Hassiæ 506
Duces Sax. Louenpurg. Lunæpurg. Brunsuicensis Grubenhagi. 518
Principes Anhaldini 522
Duces Megapolitani, &c. 527
Pomeraniæ, &c. 534
Holsatiæ Slesuici. 538
Iuliacenses, Cli. 543
Vuirtenberg. 548
Lignicenses, Bregens. 556
Principes Henneberg. 561
Comites Aldenburg. & Delmenhorst. 565
Suuartzburgici 566
Nassouij 568
Hanauienses 571
Solmenses & Salmens. 572
Valdeccij 572
Fuggari 573
Isenburgij ibid.
Lippienses 574
Sligkij ibid.
Vuctini. Mersburg. Pliss. Ilenburg. 575
Oetingens. ibid.
Furstenbergij & Vuerdenbergij 576
Helfensteinij ibid.
Hoienses & Brochusiani 577
Barones Vualpurgij 578
Limpurgij 579
Vngnadij ibid.
Comites Mansfeldici 581
Dynastæ Querfurd. 585
Comites Stolbergici 590
Honsteinij 591
Leisnicenses & Penicij 593
Barbienses 594
Reinsteinij 595
Gleichenses ibid.

Dasseli-

Dasselienses 598
Groizenses 599
Burgouienses 604
Zollerenses ibid.
Donenses 605
Vuerteri 608
Procemium ad tres duces Sax. impuberes 609
Oratio de Mauritio Sax. 613
Augusto 639
Christiano. 662

MILLE-

MILLENARII SEXTI.

Pars ſecunda.

IN tertia parte Iſagoges perſecuti ſumus in genere ſtatum reipub. qui in ſexto millenario mundi extitit. Quæ verò peculiaribus duobus capitibus explicanda fuerunt in ſpecie de præcipuis familijs, rebusq́ publicis, tum de viris etiam eruditis & illuſtribus, qui in eodem millenario mundi floruerunt, propter voluminis magnitudinem relicta ſunt. Itaq; de ijs nunc hac quarta parte, ducente Deo, tractare aggredimur.

DE PRÆCIPVIS FAMILIIS ET REBVSPVBLICIS in millenario mundi ſexto.

IN tertia quidem parte imperij quaſi corpus aliquod effinximus, & externa et-

iam regna attigimus. In hac verò parte huius corporis membra exponemus. Sunt autem principes partes, siue membra principalia imperij, principes electores septem, qui, vt in fine millenarij quinti explicatum est, ab Imperatore Othone III. instituti sunt, à Carolo IV. verò, aureæ bullæ fundatore in septenarium numerum & ordinem redacti. In his ecclesiastici tres sunt, Moguntinus, Coloniensis, & Treuirensis. Politici verò quatuor, Rex Boiemiæ, Comes Palatini, Dux Saxoniæ, & Marchio Brandeburgi. Nos initium faciemus à Boiemiæ rege, qui arbiter Senatus Septemuiralis, imperijq́ archipincerna est, & imperatoriam maiestatem hoc tempore gerit.

Principes partes imperij.

DE BOIEMIÆ REGE, ARCHIPINCERNA IMPERII, & arbitro honorario inter principes electores.

Situs.

Narisci Voigtlender.

BOiemia Morauiam & Silesiam ad ortum, Nariscos & Bauariam ad occasum, Austriam ad meridiem, & Misniam ad Boream attingit, nomenq́ adepta est à Boijs, qui ex Gallia cisalpina progressi hanc

amœnissimam vallem penè in medio Germaniæ inter Hercynium saltum, qui Gabreta dicitur, & Sudetos montes occuparunt. Hos expulerunt aliquando Germani: Germanos vicissim eiecerunt Slaui, qui cognominati sunt Zechi, à Zecho scilicet Slauo: sicut Poloni dicti sunt Lechi, à Lecho fratre eius. Venerunt enim quondam, quemadmodum Volaterranus scribit, ex Croatia siue Slauonia hi duo fratres Zechus & Lechus, quorum alter in Boiemia, alter in Polonia sedem rerum ac fortunarum suarum collocauit. Ex quo cognatio Sarmaticæ linguæ cum Boiemica hodie reliqua est. Apparet hoc factum esse circa annum Christi 649. Caussa autem quæ Zechum & Lechum impulit, vt relicta Croatia alias sedes quærerent, fuit assiduitas contentionum & rixarum inter cognatos, vxores, liberos, propinquos, aliosq; quos coniunctissimos esse oportebat. Insigne eorum fuit clypeus albus cum aquila nigra. Secuti autem sunt Zechum & Lechum multi comites & dynastæ, qui in profectione sua, quæcunq; loca attige-

Zechus & Lechus.

 runt,

runt, ea diligentissimè explorarunt. Tandem verò placuit præter cæteras ea regio, quam olim Boiemi incoluerunt, qui tamen peste & bellis deleti sunt, præter paucos fortè, qui paulatim à nouis incolis expulsi sunt. Lechus verò anno Christi 653. Polonicum solum occupauit.

Crocus. *Proximus à Zecho dux Boiemorum fuit Crocus, anno Christi 709. mortuus: post quem annis compluribus Boiemos sapienter feliciterq́ue gubernauit Libussa filia Croci, sapiens vt Sibylla. Pertæsi autem imperij muliebris Boiemi, virum cui parerent, postularunt. Monstrauit ergo eis*

Libussa.

Primislaus. *Libussa Primislaum, cui ab aratro accito, etiam nupsit. Hic ergo III. dux Boiemiæ, conditor vrbis Pragæ, & Boiemicarum legum autor nominatur. Rebellauit ei Vlasta puella, Amazoni similis, quæ comparata ancillarum manu annos septem, ex arce sua Dibin plurimum incommodi rebus Boiemorum ausu incredibili dedit. Sed tandem in conflictu perijt, & rebellionis suæ pœnas iustas exoluit.*

Vlasta.

Nezamisliꝰ. *IV. Nezamislius anno Christi 745.*

Mna-

V. Mnata anno Christi 783. Hoc dominante primùm cœperunt Moraui & Germani in Boiemiam inuadere. Mnata.

VI. VVogen anno Christi 804. VVogen.

VII. Kresomilius cum fratre Vratislao anno Christi 832. quorum ille Fischradi, hic Soyzæ aulæ sedem habuit. Kresomilius.

Mortuo autem Vratislao in Soyzensi ducatu succeßit filius Vratislaus, qui patruo suo Kresomilio opem ferre contra Morauorum vim & iniuriam superbè recusauit, & hostilem in modum ei minatus est. Vratislaus.

VIII. Neklan anno Christi 852. Hunc Soyzenses primùm, tum ipse etiam dux eorum Vratislaus vi & impreßione conatus est euertere. Itaq; legatos ad eum misit Neklan cum tanta auri massa, vt pondere suo ipsum Vratislaum æquaret, tum alijs etiam muneribus preciosißimis. Sed placare eius animum acerbum non potuit. Repudiauit enim munera Vratislaus, seq; breui venturum & ablaturum omnia minatus est. Rebellionem quoq; fecit Crasnicus de ducis Neklan familia, qui cùm per se minùs valeret, ad regem Mo- Neklan. Crasnicus.

rauiæ confugit, ab eoq; præsidium quidem impetrauit, sed vnà cum illo occubuit in prælio. Vratislaus verò etsi à Germanis inuadebatur, tamen contemnere eos cœpit, & legatos ad Neklan misit, eiq; tres optiones dedit, vt vel ducatu cederet, vel solus secum de ducatu toto dimicaret, vel in aciem suos educeret & præliaretur. Neklan territus his minis per nobiles suos respondit, se causam non habere, cur vel ducatu cederet, vel cum Vratislao congrederetur solus: & quamuis etiam malit parcere: tamen si aliter facere non possit, prælium non detrectare. Pugna committitur atrox, cui Neklan suo loco quendam virum fortem præfecerat. Hic Vratislaum sua manu occidit, belli finem fecit, ducatum Soyzensem ad Neklan transtulit, & vitam pro patria profudit: Prædicta est hæc victoria Neklan à muliere vatidica, maligni spiritus, qui valde potens erat in hac superstitiosa gente, impulsu.

Hostiuicius. *IX. Hostiuicius Neklan filius, anno Christi 873. Huic bellum fecit frater Hostibogus, sed in prælio victus cum paucis euasit, nec*

nec multò pòst in gratiã cum fratre reductus est, transactionisq́ formula pellibus vitulinis inscripta, anno Christi 876.

Anno Christi 882. quidam ex ducali familia Bucoslauus nomine bellum Hostiuicio denunciauit, qui & ipse in pugna vitam cum arce sua amisit. Anno 885. Mistibogus Hostiuici frater, Caurzimeri dux impreßionem in Hostiuicij regionem fecit: verùm repressus vix precibus gratiam tandem consecutus est. Mistibogus Ducatus Caurzimerius.

X. *Borziuogius anno Christi 890. Huius vxor Ludomilla idolum muliebri forma ex auro tanta magnitudine fecit, quanta nullius potest esse hominis, nomenq́ ei dedit Krosynæ, quod quotidianis sacrificijs & lampade perpetua coluit. Anno Christi 892. rex Morauiæ vini munus Borziuogio misit, cum quidem ante illud tempus vinum Boiemis ignotum prorsus fuisset. Accidit hoc tempore, anno scilicet Christi 894. vt Suatóplucus Morauiæ rex epulum magnum appararet, ad idq́ principes vicinos Poloniæ, Boiemiæ, Rußiæ vocaret, vt ad societatem belli, quod infer-* Borziuogius. Krosyna. Vinum. Suatoplucus.

re Arnolpho Imperatori Rom. in animo habebat, ſolicitaret. Cum autem reliquos menſæ aſsidere iuſsiſſet, ſolum Borziuogiũ humi ſedere voluit. Quod cum grauiter ferret is, rationem facti ſui hanc Suatoplucus reddidit: Ethnicus es, ergo aliter collocari non debes. Si verò aſsidere cum reliquis Chriſtianis menſæ cupis, Chriſtianus & ipſe fias neceſſe eſt. Mox quid commodi inde conſecuturus eſſet, quæſiuit Borziuogius. At Suatoplucus Cyrillum epiſcopum ſuum accerſiuit, qui concione longa Boiemiæ ducem ad Chriſtianam fidem hortatus eſt. Et cum adhuc dubitare ſe oſtenderet ille, quidnam emolumenti ex Chriſtiana religione capturus eſſet, reſpondit epiſcopus: Familia tua mirificè augebitur, & regno Morauiæ potietur. Placuit hoc Borziuogio, & cum triginta aulæ ſuæ miniſtris baptiſatus & in menſa Chriſtianorum collocatus eſt. Ad ſuos reuerſus Borziuogius Chriſtianum ſeſe profeſſus eſt: idq́; Ludomilla vxor vehementer probauit. Sed ſubditi acerrimè hanc religionis mutationem oppugnarunt. Hinc motu tumultuq́;

Borziuogi⁹ baptiſatus.

reple-

repleta est Boiemia, & dux in Morauiam profugere coactus, aliusq́ in locum eius ex Bauaria vocatus, qui tamen paulò post iterum dimissus est, & reuocatus Borziuogius, qui non solum Ludomillam, sed totam etiam Boiemiam ad religionis Christianæ, & baptismatis communionem adduxit. Vsus est ad eam rem in primis opera Cyrilli, qui sacerdotes paßim ordinauit: postea Methodij, qui potestatem impetrauit à Pontifice Rom. obeundi sacra populari lingua, & ex Morauia pulsos à rege importunißimo sacerdotes magno numero in Boiemiam misit. Borziuogius verò cum vxore Ludomilla abiectis ciuilibus curis soli diuino cultui vacare instituit. Itaq; ducatus gubernationem omnem filio suo Spitigneo tradidit, eumq́; ad tuendam ac propugnandam religionem Christianam sedulò hortatus est. Extincta est hoc tempore regum Morauiæ familia, iccirco partim à vicinis Boiemis & Teutonibus, partim à Polonis & Vngaris occupata, atq; direpta est prouincia.

Cyrillus.

Methodius.

Morauiæ reges deficiunt.

XI. Spitigneus Borziuogij filius anno Spitigneus.

A 5 Chri-

Christi 905. Hic templa passim ædificauit, & scholam, in qua latinæ literæ docerentur, instituit. Sed vtranque religionem, Christianam & ethnicam, se tutaturum esse inuitis parentibus dixit. Itaque in morbum grauem incidit, & è vita discessit.

Vratislaus. *XII. Vratislaus alter Borziuogij filius, anno Christi 907. qui professionem fidei mirum in modum auxit atque propagauit. Templum S. Cyrillo & Methodio consecratum condidit, eique nomen Boleslai filij sui indidit. Ex quo Boleslai templum* Boleslauia. *& vrbs ipsa* zum Bunßel / *appellari cœpit, anno Christi 915. Anno sequente, videlicet 916. mortuo Vratislao, vxor eius* Drahomira. *Drahomira ethnicæ superstitionis amore, Christianæ verò religionis odio ardens & furens, Boiemiam rexit, & Christianos miserè afflixit. Non enim quiescendum sibi arbitrata est, priusquam fidem Christianam penitus deleuisset. Prælium committebatur cruentum, in quo tamen Christiani victores euaserunt. Quin ipsam etiam socrum suam Ludomillam sanctitate*

&

& probitate excellentem per ſicarios trucidandam curauit.

XIII. S. VVenceslaus anno Chriſti 921. pietate, ſanctitate, religione incredibili præditus, qui in ipſa electione liberè ingenueq́ꝫ profeſſus eſt ſe Chriſtianum, & velle vt eoſdem etiam ſeſe profiterentur ſubditi. Si qui verò id facere recuſarent; aliter ſe facere non poſſe dixit, quàm vt eos, quocunqꝫ cuiqꝫ liberet, emigrare pateretur. Neceſſaria ad eccleſiaſtica munera ipſe ſua manu confecit, & nihil prætermiſit, quod ad verum Dei cultum pertineret. Anno Chriſti 923. Ratisbonæ in comitijs Henrici Imperatoris diutiùs à conſilio imperiali abſuit. Quare offenſus Cæſar edixit, ne quiſquam ei aduenienti aſſurgeret. At cum aduenit VVenceslaus, Cæſar ipſe ei aſſurrexit, & cum reuerentia magna illum in ſeſſum ordinarium deduxit. Quod cum admirarentur principes, vidiſſe ſe, dixit Cæſar in fronte VVenceslai crucem fulgentem, & angelos duos vtrumqꝫ latus cingentes ac digitis erectis etiam ſibi minantes. Poſtea orauit Cæſar, vt ex theſauro S. VVenceslaus.

ſauro ſuo, quicquid liberet, caperet. Is verò auro nullo ſe egere dixit, & cum vrgeretur à Cæſare, vnicam S. Viti manum argento incluſam petijt, & ſecum abſtulit. Drahomira autem mater ipſius cum nefaria multa molita & conuicijs acerbiſsimis religionem Chriſtianam inſectata eſſet, terræ hiatu abſorpta eſt. Sublata ad hunc modum furia iſta, pax commoda per vniuerſum ducatum extitit. Non multò pòſt tamen Curzimeri dux res nouas molitus eſt, cui VVenceslaus, vt tuti eſſent ſubditi, ſingulare certamen denunciauit. Quod ille quidem non detrectauit, ſed conſpecto VVenceslao, terrore quodam diuino perculſus eſt, vt ad pedes ſanctiſsimi viri ſeſe abiecerit, vitam ſibi condonari poſtulans. VVenceslaus verò non vitam ſolùm, ſed ducatum etiam ei donauit. Tandem cum tempus martyrij immineret, inuitatus à fratre Boleslao ad conuiuium, quamuis periculum vitæ bene proſpiceret, acceſsit tamen, & priùs ſumta cœna ſancta, rebusq́; omnibus ad beatam migrationem comparatis, in templo à fratre trucidatus

eſt

est Boleslauij, anno Christi 929.

XVI. Boleslaus I. anno Christi 929. Boleslaus. *fratricida, cui quòcunque aspexit, suæ occurrerunt iniuriæ, quæ respirare illum non siuerunt. Templa quidem condidit, beneque mereri de ecclesia voluit, sed liberari metu nõn potuit. Muro Boleslauiam circumdedit, diuitijs ex argenti fodina, cui à Bubone nomen fuit, affluxit: Sed pœna ab eo penitus abesse non potuit. Itaque excitati sunt aduersarij complures, primùm Morani, qui metallicos in Boiemia fuderunt: deinde Vngari, in Boiemiam infusi multis prælijs incolas ceciderunt: Sed vicißim à Boiemis victi & deleti sunt. Vocatus verò Boleslaus ab Othone I. imp. Ratisbonam parere noluit, ducem Boiemiæ nullam obedientiam debere Rom. imperatori dictitans. Hac contumacia offensus imperator, copias suas ad Boiemiæ fines adduxit. Sed occurrit ei Boleslaus, ad pedes illius sese abiecit, veniam petijt, & obedientiam summam deinceps promisit, Cæsar contumaciam quidem se condonare illi velle ostendit, sed cædem in fratre commis-*

missam haud se inultam relinquere posse confirmauit. Tandem tamen, intercedentibus tot proceribus, hac pœna eum multauit, vt ahenum supra ignem in Cæsaris culina humeris suis sustineret. Et cum aliquando defessus sedisset, Tu sta, inquit Cæsar. Inde huius nominis vrbs in isto loco, vbi castra Cæsar habuit, condita est.

Pœna ducis Boiemiæ.

Boleslaus II.

XV. Boleslaus II. cognominatus Mitis, anno Christi 967. Mirabilis verò, & diuina prorsus conuersio lupi in agnum, spinæ in rosam, tyranni in patrem benignum & Christianissimum. Nihil enim tam curæ habuit hic princeps, quam veræ pietatis, religionis, ac iustitiæ cultum. Est hoc duce primus Episcopus Boiemiæ ordinatus Ditmarus à Saxonibus oriundus: cui successit Albertus patria Boiemus. Sed quò Boleslaus Christianæ religionis cultum prouexit studiosiùs: eò ethnici, præsertim in Soyzensi ducatu idolomaniam suam tutati sunt acriùs. Tanto enim furore exarserunt, vt innocentissimum episcopum Albertum occiderint. Quam

inіu-

iniuriam Boleslaus adeo indignè tulit, vt vel funditus tollere eos, vel ad Christi fidem conuertere decreuerit. Ventum itaque est ad pugnam, in qua compreßi fractiq́ ethnici victoriam Christo, & Christiano eius duci Boleslao tradiderunt. Verùm nec post acceptam cladem quiescere ethnici voluerunt, sed Christianos, quantum potuerunt, insectati sunt. Fuerunt hoc ipso tempore Iudæi in Boiemia, qui Christianis contra ethnicos operam fidelem nauarunt. Icc irco recepti in vrbem Pragam locum Synagogæ eum, quem adhuc tenent, consecuti sunt. Iudæi recepti.

XVI. Boleslaus II. anno Christi 999. qui propter imbecillitatem, Cracouiam, quæ antè in Boiemorum potestate fuerat, amisit. Vocatus in Poloniam à rege Boleslao, ex insidijs contra datam fidem, oculis priuatus est. Boleslaus III.

XVII. Iaromirus Boleslai II. filius, anno Christi 1003. quem proceres quidam Boiemiæ, Vrschouecij ducatu priuare conati sunt, eumq́ in se transmouere. Itaq in sylua eum comprehensum quer-

cui

cui alligarunt, & iaculis siue telis petiuerunt. Sed ereptus est ex faucibus eorum ab Houora fideli ministro, cui vt gratiam referret dux primum dominum in Boiemia renunciari publicè iußit: eaq́ dignitas ipsi & posteris ab Henrico II. imperatore confirmata est. Iaromirus verò in eo loco, vbi quercui alligatus fuit, monasterium S. Ioannis, memoriæ causa condidit.

Primus dominus in Boiemia.

Vdalricus.

XVIII. Vdalricus anno Christi 1004. educatus est in aula Henrici II. imperatoris, sed ab eodem tamen muneribus amplißimis Boleslai Polonorum regis corrupto, in turrim, vnde nunquam exiret, coniectus, mirabiliter euasit, & adiutus à suis subditis Pragam, eiectis Polonis, in libertatem vindicauit. Fratri Iaromiro ob futilem suspicionem intentatæ mortis, oculos effodit. Conspexit in pago quodam formosißimam puellam, ad puteum lauantem, quam ad se adducendam curauit, vxoremq́ duxit. Proceres quidem coniugium cum tam vili persona improbarunt, sed ipse exemplis maiorum & rationibus honestißimis factum suum stabiliuit. Ipsa verò

Rustici filia nubit duci.

verò Bozena vel Beatrix ducis vxor, matrona pia, benigna, optimeq́; morata fuit.

XIX. Bretislaus Vdalrici filius, qui anno Christi 1026. Comitis Othonis Alberti filiam ex cœnobio Ratisbonensi non inuitam tamen, sed amore mutuo ex aspectu incensam abduxit. Comes iniuriam tantam persecuturus, vindictam à Cunrado imperatore petijt. Is iurauit se non quieturum, priusquam sedem suam in media Boiemia collocasset. Adduxit igitur copias suas in Boiemiam, cum quibus manu decertare & Bretislaus & Boiemi paratissimi erant. At interposuit sese Iudith comitis filia, ducisq́; Bretislai vxor, & impetrata potestate libera, ad Cæsarem & patrem comitem profecta, vtrumq́; sua oratione graui & sapiente ita placauit, vt armis ab vtraq́; parte depositis, pax conciliata sit. Quo tamen Cæsaris iurijurando, quod iurarat, satisfieret, adduxit eum Bretislaus Boleslauiam, quæ medium locum Boiemiæ obtinet, & in sella lapidea collocauit, vbi etiam abiectus ad Cæsaris pedes in gratiam penitus receptus est. Dux verò, Breciflaus.

B qui

qui & ipse incendium Germaniæ miniatus erat, de suis aliquos misit, qui pagum vnũ aut alterum exurerent. Proceres Boiemiæ acriter quidem duci suo restiterunt, ne ad pedes Cæsaris sese abijceret. At is nihilominus in sententia permansit, & à Cæsare pro se & successoribus suis accessione nouorum insigniũ, videlicet aquilæ nigræ in campo albo auctus est, tum ab onere tenendi ahenum liberatus. Anno Christi 1039. bellum Polonis intulit, & Cracouiam cepit. Subditos suos iureiurando ad castitatem coniugalem adstrinxit, eamq́ violantibus verberationis, & seruitutis perpetuæ pœnam definiuit. Alia item sanxit ad veræ pietatis & iustitiæ cultum spectantia. Accusatus est à Polonorum rege Casimiro apud Cæsarem de expilata & direpta Polonia. Misit ergo legationem Cæsar, & aurum in Polonia direptum à Bretislao poposcit. Hic verò se, præter iam ante concessum tributum annuum 120. boum, & 500. marcarum argenti, nihil quicquam tributurum respondit. Quo vehementer offensus Cæsar se ipsum esse venturum, & aurum

rum Polonicum ablaturum minatus est. Mox adducto exercitu in Boiemiam venit, sed Bretislaus deiectis arboribus in sylua iter ei intercludere conatus est. Nihilominus Cæsar copias suas licet multis difficultatibus affectas atq; afflictas traduxit, quæ à Boiemis facilè compressæ atq; deletæ sunt. Ipse verò Cæsar fugæ sese mandauit. Anno Christi 1042. Henricus imperator, denuo cum exercitu in Boiemiam profectus Pragam vsq; peruenit. Huic obuiam legatos misit Bretislaus, qui oratione graui & ardente eum flexerunt, vt accepto tributo triennali, quod debebat Boiemia, discesserit.

XX. Spitigneus II. Bretislai filius, anno Christi 1055. Spitigneus II.

XXI. Vratislaus II. anno Christi 1061. Hic anno Christi 1086. Moguntiæ in conuentu imperiali rex Boiemiæ primus cunctis principibus suffragantibus, creatus est: cui Cæsar ipse coronam auream imposuit, & locum siue sessum proximum ab imperatore tribuit, tum Egilberto Treuirensi archiepiscopo inaugurandi negotium Rex Boiemiæ I.

Marchionatus Morauiæ.

dedit. Hoc modo regnum Morauiæ in Boiemiam translatum est, & ex Boiemico ducatu regnum, ex Morauico verò regno marchionatus factus. Vratislaus verò tanta dignitate auctus magnificentiam suam multis rebus declarare voluit, & quædam insolenter in se admisit: ob quæ etiam acriter ab episcopo increpatus est. Inimicitias quoque aduersus filium Bretislaum, & Vngariæ regem Ladislaum suscepit, sed peste interueniente destitit. Lusatiam ab Henrico imperatore sibi traditam vnà cum Silesia regno Boiemiæ adiecit.

Lusatia & Silesia.

Cunradus.

XXII. Cunradus Vratislai frater, anno Christi 1093. menses septem regnauit.

Vratislaus.

XXIII. Vratislaus Vratislai regis filius, primùm omnes magos magasque expulit, qui præstigijs miris horrendisque hominib. imperitis fucum faciebant, & idolomaniam tetram exercebant. Poloniæ regem Vladislaũ eò compulit, vt intermissum ad tempus tributum exsolueret, & in tempus posterum pro se & successoribus suis annuatim 500. marcas argenti, & 30. marcas auri ducibus aut regibus Boiemiæ, se daturum pollicere-

Tributum Polon.

ceretur. Confossus tandem telo ab homine nefario de equo decidit, & multis precibus lacrymisq́ sese Deo commendauit, bona verò multa episcopo tribuit, vt ad sacros vsus conferret, & missæ vigiliæq́ frequenter pro salute ipsius animæ celebrarentur.

XXIV. Dux Boiemiæ Borziuogius III. anno Christi 1100. antè ab imperatore constitutus dux, ab Vlrico & Litoldo Cunradi Morauiæ ducis filijs inuadebatur. Itaq; Boiemia contentus à cæteris prouincijs abstinuit. Quòd verò post Vratislaum duces Boiemiæ iterum, non reges nominantur, causam hanc habet, quod pluribus annis, mortuo Vratislao, interregnum fuit. Qui enim Vratislaum secuti sunt, ducum nomine contenti regium titulum vsurpare noluerunt, quod is personæ, non prouinciæ datus esset, quemadmodum Aeneas Syluius ait. Caruit igitur regibus Boiemia vsq; ad annum Christi 1159. quo Vladislao à Friderico I. imperatore in conuentu Ratisbonensi dignitas & corona regia propter ipsius merita multa fuit tributa. Anno Christi 1106. Borziuogius à Suatopluco Borziuogius.

Morauiæ duce, quem maleuoli quidam & infideles Boiemi attraxerant, eiectus est, & cum in exilio esset, ad Henricum imp. profugit, qui Suatoplucum cepit, & vt numeratis decies mille marcis argenti sese redimeret ex carcere, coëgit.

Suatoplucus. *XXV. Dux Boiemiæ Suatoplucus, anno Christi 1107. templa & altaria spoliauit, Vngariam & Poloniam diripuit, tandem ab aduersario quodam confossus telo in Polonia periijt.*

Vladislaus *XXVI. Dux Boiemiæ, Vladislaus I. Borziuogij frater, anno Christi 1109. Huic bellum fecit frater Borziuogius, qui Boiemiam unde eiectus erat, recuperare conabatur. Sed Henricus imperator missis grandibus copijs in Boiemiam pacem vtrique imperauit: quæ tamen stabilis in tanta perfidia quorundam procerum haud esse potuit. Excitata enim noua inter fratres dissensione, denuo cedere Borziuogius est coactus.*

Sobieslaus. *XXVII. Dux Boiemiæ, Sobieslaus frater Vladislai, anno Christi 1125. Hunc oppugnauit vi & impreßione Otho Morauiæ*

xiæ dux, qui etiam Lotharium imperatorem ad societatem belli illexit. Sed in prælio vterq; victus est à Sobieslao. Perierunt Saxones 500. primarij, & alij gregarij: occubuit etiam Otho fax belli. Sobieslaus verò victoriam claram reportauit. Hic dux conditor est Gorlicij vrbis extructæ in eo loco, vbi pagus fuerat, anno Christi 1131. Pragam quoq; legibus & immunitatibus firmauit & auxit, tum de electione, iureiurando, & pœna ducis Boiemiæ, si iniustè imperet, statuit. Gorlicium.

XXVIII. Dux, secundus verò rex Boiemiæ Vladislaus II. anno Christi 1140. decertauit prælio cum Cunrado Morauiæ duce, de summa rei, siue de imperio, adiutusq; à Cunrado imperatore hostis sui ferocitatem fregit. Cum autem is igne iniecto templum arcis Pragensis exussisset, insecutus est eum Vladislaus in Morauiam, & ex vna arce in aliam fugientem vehementer afflixit. Pacata ad hunc modum Boiemia, Vladislaus monasteria quædam construxit, vt gratum sese Deo pro concessa victoria præberet. Tandem, interce- Vladislaus.

dentibus imperatore & principibus nonnullis, in gratiam cum Cunrado agnato suo reductus est. Anno Christi 1159. Ratisbonæ in comitijs coronam auream ei imposuit Fridericus imperator, qualem antè acceperat Vratislaus: idque propter ipsius & maiorum in se & antecessores suos fidelissima merita. Neque ipsi solum Vladislao regiam dignitatem attribuit, sed omnibus etiam illius successoribus in omne tempus. Cauit quoque idem imperator, vt hic Vladislaus omnesque eius successores à Pragensi & Olomucensi episcopis inaugurarentur, & tributum maioribus ipsorum antea à Polonis pensitatum, in omne tempus posterum conferretur, vt est in diplomate Cæsareo, quod datum est Ratisbonæ anno Christi 1159. Finitis comitijs Vladislaus cum Boiemis imperatori contra Mediolanenses egregiam operam nauauit, vrbeque adeo ipsa Mediolano nocturno introitu potitus est. Ob quod facinus proceres Boiemorum multis insignibus præclaris ab imperatore, Vladislaus verò corona donatus est, cum insignibus leonis albi, cui bifur-

Corona imposita Vladislao.

fur-

furcata esset cauda: & corona aurea in capite, in campo rubro. Eidem quoq; dedit Cæsar marcas auri mille, Mediolanenses verò decies mille marcas argenti, quòd ipsius intercessione in gratiam ab imperatore recepti essent. Confecto Mediolanensi bello, susceptum est Vngaricum, in quo Vlatislaus Stephanum, electum Vngariæ regem, contra æmulum suum, & patronum eius Immanuelem Constantinopolitanum imperatorem defendit. Nec tamen hoc facto Immanuelem offendit, sed rem omnem ita composuit, vt cum gratia discesserit, & muneribus missis imperator coniugij fœdus inter nepotem suum, & neptem Vladislai petierit. Sed vt in rebus humanis nihil est stabile; sic nec gratia Cæsaris Friderici perpetua esse potuit. Nam citra voluntatem Vladislai Sobieslaum ex carcere liberatum ad regni Boiemiæ gubernationem euexit. Vladislaus verò in exilio vitam finiuit.

XXIX. Dux Boiemiæ Sobieslaus II. anno Christi 1174. sub quo Picardi antè VValdenses dicti, ex Picardia in Germa- Sobieslaus. Picardi.

 niam,

niam, tandemq́ in Boiemiam venerunt, & in territorio Soyzensi & Launensi dogma suum propagare studuerunt, nempe anno Christi 1176. Sequente anno Sobieslaus impreßionem in Morauiam fecit, populari eam penitus in animo habens. Huic occurrit cum suo, & Henrici Marchionis Austriæ exercitu Cunradus Morauiæ dux, Sobieslaumq́ ex agris & finibus suis pepulit. Cæsar verò Fridericus ferocitatem Sobieslai compressurus, ducatu eum abdicat, & Friderico tribuit. Hic Sobieslaum expellit. Etsi autem hortabantur nonnulli Sobieslaum, vt se ducatumq́ suum defenderet: tamen satis is intelligebat, si id faceret: sibi non minus cum suis, quos secum haberet, quàm cum ipsis hostibus dimicandum esse.

Fridericus. XXX. Dux Boiemiæ Fridericus, anno Christi 1178. certauit cum Sobieslao de imperio marte vario, sed tandem victoriam reportauit. Non multò pòst tamen à Boiemis expulsus est, receptusq́ Morauiæ dux Cunradus, qui paulò pòst Cæsaris mandato seuerißimo cedere Friderico coactus est.

est. Hic aduersa quidem multa à Cunrado passus est, sed anno Christi 1184. & 1186. controuersia omnis diremta est.

XXXI. Dux Boiemiæ Cunradus II. anno Christi 1190. Cunradus.

XXXII. VVenceslaus II. VVenceslaus.

XXXIII. Henricus vel Bretislaus de familia ducum Boiemiæ ex episcopo Pragensi factus dux Boiemiæ anno Chr. 1191. Morauiam cepit & Lusatios valde afflixit. Henricus.

XXXIV. Dux Boiemiæ, Vladislaus III. anno Christi 1197. Huius tempore Saxones Boiemiã inuaserunt, & populati sunt. Quamobrem Vladislaus ad ducem Saxoniæ Othonem legatos mittebat, qui de illata iniuria seu maleficio Saxonum quærerentur. Is verò respondit, se mirari ducem Boiemiæ talem impetũ adeo grauiter ferre, cum sat sciret, tantam esse difficultatẽ rerum in Saxonia, vt capere Saxones cogerentur quicquid possent. Hoc tam aspero responso inflammatus Vladislaus bellum ei denunciat, & missis tribus millibus equitum non solum Saxoniam populatus est, sed Othonem etiam ipsum profligauit. Vladislaus III.

Dux,

Primislaus.

XXXV. Dux, III. verò rex Boiemiæ, Primislaus I. anno Christi 1200. ad Philippum Rom. imperatorem venit Moguntiam cum ducentis equitibus selectis, ab eoq́ accepta corona aurea declaratus est Boiemiæ rex coram imperij principibus. Boiemis verò ab eodem Philippo data est potestas eligendi regem in omne tempus. Cognominatus est hic Primislaus à Saxonibus primùm, deinde etiam à Boiemis Othogarus, Ottischgar quasi totus Othoni deditus, propter summam gratiam, qua apud Othonem imperatorem fuit. Cum iterum Philippus imperator cum Othone designato imperatore manu decertaret, adiutus est strenuè à Boiemis, quorum adminiculo etiam victor in Italia euasit. Etsi autem calumnijs episcopi cuiusdam commotus Philippus, alienior esse à Boiemiæ rege cepit, & propterea omnes suas vires ad Othonis ductum applicauit: tamen reconciliatus tandem Philippo, vnà cum eo Othonem oppugnauit. Anno Christi 1212. Fridericus imperator iura, priuilegia, & immunitates regni Boiemiæ luculentissimo diplo-

Corona aurea.

Othogarus q. Othogar.

diplomate confirmauit & auxit. Primislaus verò Othogarus anno Christi 1230. è vita cessit.

IV. Rex Boiemiæ VVenceslaus I. anno Christi 1231. iam antè coronatus, & ab imperatore Rom. confirmatus summo omnium ordinum & ipsius patris Primislai consensu. Ab hoc onerati durius Boiemi, alium regem elegerunt, Primislaū VVenceslai regis filium, designatum Poloniæ & Austriæ ducem. Ex quo intestini motus & bella exorta sunt. Tandem pater filium suum cepit, & denuo coronatus, subditos suos æquitate eximia gubernauit. Cum Bauari improuisò impetum in Boiemiam fecissent, vicißim à Boiemis detrimenti multum acceperunt. VVencessaus.

V. Rex Boiemiæ Primislaus II. VVenceslai regis filius, marchio Morauiæ, dux Austriæ & Styriæ, anno Christi 1254. cum Bernardo Pontificis Rom. legato, & Othone Marchione Brandeburgico profectus in Borußiam ab idolomania ethnica eam cōuertit ad Christianam religionem, & Regium montem extruxit, indito ei nomine Primislaus. Regius mons.

regio

regio de ſuo nomine, anno Chriſti 1255. Fauit Germanis, eosq́; Boiemis in aula ſua anteposuit. Quod ægrè ferentes Boiemi, paſsim per totũ regnum tumultuati ſunt. Rex verò autores tumultuum vi compreſsit. Ex quo ingens odium Boiemorum contra Germanos natum eſt, & multi paſsim de Germanis occiſi ſunt. Cum Bela Vngariæ rex pactas cum Primislao inducias violaſſet, & Styriam vaſtaſſet, iuit in eum Primislaus cum exercitu magno, & in Morauia copias illius ex Vngaris, Turcis, & Tartaris comparatas fudit, pacemq́; petere coëgit. Anno Chriſti 1261. Pragæ in templo à Vernero Moguntino archiepiſcopo vnà cum vxore altera, quam repudiata propter ſterilitatem priori, duxerat, Othogarus. *coronatus eſt, & Othogarus cognominatus. Anno Chriſti 1267. Vlricus Carin-*Carinthia Boiemiæ accreſcit. *thiæ Dux, cum neq; hæredes, neq; agnatos haberet, Primislaum Othogarum regem in teſtamento tutorem & hæredem ſuæ prouinciæ fecit. Anno 1270. Vngariam inuaſit, & Poſonium cepit, prædamq́; ingentem inde ſecum auexit. Sequente*

ve-

verò anno delatum ad se imperatoris Rom. munus de consilio suorum procerum honestè recusauit, & suo se contentum fore regno respondit. Vocatus verò anno 1274. à Rudolpho imperatore Augustam ad comitia, per oratores suos se obedientiam ei debere negauit, quod illegitimè electus esset: Rudolphus hanc contumeliam vindicaturus per legatos suos poscit ab eo, Austriam, Styriam, Carinthiam, Carniolam, Forum Iulij, ad imperium ea pertinere dictitans. Othogarus contrà partim ex iure dotali ea sibi deberi demonstrabat, propter coniugium cum Margareta Leopoldi Austriæ ducis filia, partim belli iure, tanquam vi capta aut occupata ad se pertinere aiebat. Ne tamen asperè nimis repugnare Cæsari videretur, quinque insignia declarandæ subiectionis caussa ei dedit, spe redditum illa sibi statim iri. At Cæsar duo insignia cum Boiemia & Morauia illi reddit, reliqua sibi reseruat. Primislaus igitur vi sua defensurus cum Morauis & Polonis Cæsari se opponit, & cum ad pugnam veniendum fuit à suis descr-

desertus, vel proditus miserè occumbit anno Christi 1278. Etsi autem Cæsar in hac victoria ingenuum moderatumq́; sese præstitit: tamen Germani nonnulli ductu Othonis Marchionis Brandeburgici, qui defensionem VVenceslai impuberis Othogari filij, annuentibus Boiemis, susceperat, passim in Boiemia grassati sunt, & miserabilem in modum sæuierunt. Inde intestinæ dissensiones, tumultus, & bella excitata sunt. Durauit hoc ingens malum ad annum vsq; 1283. quo iussu Marchionis Othonis Germani omnes intra triduum excedere Boiemia coacti sunt. Ipsi verò Othoni dabant Boiemi marcas 15000. argenti: ille vicißim tradidit Boiemis VVenceslaum regis hæredem, quem in solium patris Othogari collocauit, & curatores de Brandeburgicis & Boiemicis proceribus ei attribuit.

Marchio in Boiemia.

VI. Boiemiæ rex, VVenceslaus II. anno demum 1297. coronatus est. Huic Rudolphus imperator filiam suam Iudith collocauit. VVenceslaus vicißim Rudolphi filio Cunegundam sororem suam ex monaste-

VVenceslaus.

nasterio eductam in vxorem dedit. Anno Christi 1289. Casimirus dux Oppoliensis, VVenceslao & omnibus eius successoribus se suumq́ ducatum Oppoliensem subiecit. Anno 1290. etiam ducatum Silesiæ hæreditatis iure hic Boiemiæ rex adeptus est, confirmationemq́ ab imperatore Rudolpho consecutus. Eodem anno Rudolphus hunc VVenceslaum cum omnibus suis successoribus in regno Boiemiæ Electorem & archipincernam imperij creauit Erffurdiæ. Sequente anno Cracouiensem & Sandomiriensem ducatum in Polonia à Griffina vidua & matertera sua accepit, eumq́ Tobiæ episcopo, qui Boiemus erat, regendum dedit. Sed non multò pòst contentus sua Boiemia & Morauia, Poloniæ ducatu sese abdicauit. Anno 1299. Pirnam vrbem cum diplomate ab Alberto imperatore accepit Norimbergæ. Anno 1300. in Poloniam vocatus, solenni ritu rex Poloniæ inauguratus est, & Richsam siue Elisabetham puellam forma eleganti regni hæredem duxit. Anno 1301. etiam delatum ad se Vngariæ regnum retinuit: filium

Ducatus Oppoliensis adiectus ad Boiemiam.

Silesia.

Boiemiæ rex fit elector imperialis.

Pirna.

lium tamen ſuum VVenceslaum, vix decem & trium annorum puerum regem Vngariæ inaugurari paſſus eſt, ſed eundem ſtatim à coronatione vnà cum corona ex Vngaria ſecum abduxit. Poſtulauit ab eo Cæſar Albertus, vt vel Kuttenberga metallica ad annos ſex cederet, vel marcas argenti octoginta ſibi daret. Quod cum denegaſſet VVenceslaus, vi occupare Kuttenbergam imperator voluit: ſed repreſſus eſt à metallicis, qui veneno magis quàm armis pugnarunt.

VVenceſlaus III. *VII. Rex Boiemiæ VVenceslaus III. VVenceslai II. filius, anno Chriſti 1306. duxit ducis à Teſchen filiam, reddidit Othoni Bauariæ duci ex regum Vngariæ familia nato coronam & alia arma, quæ anno Chriſti 1304. ex Vngaria in Boiemiam translata erant. Confoſſus eſt à ſicario Olmucij.*

Rudolphus I. *VIII. Boiemiæ rex, Rudolphus I. Auſtriæ dux, Aberti imperatoris filius, anno Chriſti 1307. eodem anno mortuus in caſtris.*

Henricus. *IX. Rex Boiemiæ Henricus, Carinthiæ*

dux,

dux, anno Christi 1308. Hunc rogabant Boiemi, vt Sueuos, quos in Boiemiæ quasdam vrbes collocarat Cæsar, expelleret. Quod cum exequi negligeret rex, ipsi passim collectis copijs eos adorti sunt. Etsi autem Sueui contemnebant Boiemicas copiolas, & eorum quisq; decem Boiemos in prælio se occisurum spondebat: tamen cum ad pugnam ventum est, ad tria millia eorum occubuerunt, reliqui dilapsi sunt. Albertus verò Rom. imperator cupiebat Fridericum filium suum Boiemiæ regem facere. Iccirco cum exercitu in Boiemiam venit, vt Henricum eijceret: sed in itinere confossus perijt. Diffidens autem Henricus subditis suis, & Elisabetæ virgini, VVenceslai regis filiæ, suæq; coniugis sorori, in custodiam inclusit eam, vnde cum à subditis liberata esset, & vi ab ijsdem defenderetur: ipse à duce Misniæ opem petijt. Hic derepente quingentos armatos in Boiemiam adduxit: sed repulsus à Boiemis nauare nihil potuit. Proceres verò regni legatione ad Henricum imperatorem missa, filium eius alterum re-

gem poposcerunt, eiq́; Elisabetam regni hæredem destinarunt. Imperator annuit, & Ioannem alterum filium in Boiemiam misit. Is Pragam, quam Henricus rex tenebat, inprimis occupauit, & Henricum extrusit.

Ioannes. *X. Rex Boiemiæ Ioannes Henrici imperatoris filius, anno Christi 1311. primùm omnium latrocinijs infestam Morauiam & Boiemiam purgauit. Germanos quidem Boiemis præferre conatus est, sed repugnãtibus Boiemis, eos dimisit. Anno 1318. Misnenses in Boiemiam inuaserunt, tanto numero, vt decem ferè Misnici vni Boiemo opponerentur. His nihilominus occurrit in acie VVilhelmus à VValdeck, qui* Dux pius. *ante pugnam iussit suos de equis descendere, inflexis genibus sese Deo commendare, ac victoriam petere. Incipiente verò prælio canere etiam cœpit, & maiorem Misnensium partem cecidit: ex Boiemis verò vix duodecim perierunt. Ioannes rex minimè lætatus est hac victoria, quasi qui maluisset Boiemos amittere. Iccirco in odium suorum incurrit, & tumultus con-*

contra illum excitati sunt. Rex excusat se se, tandemq́ reconciliata gratia pax inter ipsum & subditos facta est. Anno 1322. rex malam sibi à Ludouico Rom. imperatore pro fidelissimis suis operis, quas ei nauasset, gratiam referri arbitratus, Lusatiam superiorem inuasit, & Budissinam, Gorlicium, Zitauiam, cum arcibus cepit, & regno Boiemiæ iterum adiunxit. Idq́ iure fieri à se existimauit, quod Marchionatus ille Lusatiæ iam antè ad regnū Boiemiæ pertinuisset, & ab Othone Marchione Brandeburgico, qui tutorio nomine illum administrare anno 1278. cœperat, reddi Boiemis iamdudum debuisset. Anno 1335. Henricus Silesiæ dux, & Breslauiæ dominus è vita cessit, eoq́ casu ducatus tanquam feudum ad Ioannem Boiemiæ regem translatus est. Anno 1335. Ioannes Boiemiæ rex vendidit Vngariæ regi tributum, quod Poloni pensitabant, quingentis auri marcis. Dehinc Boiemici reges titulum Polonici regni vsurpare desierunt. Exactiones & vectigalia noua instituit, templum arcis spoliauit, & æger

Lusatia.

Silesia.

oculis, medicos, qui curare morbum minus poterant, in profluentem demersit. Vnde iudicatum est diuinitus eum cæcitate puniri. Anno 1343. Ioannes rex & filius eius Carolus Romam profecti à pontifice inter alia etiam hoc impetrarunt, vt vterque episcopus Pragensis & Olomucensis à Iurisdictione Moguntina immunis esset, & episcopatus Pragensis in archiepiscopatum conuerteretur, cui Olomucensis subesset. Hæc dignitas tunc cœpit ab Ernesto primo archiepiscopo, & ad omnes eius successores propagata est. Quocirca coronatio etiam Boiemici regis à Pragensi archiepiscopo facta est. Anno 1346. Carolus Morauiæ marchio, Ioannis regis filius imperator Rom. designatus est Francofurti, quod tamen munus ad se delatum inuitus suscepit. Ioannes verò rex in Gallia, quò cum filio Carolo profectus erat ad iuuandum regem Gallorum, contra Angliæ regem, cum fugientibus Gallis ex pugna cedere nollet, cæcus impetum in hostes confertissimos fecit & occubuit.

Archiepiscopatus Pragensis.

Cæcus pugnat.

Rex

XI. Rex Boiemiæ, Carolus IV. Imp. Rom. anno Christi 1347. conditor nouæ vrbis Pragæ, anno Christi 1348. & fundator Academiæ, ex Academiæ Parisiensis & Bononiensis legibus moribusq; extructæ. Hic rex Boiemiam multis modis amplificauit & auxit. Carolus IV.

XII. Rex Boiemiæ, VVenceslaus Caroli IV. filius, anno Christi 1379. sub quo Bauari in Boiemiam inuaserunt, & incommodi plurimum ei attulerunt. Intestinæ dissensiones ortæ sunt, & rex ipse captus Pragæ in curia hebdomades quindecim asseruatus est. Inde adminiculo cuiusdam ancillæ cum vix euasisset, iterum captus in arce custoditus, & tandem Viennam traductus est. Cum hic quoq; aufugisset, Pragam reuersus crudelem in modum in suos aduersarios animaduertit. VVenceslaus.

Anno Christi 1400. Hieronymus Pragensis ex Anglia, quo studiorum causa profectus erat, reuersus, ex Ioannis VVicleui libris quædam dogmata excerpserat, eaq; cum Ioanne Husso communicarat, qui tamen eo tempore probare illa noluit, Hieronymus Pragensis.

& ad supprimendum illa Hieronymū hortatus est. Anno Christi 1401. Germani in Academia Pragensi aliquantò insolentiùs sese efferebant supra Boiemos, quibus cum sese opponerent Boiemi, ancipites contentiones, & certamina varia extiterunt. De quibus certior factus VVenceslaus, nihil aliud respondit, quàm posse se spectare Boiemos in Germanorum capillos inuolantes. Anno Christi 1404. venerant ex Anglia duo, vnus Iacobus Bacularius theologiæ, alter Cunradus, qui sæpe quærebant de Pontifice Rom. vtrum plus potestatis haberet in ecclesia, quàm simplex sacerdos? Item an panis consecratus, vel corpus domini acceptum in missa Pontificis plus efficacitatis haberet, quàm in missa simplicis pastoris? Hos monuit aliquando cordatior quidam M. Leonhardus Druha, vt ab huiusmodi quæstionibus sibi temperarent, ne secundum constitutionem Caroli imperatoris igne comburerentur. Curarant hi in pariete sui hospitij pingendum ex vna parte Christum ingredientem Hierosolymam, ex altera verò Papam ingredien-

Certamina Germa. cum Boiemis in Acad.

dientem Romam, vt quantùm differat Pontifex Rom. à Christo liquidò cognosci posset. Picturam istam in concionibus suis laudabat Ioannes Hussus, & probabat etiam populus. Inde disputationes variæ sunt natæ. Anno Christi 1406. in foro quidam Germanus puerum Boiemicum verberauit, quod vlturus pueri pater, fortè aduenien, alapam impegit Germano. Statim concursum est infestis animis, & in certamine nouem interierunt. Id tamen laudi sibi ducebant Germani, quod plures Boiemi quàm Germani periissent. VVenceslaus hæc omnia floccipendit. Compertum est hoc tempore supra 44000. studiosos exteros fuisse. Inprimis verò Germani Boiemis erant infesti, & multis iniuriis eos afficiebant. Boiemi ergo ne tumultus excitaretur, M. Ioannem Hussum & Hieronymum rogarunt, vt viam aliquam expellendi eos inuenirent. Quibus respondit Hussus, se excogitaturum esse modum, quo ipsi sponte sua cum gratia & pace abirent. Anno 1408. consilium ceperunt magistri Academiæ, & communi

Numerus studiosorũ Prag.

nomine Ioannes Hussus hanc orationem habuit: Constat ex Caroli fundatoris constitutione, Germanis in electionibus, alijsq́; deliberationibus publicis tria, Boiemis verò vnum suffragium esse tributum. Verum id propter penuriam Boiemorum est factũ. Iam verò in tanta copia Boiemorũ iustum omnino est, vt Boiemi tria, Germani vnum votum habeant. Hac oratione offensi Germani ad regem prouocabant: quod ipsum etiam faciebant Boiemi. Expectabatur ab vtraq; parte responsum. At rex annum integrum differebat responsum. Interim iniurijs & conuicijs certabatur, & quidem Germani, Doctores, Magistri, Baccularij, & studiosi iusiurandum dederunt, se quæcunq; sententia ferretur, à iure suo non cessuros esse, sed potius simul omnes abituros. Anno 1409. pronunciata à rege sententia promulgatur in hunc modum: Quoniam ex Cæsareo priuilegio apertum manifestumq́; sit, Pragensem Academiam ad similitudinem Parisiensis esse institutam: In Parisiensi verò Galli tria, exteri vnum suffragium habeant: Iccir-

Cuspinianus ponit duo vota.

Sententia Regis.

Iccircò Boiemis etiam tria suffragia, Germanis vnum in Pragensi Vniuersitate deberi. Mox Germani Doctores, Magistri, Baculary, & studiosi, quemadmodum iurauerant, ita simul omnes supra 40000. abeunt, alij ad Rhenum, alij in Saxoniam, alij in Bauariam, alij alio. Qui in Saxoniam abierunt, Lipsicæ Academiæ fundamenta iecerunt. Ciues verò Pragenses tantam iacturam tulerunt valde grauiter, quod multũ de victu suo detractum esse intelligerent. Germani autem studiosi Ioannem Hussum & Hieronymum apud Pontificem Rom. accusabant. Ipsi verò citati Romam venire recusabant, quod à regis sui decreto recedere sibi non fas esse arbitrarentur. Anno Christi 1412. à Pontificijs impostoribus bulla plumbea in Boiemiam adferebatur, qua indulgentiæ offerebantur omnibus, qui aliquid pecuniæ ad bellum, quod id temporis Ioannes Papa cum Ladislao Neapolitano rege, gerebat, conferrent. Hoc impium pecuniæ aucupium impugnabat Ioannes Hussus concionibus & programmate

Cuspinianus scribit vno die 5000. abijsse.

Bulla indulgentiarum.

mate publico. Quo permoti non pauci penè seditionem excitabant. Prouocabat idem ad disputandum de talibus indulgentijs omnes doctores, magistros, & studiosos, sacerdotes, & monachos. Conuenere ad audiendum plurimi, neq; defuerunt doctores, qui Ioannem Hussum grauiter reprehenderent, quod iuuenis & sacerdos pontificis autoritate creatus, pontificem oppugnare auderet, iusseruntq; eum Romam ire, & coràm Papæ reclamare, monuerunt etiam, ne ad exemplum Chami sui patris pudenda reuelaret, & tumultum cædesq; suscitaret. Multitudo autem obmurmurabat, & rectè dixisse Ioannem Hussum, & M. Hieronymum, confirmarunt. Hi cum in curiam ire vellent, & in senatu eadem illa exponere, prohibiti sunt à Rectore, ne tumultus maior fieret. Redijt igitur domum vterq;, & secuta est turba magna, hortans seriò, vt in sententia permanerent ambo. Ab eo tempore de plebe nonnulli conspirarunt, se dominica sequente in templis, quibuscunq; indulgentiæ istæ prædicarentur, palam re-

Hussus.

cla-

clamaturos esse, & seditionem excitaturos. Quæ sanè res Vniuersitatis proceres non parum perturbauit. Itaq; Ioannem Hussum, & M. Hieronymum hortati sunt, vt sibi & Reipub. parcerent, nec tumultus ac cædium autores essent. Quod cum sese facturos illi promitterent, accidit, vt proxima dominica in compluribus templis, audita mentione papalium indulgentiarum, publicè reclamaretur, ab hominibus imperitis tamen prorsus. Hos senatus in carcerem coniecit, Ioannes Hussus verò Senatum rogauit, ne propter indulgentias in iuuenes illos animaduerteret, sed eos dimitteret. Cui is: mirum est, inquit, te quod tui muneris non est, attingere, & pro seditiosis deprecari. Veruntamen licet non propter indulgentias, sed propter tumultum, quem voluerunt excitare, pœna digni sint: tamen propter tuam deprecationem aliquid fiet. Hussus hoc responsum senatus ciuibus, qui magno numero congregati in foro erant, denunciauit. Mox, his abeuntibus, producti illi captiui in foro decollantur. Hussus etsi proxima concione

cione dolorem suum dissimulauit: tamen sequente decollatos supra martyres extulit. Ob quod à senatu iterum est monitus, vt à tumultu abstineret, & verbum Dei doceret. Certior factus de hac re Pontifex Rom. edixit, ne Pragæ missa vlla celebraretur, dum Ioannes Hussus ibi commoraretur. Hinc odium ardens in Hussum extitit, qui ob eam caussam Praga discessit, & in quodam oppido multos ad suam sententiam allexit: nec multò pòst Constantiam vocatus in custodiam inclusus est. Reliqua acta Hussitica in Isagoges parte III. de concilijs, & Rom. imperatoribus explicantur.

Sigismundus. *XIII. Rex Boiemiæ Sigismundus, anno Christi 1420. anno demum 1436. à Pragensibus receptus.*

Albertus. *XIV. Rex Boiemiæ Albertus, Austriæ dux, Sigismundi imperatoris gener, anno Christi 1438. Post Albertum rege vacauit Boiemia, & à Georgio Podiebracio strenuo & industrio viro gubernata est.*

Stratagema Podiebraeij. *Hic solertia admirabili Pragam inuasit, & in potestatem suam redegit, præmissis qui-*

quibusdam coniuratis, qui vrbem in parte remota incenderunt. Et cum ad restinguendum incendium ciues vndiq; concurrerent, ipse ex aduersa parte muros expugnauit, & vrbe potitus est. Hoc pacto Boiemiæ totius imperium adeptus est.

Anno Christi 1453. Ladislaus posthumus filius Alberti imperatoris, Vngariæ rex, & Austriæ dux, coronatus est Boiemiæ rex, permisitq; cunctis ordinibus, vt suo arbitrio quisq; sacram Cœnam vel sub vna vel sub vtraq; specie sumeret. Ipse tamen ab Hussiticis templis & sacris prorsus abstinuit. Anno Christi 1454. Vratislauiam inuisit, & sacra ibi celebrauit. Sed infelix, dum sponsam Caroli Galliæ regis filiam expectat, ætatis anno 18. inopinata morte, in ipso nuptiarum apparatu extinguitur, Pragæ, non absq; veneni propinati suspicione.

Vsus Sacramenti sub vtraq; specie.

Quidam scribunt, eũ in aula sua a consiliarijs, instinctu Rockizani occisum esse.

Anno Christi 1458. declaratus est Boiemiæ rex Georgius Podiebracius, Baro Boiemicus, de veteri stirpe comitum à Berneck & Nidga, qui & Giersigus vocatur. Rex fuit sapiens & clemens, qui feli-

Podiebracius.

Omen. *feliciter regnum administrauit. In coronatione eius præcipua gemma ex corona decidit, quo significari plerique omnes putarunt, non potiturum esse illum primaria vrbe regni Vratislauia. Cum etiam in coronatione ab eo exigeretur, vt iureiurando fidem faceret, se religionem Romanæ ecclesiæ defensurum esse, respondit se consensum eius ecclesiæ tutaturum esse, qui scriptis Propheticis & Apostolicis congrueret, vel qui conscientiæ contrarius non esset. Etsi autem confirmationem à Pontifice Romano impetrauit, & obedientiam sedi apostolicæ iurauit in profligandis & exterminandis sectis Romanæ ecclesiæ contrarijs: tamen multi inueniebantur, qui fidem ei habere nollent. In quorum numero erant etiam Silesij & Lusatij, qui fœdere facto recipere illum recusabant. Malebant enim VVilhelmo Saxoniæ duci regnum tradere: qui tamen eos hortatus est, vt deposita pertinacia regi suo Podiebracio obtemperarent. Cum autẽ verbis nihil proficeret Podiebracius, vim adhibebat, & Vratislauiam vehementer oppugna-*

Podiebracius ecclesiæ Hussiticæ patronus, sicut Iohn. Rockixan Prag. episcopus.

VVilhelm. Saxon. dux.

pugnabat. Interim verò nihilominus principes Saxoniæ, Brandeburgi, & Palatini electores, feuda ab eo accipiebant Egræ. Sed hortabantur tamen sedulò, vt fidem ecclesiæ Romanæ debitam seruaret. Memor huius admonitionis Podiebracius, legationem ad Pontificem Pium misit, quæ obedientiam de integro ei polliceretur, & vt pacta Basiliensis concilij rata haberet, peteret. Pontifex laudata Podiebracij obedientia, negauit concilij eam esse sententiam, vt vsus vtriusque speciei in Sacramento cœnæ omnibus promiscuè concederetur.

Pontifex euertit concilij Basil. decretum.

Anno Christi 1462. Rex concilium aduocauit, in quo de Pontificis pij improbitate questus est, quod pacta in concilio facta ab Eugenio Papa de vtraque specie in Sacramento Cœnæ infirmaret, & ingenuè etiam professus est, se odisse quidem hæreticos, sed cum vxore tamen & liberis qui astabant, inuiolato iureiurando quod dedisset, sentire cum ijs, quibus vtraque species in concilio permissa esset. De quo, cum voluntates subditorum exquireret, alij as-

Confessio regis.

 sensi

ſenſi ſunt, & ſe defenſuros eſſe cum rege pacta oſtenderunt, alij verò nihil ſe contra catholicam religionem facturos dixerunt. Auditus quoq; in eo conuentu fuit Fantinus, Pontificis Rom. legatus, qui Catholicorum conſtantiam & fidem laudauit. Huſsitas verò, vt ad obedientiam Rom. eccleſiæ redirent, hortatus eſt. Tum cauſam etiam expoſuit, quare Pontifex à pactis concilij receſsiſſet. Rex legatum in cuſtodiam dedit, vixq́; poſt menſes tres dimiſit. Quo facto grauiter offenſus Papa, vix exorari à Friderico imperatore potuit, ne Podiebracium excommunicaret. Benè enim meritus erat de imperatore Podiebracius, quod paulò antè obſeſſum illum cum vxore & filio Maximiliano in arce Viennenſi, anno Chriſti 1463. liberaſſet. Nihilominus tamen Pontifex, vt libidinem animi ſui expleret, Vratislauienſes, & Namslauienſes de fide regi debita exemit, & pœnam omnibus, qui eos inuaderent, minatus eſt. Podiebracius verò has minas tanquam inania terriculamenta contemnebat, ſed Pontifex ab eo alienabat

Fantinus legatus Pontificis.

Pontifex excommunicat Pod. & Matthiã à curſu victoriæ in

bat Matthiam Vngariæ regem, negans ei, qui ab ecclesia Romana defecisset, fidē vllam esse seruandam. Mox titulo etiam regio Podiebraciū priuabat & communicabat. Hinc malorum quasi quoddam seminarium extitit. Matthias enim Vratislauienses, & alios, qui Podiebracio obedire recusabant, in fidem suam recepit. Contra verò Podiebracius, quod æquitate impetrare nō poterat, id armis tentabat, & rebelles oppugnabat. Vbi rem ad bellum spectare pontifex Pius animaduertit, Hieronymum Landum, archiepiscopum Cretæ misit Vratislauiam: vbi tamen frustra pacificatio tentata est. Inde ergo Pragā progressus, inducias triennales confecit, vt interea, quo animo in religionem pontificiam esset Poidebracius exploratè cognosceret. Plausibus magnis accepta est hæc pacificatio: & Vratislauienses ipsi, legatis ad regē missis, in gratiam ab eo recepti sunt. Rex verò elatus hac fortuna Fridericum Brandeburgi Marchionem eò adegit, vt Lusatiam inferiorē, quam à Ladislao acceperat, ipsi concederet: retento duntaxat

Vngaria reuocat ad bellum intestinum.

Matthias recipit subditos Pod.

Landus.

Lusatiā inferior.

Kotbusio, cum quibusdam oppidis anno Christi 1462. Finitis inducijs veteres turbæ resuscitatæ sunt. Rex enim in conuentu publico iterum professus est, se malle regnum & vitam ipsam amittere, quàm concedere, vt contra pacta concilij Basiliensis vsus calicis Boiemis permissus adimeretur. Itaq; ab eo defecerunt Vratislauienses & alij. Pontifex verò Casimirum Poloniæ regem & Matthiam Vngarum ad capessendum Boiemiæ regnum allexit. Hinc concertatio acris de regno extitit. Morauia iam antè à Podiebracio ad Matthiam defecerat: sed cum occupare eam Matthias voluit, armis à Podiebracio repulsus est. Deinde Boiemiam ipsam inuasit. Et cum Podiebracius penè exhaustus pacis cupiditate flagraret: ad monomachiam prouocauit Matthiam, vt qui alterum vicisset, ius potestatemq; in eum pro arbitratu suo haberet. Vel acie cum eo confligere voluit, delecto ad eam rem loco vtriq; parti conueniente. Etsi autem Matthias pugnam non detrectauit: tamen ob alias causas ea prætermissa

Polonus & Vngarus solicitantur ad inuadendũ Boiemiæ regnum.

Monomachia.

est

est, præsertim cum à Podiebracio ordines deficerent, nemoq́ eum sequeretur, nisi qui eandem religionem cum eo profitebatur. Venit hoc tempore ad Matthiam, qui se occisurum esse regem Podiebraciũ pollicitus est, si quinquies mille floreni ei darentur. Hic cum vi nulla nocere regi posset, veneno eum necare voluit. Sed prohibitus à Matthia fuit, quod Romano more, armis, non veneno pugnare vellet. Tandem hydrope extinctus est Podiebracius anno Christi 1471. Post eum creatus Boiemæ rex Vladislaus, Casimiri regis Poloniæ primogenitus, anno Christi 1472. cùm alijs conditionibus multis, tum hac etiam inauguratus est, vt operam daret, ne pacta concilij Basiliensis in Boiemia imminuerentur. Matthias verò sese in electione præteritum dolens, apertum bellum Boiemis infert. Cui cum Vladislaus cum exercitu occurreret, & admoneretur à suis, ne cum tàm paruo exercitu in præsens discrimen sese conijceret, respondebat, sæpe fieri, vt ab vno accipitre multæ columbæ fugentur. Cum ergo nihil effici posse Mat-

Ingenuitas Matthiæ.

Vladislaus.

Apophthegma Vladislai.

thias perspiceret, direptis nonnullis oppidis, discessit. Vladislaus verò Viennam profectus feudum regni à Cæsare accepit. Qua re iterum offensus Matthias, in Austria & Styria incendijs multa vastabat. Inde bellum atrox Vladislai, & patris eius Casimiri Poloni contra Matthiam exarsit, cuius moles in Silesiam deuoluta est. Vratislauienses enim de integro fidem dederunt Matthiæ. Iccirco circumsederunt eum in vrbe ista pater & filius. Etsi autem exercitum habebant Polonus & Boiemus satis copiosum ex Polonis, Boiemis, & Tartaris conflatum: tamen detrimenti multum capiebant. Tum Silesij etiam duce Ioanne Glogouiensi armatos 6000. contra Polonos mittebant. Quibus tamen ipsi occurrebant, vt in historia Silesiæ dictum est. Tentabatur multis modis reconciliatio horum dissidentium regum, sed frustra, donec Ernestus Saxoniæ dux, cum Ioanne Brandeburgico 1500. equites Vratislauiam adduxit, & in pacificationem sese interposuit, vbi Ioannis Brandeburgici facundia maximè

mè enituit. In primis enim ad pacem hortati sunt reges, & pacis conditiones respuenti parti vim & arma minati sunt. Pacificatio. *Multum enim intererat Germaniæ copias ex ea quamprimum educi, ne qua illi obessent. Hoc modo pax conciliata est. Inde Pragam reuerso Vladislao venenum, instinctu Matthiæ, conati sunt propinare duo ciues, qui etiam conuicti sunt & puniti. Quin in collegio etiam conspiratio contra eum facta est, quasi qui pacta concilij de vtraq; specie violaret, & cum pontificijs sentiret. Eò igitur adigere eum voluerunt, vt vel calicis vsum admitteret, vel regno cederet. Quæ res in inuidiam magnam plebis eum vocauit.*

In Vngaria verò à Turcis vexatus Matthias, legationem ad Vladislaum mittit, & colloqui cum eo de pace cupit. Congreditur cum eo Vladislaus in Morauia, & pacem his conditionibus facit, vt ipse Boiemiam & ducatum Suidnicensem Iauranumq; retineret, Matthias verò Morauiam & Silesiam cum parte Lusatiæ: quemadmodum in historia Vngarica

de Matthia exponitur Iſagoges parte tertia. Hoc modo diminuti reditus regij in Boiemia Vladislaum in anguſtias adduxerunt. Matthias verò anno Chriſti 1490. mortuus coniugem Beatricem reliquit, quæ iuſſa ab ordinibus eligere regem maritum, cunctis Vladislaum prætulit, quod moleſtè ferens pater Caſimirus, Albertum filium in Vladislaum armauit, iniquum eſſe exiſtimans eum regno vno contentum eſſe nolle. Ventum eſt ad manus & pugnam, in qua Vladislaus victor, parci iuſſit fratri, qui per fugam vix elapſus eſt. Tandem hæc controuerſia tali conditione diremta eſt, vt Vladislaus Vngariam & Boiemiam retineret, fratri verò Ioanni Alberto ducatum Glogouienſem & Troppouienſem traderet. Pragam reuerſus Vladislaus, ſenatum conſtituit, & Academiam ſtipendijs & viris doctis ex Italia vocatis locupletauit.

Frater contra Fratrem.

Ludouicus.

Anno Chriſti 1509. Ludouicus filius Vladislai, ætatis ſuæ anno tertio Boiemiæ rex XVIII. coronatus eſt Pragæ. Anno 1526. Ferdinandus Philippi Hiſpaniæ regis

gis filius, Boiemorum rex electus est. Ferdinando successit Maximilianus II. imperator, Boiemiæ rex XX. coronatus anno Christi 1562. Maximiliano II. Rudolphus II. filius, rex XXI. anno Christi 1576. De quibus in imperatorum Rom. historia, millenario sexto.

DE ARCHIEPISCOPO MOGVNTINO, SEPTEMVIRO, & Archicancellario imperij.

MOGVNTIA *ad Rhenum sita ciuitas est, vbi Mœno is commiscetur: à Moguntio Troiano, vt quidam opinantur, condita, à Claudio Druso autem Augusti Cæsaris priuigno ampliata. Iulius Cæsar ponte facto ibi transijt in Germanos. Sed post eum Carolus Magnus pontem ibi extruxit, quingentos cubitos longum, qui tamen anno Christi 812. incendio perijt.*

Maturè autem euangelij præconium in hac vrbe fieri cœpit, cum Paulus gentium Apostolus eò misit Crescentem discipulum, circa annum Christi 60. qui in magna parte tractus nobilissimi ad Rhe-

num Christi verbum prædicauit, & ecclesiam collegit. Ab eo igitur numerantur episcopi Moguntini continua serie; quorum nonnulli ob constantem professionem Christi martyres facti sunt, & in monte martyrum, vbi nunc S. Albani templum est, sepulti.

Anno Christi 454. ab Hunnis vastata est Moguntia. Sed post anno Christi 525. à Dagoberto Francorum rege instaurata, & Rheno propius admota. Extitit VVormatiæ archiepiscopus quidam Geruilio, qui propter perfidiam & alia flagitia Archiepiscopatus. *sede motus est, & propterea archiepiscopatus VVormatiensis Moguntiam translatus fuit, circa annum Christi 745. autore Bonifacio, qui gratia apud Zachariam Pontificem, & Pipinum Francorum regem plurimùm valuit. De Bonifacio autem in millenario quinto dictum est, à quo etiam schola Fuldensis extructa est, cui Sturmio præfuit, & doctrinam literarum in ea propagauit.*

Rabanus. *Anno Christi 847. Rabanus Fuldensis, archiepiscopus Moguntiæ est designatus,*

tus, Bedæ Angli diſcipulus, poëta & theologus inſignis, cuius extat Bibliorum commentatio. Bibliothecam Fuldæ collegit, hæreticos refutauit, pauperes in fame pauit.

Anno Chriſti 891. Hatto de regia familia Francorum archiepiſcopus electus, Albertum Comitem Bambergenſem doctis dolis decepit, cum ei author fuit, vt ad Ludouicum regem, à quo circumſidebatur, reconciliationis cauſa ſecum exiret, reducturum ſeſe illum in arcem pollicens. At cum vix arce egreſſi ſimul eſſent: pœnitet me, inquit Hatto, quod non prius ientaculum ſumſerim. Quin redibimus in arcem, inquit comes, & cibum prius ſumemus. Redeunt ambo in arcem, ciboq́ refecti iter priſtinum ingrediuntur, & ad imperatorẽ in caſtra perueniunt. Mox comes in vincula coniectus, & capitis damnatus eſt. Hic cum fidem Hattonis iureiurando confirmatam imploraret, reſpondit archiepiſcopus, ſe liberaſſe fidem ſuam, tunc, cum in arcem reduxiſſet ipſum ad ientaculum. Sic eluſit vir ſanctus, ſi Deo placet, iuſiurandũ Hatto.

quod

quod dederat Vrspergensis. Commemoratur aliud etiã exemplum fallaciæ Hattonis. Cum Henricus Saxo postea cognominatus auceps, Cunrado regi de potentia suspectus esset, ex occulto & insidijs eum è medio tollere conatus est, ad eamq; rem vsus est Hattonis egregij artificis omnis perfidiæ & deceptionis opera. Hic catenam auream adornauit, & ad conuiuium inuitauit Henricum, vt torquem illum collo ipsius inijceret, & mortem afferret. Sic enim erat fabrefacta catena, vt solui non posset, sed compreßione necaret. De quo dolo præmonitus ab aurifabro Henricus conuiuium renuit, & nunciari archiepiscopo iussit, suum collum non esse durius quàm Alberti comitis. Ac vt iniuriam hanc vlcisceretur, Hattoni, quæcunq; habuit in Duringia & Saxonia, eripuit. Sed vt nullum periurium sine pœna est: sic nec Pœna perfidiæ. *huius archiepiscopi perfidia impunita fuit relicta. Est enim Hatto à diabolis in sublime abreptus, & viuus in Aethnam præcipitatus cum vlulatu & vociferatione hac: Sic peccata lues, atq; ruendo rues.*

Ali-

Alius Hatto archiepiscopus cognomento Bonosus, cum anno Christi 969. fames magna esset, & egeni eleemosynam peterent, horreo eos includi iussit, quasi cibum illic præbiturus, sed fame prope enectos succenso horreo combussit, mures illos appellitans, qui omnia absumant. In vestigio autem vindicta diuina consecuta est. Mures enim primum nomen eius in pariete obruerunt, mox illum tanto impetu inuaserunt, momorderunt, & afflixerunt, vt nusquam tutus esse, ne in turri quidem, quam in Rheno ædificarat, posset. Nam Rhenum etiam tranarunt mures, & ad mortem vsq; illum persecuti sunt, quod vestigia turris, quæ à muribus nomen adepta est, demonstrant. Hatto à muribus cõsumtus.

VVilligis archiepiscopus Moguntinus, anno Christi 988. electus, Carpentarij filius, ex pago Saxoniæ Sconingen oriundus, & Othonis II. ecclesiastes atq; consiliarius, postquam ex infimo genere & fortunæ gradu ad tantam amplitudinem peruenit, sortis suæ, ex qua emerserat, memor, rotam passim pinxit, vt eam in conspectu VVilligis.

habe-

haberet, & hanc inscriptionem addidit: VVilligis, VViligis, recole vnde veneris. Erudijt Othonem III. in primis eius annis. Iccirco consentaneum est, ipsum extitisse primum Septemvirum imperij ex Moguntina diœcesi. Septemuiralis dignitas. *Est enim institutus ordo septemviralis anno Christi 997. ab hoc Othone III. cuius præceptor VViligis fuit. Ab hoc archiepiscopo rota insigne archiepiscopatus Moguntinensis esse cœpit.*

Aribo. *Anno Christi 1022. Aribo I. Palatinus Comes ad Rhenum, sedi Moguntinæ præfuit, vir doctus, cuius extant commentaria in quindecim Psalmos graduum. Hunc secutus est S. Bardo, adeo eruditus & disertus concionator, vt alter Chrysostomus fuerit dictus.* Synodus Moguntina. *Synodus hoc archiepiscopo Moguntiæ fuit, ad quam Pontifex Leo IX. cum multis Episcopis, & Cæsar ipse Henricus II. venit. Deliberatum est potißimum de modo pacandi Galliam, quæ multis seditionibus labefactabatur. Exarsit autem in hac Synodo certamen acre inter archiepiscopi & abbatis Fuldensis* Certamen sessione. *ministros de seßione, vsq; eò, vt ad arma*

ven-

ventum sit, & sanguinis multũ in templo profusum. Hinc in aëre auditus clamor diaboli: Hunc diem bellicosum ego feci. Ob hoc grauiter commotus Cæsar, cantum huic diaboli sarcasmo oppositum cani iussit.

Imperante Henrico IV. VVezilo archiepiscopus Moguntiæ fuit, eruditione & facundia antecellens, & in fide Cæsari, à quo ornatus erat, debita constans. Adalbertus verò ex Cancellario Henrici V. archiepiscopus Moguntiæ factus, à Cæsare defecit, iccirco per triennium in carcere contabuit. VVezilo doctus.

Arnoldus anno Christi 1153. ex cancellario Friderici Barbarossæ, archiepiscopus Moguntiæ factus, à Moguntinensibus reiectus, trucidatus, & in fimum proiectus est. Ob quod facinus tanta ira exarsit Cæsar, vt & autores cædis capite plecti, & vrbem penè totam diripi, muros deÿci, fossas terra obrui, & monasterium S. Iacobi, in quo occisus fuerat archiepiscopus, solo æquari, ciuitatiq́ priuilegia adimi iusserit. Hinc Moguntia in ruinis iacuit annos 36. vsq; ad Othonem IV. Arnoldus.

qui

qui reparandam illam curauit. Prædixerat hanc pœnam Arnoldo S. Hildegardis virgo, & monuerat eum sæpius his verbis: Caue chariſsime pater: canes enim iam dimiſsi ſunt, qui te perſequuntur. Sed is floccipendit. Fuit autem hæc pœna perfidiæ, qua vſus erat Arnoldus contra Henricum archiepiſcopum cognomento Felicem, anteceſſorem ſuum. Cum enim is anno Chriſti 1142. à ſuis Canonicis, quos ſæpe propter flagitia obiurgarat, apud Pontificem accuſatus eſſet: miſit eò Camerarium ſuum Arnoldum, vt ipſum excuſaret. Sed Arnoldus oblitus fidei, quam archiepiſcopo ſuo debebat, non ſolùm non excuſauit Henricum, ſed etiam Cardinalibus duobus pecunia corruptis perſuaſit, vt ſede illum mouerent. Sequente annò mortuus eſt Henricus, nec longo interuallo ſecuti ſunt Cardinales, à quibus deiectus erat Henricus. Cum enim mortuo Henrico per iocum & ludibrium dixiſſent: ecce præceſsit, ſuo tempore nos ſequemur, in veſtigio eos diuina vindicta ſecuta eſt, & vno die vterq; periit, alter quidem inteſti-

Hildegardis.

Perfidiæ exemplum.

testinis in cloaca effusis, alter verò demorsis manuum digitis, quasi seipsum deuorans, teterrimam mortem obijt. Ex quo vox cantata est à populo: Benedictus dominus, qui venerabilis Henrici iustè iniuriā vindicauit. Chronicon Moguntinense.

Anno Christi 1249. archiepiscopus Moguntinus electus est Christianus II. doctrina intelligentiaq́ue præstans, & pacis amantissimus. Cum enim à Guilielmo imperatore ad societatem belli inuitaretur, respondit: Episcopum decet concionari, non belligerare. Idq́ue innuit Christus, cum ad Petrum dixit: Petre reconde gladium tuum in vaginam suam. Tum verò velle se ipsi parere dixit, si iubeat Dei verbum prædicare: quæ boni pastoris virtus sit optima. Christianus II. Vox digna episcopo.

Ante & post hunc archiepiscopum complures fuerunt palam impij, bello magis, quàm literarum studio gaudentes, discordiarum ac distractionum in imperio authores, pestes ecclesiæ & reipublicæ, quorum nec nomina recensere operæ precium est.

Anno Christi 1302. archiepiscopus Moguntiæ fuit Gebhardus, tanta superbia, vt dixerit, audito Cæsaris nomine: Si vnus Cæsar non vult, alium in pera habeo. Euexerat scilicet Adolphum Nassouiensem ad imperium, &, eo amoto, Albertum Austriacum. Pactus autem erat aliquam summam pecuniæ à Cæsare, quem ad amplitudinem imperij extulerat. Hanc cum Cæsar exoluere vel nollet, vel non posset fortè, prehenso cornu venatorio, quod de colle suspensum gerebat, hinc facilè, inquit, alium Cæsarem, cum lubet, efflabo. Petrus Eichspad, Treuirensis, ex medico factus est primùm episcopus Basiliensis, deinde archiepiscopus Moguntinus, cum ex morbo graui Pontificem Romanum intra triduum eripuisset. Anno Christi 1308. Ioanni, Henrici Lucelburgensis filio, Pragæ coronam regiam imposuit, iccirco donatus est ab eo aurea sella gemmis preciosis referta.

Alius archiepiscopus Henricus comes Firnenburgensis, tanta auaritia fuit, vt potestatem perpetuam coronandi reges

Boie-

Boiemiæ, quam Othogarus & VVenceslaus ad archiepiscopum Moguntinum transtulerant, precio vendiderit.

Anno Christi 1388. Cunradus Baro VVinsbergensis, archiepiscopus electus est, sub quo triginta sex ciues Moguntinenses propter professionem doctrinæ VValdensium combusti sunt.

Certamen inter duos archipræsules.

Anno Christi 1459. Dithericus comes Isenburgicus, Moguntiæ archiepiscopus est designatus: cui cum Pontifex Rom. opponeret Adolphum Nassouiensem, certamen ingens & bellum graue exarsit, quo ciuitas grauiter afflicta est. Nam ciues duo noctu egressi vrbem Nassouio prodiderunt. Ex quo conuulsa est Moguntia, ciues quingenti occisi, & multi capti. Dithericus verò de muro demissus per funem vix in Rheno elapsus est. Tandem controuersia sic diremta est, vt Adolphus archiepiscopatum, Dithericus verò aliquot oppida retineret. Post septem annos verò mortuus est Adolphus, & ad archiepiscopatum reuersus Dithericus. Hic est, qui Gymnasium

Acad. Moguntina.

siue Academiam Moguntinam anno Christi 1482. fundauit. Adolphus verò Moguntiam, adiutus à Ludouico Bauariæ duce, qui niger cognominabatur, ab imperio auulsit, & in suam ditionem redegit.

Berthol-dus. *Anno Christi 1484. Bertholdus princeps Hennebergius, Maximiliani imperatoris cancellarius aulicus, Moguntiæ archiepiscopus est factus. Author is fuit Maximiliano sanciendi fœderis Sueuici, & in conuentu VVormaciensi anno 1495. instituendæ imperialis Cameræ, suasor eidem extitit. Disciplinæ custos seuerus.*

Sueuicum fœdus. Camera imperialis.

Anno Christi 1508. Vriel de Gemingen, I. D. archiepiscopus creatus est: sub quo tumultus Erffurdiæ concitatus est: populo scilicet in senatum acrius inquirente. Quæ res archiepiscopo & Sax. electori Friderico occasionem belli dedit, quod tamen Maximiliani imperatoris consilio & autoritate discussum est.

Tumultus Erffurd.

Albertus Brandebur. Cardinalis. *Anno Christi 1514. Albertus Marchio Brandeburgicus, Ioannis electoris filius, archiepiscopus Magdeburgensis, & administrator Halberstadensis, Moguntiæ archiepi-*

chiepiscopus electus, biennio pòst etiam Cardinalis à Leone X. Pontifice creatus, Augustæ Vindelicorum in conuentu imperiali, vsitatis ceremonijs & sacris per Caietanum Cardinalem inauguratus, & pileo, gemmis, margaritis, & auro intexto, & ense cum deaurata vagina donatus: valuit prudentia, consilio & authoritate, pacem sæpè suasit, & confecit etiam inter dissidentes imperij proceres, & Saxoniæ electorem Ioannem Fridericum Ferdinando regi, anno 34. reconciliauit. Anno autem 45. è vita excessit. Successit ei Sebastianus Hussenstenus I. D. Sebastiano successit Daniel Brendelius, vir prudens & moderatus, anno Chr. 55. Danieli VVolffgangus Dalburgius, sapientia & authoritate antecellens, anno Christi 1582.

DE ARCHIEPISCOPO COLONIENSE, IMPERIJ Septemviro.

COLONIA *imperialis ciuitas ad Rhenum, sic dicta est, quod ab Agrippa ex dextra Rheni ripa in citeriorem dedu-* Colonia.

cta est. ex quo etiam Agrippina cognominatur, quasi ab Agrippa deducta, aut condita ciuitas, vt Strabo memoriæ prodidit. Tacitus verò lib. 12. ait, ab Agrippina, quæ Augusti Cæsaris vxor fuit, deductam esse Coloniam, cum sic scribit: Agrippina, vt vim suam socijs quoq; nationibus ostentaret, in oppidum Vbiorum, quod nunc Colonia est, in quo genita erat, veteranos, coloniamq́; deduci impetrat, cui nomen inditum ex ipsius vocabulo.

Christiana religio. *Circa annum Christi 90. Maternus Christianam religionem primus in hanc vrbem attulit: à qua tamen postea ad Arrianismum illa defecit, & per S. Seuerinum, imperante Honorio, circa annum Christi 398. denuo ad eandem conuersa est. Seuerinus enim Euphratem Arrianorum episcopum ex sancto Dei verbo refutauit, & hæresin illius impiam in Vbijs extirpauit.* Eremita. *Venisse ad eum dicitur quidam eremita, qui ob vitæ sanctitatem mirè sibi placebat, nec similem sui putabat posse reperiri. Sed responsum est ei:*

Seue-

Seuerinum Coloniensem esse illi similem. hunc ergo vbi vidit eremita lautioribus quidem cibis vti, sed nihilominus vitam piam integramq́; agere: animaduertit, diuinum cultum non in cibo & potu, sed in fide & sanctitate situm esse.

Anno Christi 743. Bonifacius, adiutore Carolo magno, archiepiscopatum in hanc vrbem introduxit. Huius popularis & peregrinationum socius Agilolphus archiepiscopus Coloniensis factus, cum in bello Gallico se in pacificationem interponere vellet, à ministris quibusdam occisus est, locusq́; ille, vbi cædes facta est, longo tempore viruisse, & noctu quasi lumine accenso eluxisse dicitur. Bonifacius.

Anno Christi 952. electus est archiepiscopus Coloniæ Bruno, Othonis magni frater, qui quò superior loco & genere fuit, eò summißiorem sese geßit. In adolescentia optimarum literarum doctrina à præceptoribus optimis imbutus est. In primis verò Poëtarum Christianorum lectionem amauit, & in ipsa etiam aula fratris imperatoris libros secum quocunque Bruno.

 iuit,

iuit, circumtulit, ac pietatis ardentis documenta vbiq; dedit, afflictis solatio & adiumento fuit. In administratione autem archiepiscopatus luxum omnem odio habuit: quodq; alijs præcepit, eius exemplum in semetipso præbuit. Quin etiam in summis negocijs, bonā diei partem bibliorum lectioni tribuit, & vt alij quoq; in cœnobijs ac capitulis studiosè discerent, orarent, & populum docerent, edixit. Absente fratre, imperij negocia, consilio, & felicitate magna gessit, dissidentes partes arte conciliauit, & tandem ex hac vita discessurus, per testamentum bona sua ecclesiæ & egenis legauit. Cum in morbo suo astantes nonnullos tristes esse videret, mœrere eos prohibuit: nolite, inquiens, dolere: mox aderit gaudium. Discedo enim in eum locū, vbi visurus sum multò præstantiores homines, quàm in hac vita vnquam videre mihi contigit, paulò pòst in vera pœnitentia, & fide Iesu Christi, post sacramenti corporis & sanguinis Christi sumtionem, patienter placideq; spiritum Deo reddidit, præfuit annis tredecim, secundum

dum Petrum Opmersensem.

Anno Christi 990. Heribertus Comes de Rotenburgo ad Tuberum, vel de Lyningen ex cancellario Othonis III. archiepiscopus Coloniæ factus, vitam sanctam egit, & alijs etiam dux ad sobrietatem, & precandi assiduitatem extitit, dissentientes reconciliauit, & in pristinam gratiam restituit, ob id pacificus cognominatus est. pauperes adeò amauit & fouit, vt eos fratres suos appellarit. hic primus dignitatem septemviralem in hunc archiepiscopatum attulisse dicitur, anno Christi 1093. Quanquam alij scribunt, Brunonem aliquot annis ante Heribertum Aquisgrani elegisse Othonem II. Heribertus. Septemviralis dignitas.

Anno Christi 1055. S. Anno, ex rectore scholæ Bambergensis, consiliarius Henrici III. & ex consiliario archiepiscopus Coloniæ factus, authoritate, facundia, integritateq́ antecelluit, tàm ciuilium, quàm ecclesiasticarum rerum peritus. simplicitatem in victu & amictu vsurpauit, & liberalitatem insignem erga pauperes exercuit. Cæsari Goslariæ in conuentu Anno.

mortem prædixit, & filium eius præclarè erudiuit, conciones ad populum habuit, congreßibusq́ pijs & cantionibus delectatus est. iccirco nocte quadam malè pulsatus est. scortationem acerrimè vindicauit, cœnobia & templa fundauit, in eaq́ viros eruditos collocauit. conspectus fuit, Coruus. *hoc præsule, coruus ingens Coloniæ, qui horribiliter vociferabatur. mox secutus est tumultus ingens in ferijs Paschatis contra eum: in quo sacerdos quidam occisus est, ipse verò vix de manibus furiosorum delapsus est. ex quo intelligi potuit, coruum illum nil aliud fuisse quàm Satanam ipsum. ciues tandem veniam delicti petiuerunt, atq; impetrarunt etiam, sed authores sic puniti sunt, vt oculi illis effoderentur.* Exemplum iustitiæ. *documentum quoq; iustitiæ hic archiepiscopus dedit, cum comperisset iudices falsam sententiam in causa fœminæ pauperis tulisse. his enim omnibus erui oculos iußit: excepto vno, qui compater ipsius erat. hunc enim vno duntaxat oculo priuauit, vt altero adiutus domum deducere excæcatos posset. Vtq́ huius rei*

memo-

memoria diuturnior esset: supra domos excæcatorum capita figulina cum effossis oculis collocanda curauit, vt terrori essent prætereuntibus.

Anno Christi 1158. vel secundum alios, anno 1163. archiepiscopus Coloniensis designatus est Reinoldus de Dasselt in VVestualia, qui prius Friderici Barbarossæ cancellarius fuit, cuius castra secutus in Italia 40000. Romanos fudit agmine non magno. Cæsar verò Mediolanum obsedit & occupauit: vbi cum corpora trium Magorum olim per Helenam imperatricem ex oriente translata, reperta essent; Reinoldus, pro sua fidelissima opera, quam imperatori nauarat, nihil sibi poposcit, præter corpora illa, eaq́; impetrata mox Coloniam misit: quo etiam sanctorum Maccabæorum corpora attulit. Reinoldus. Corpora trium Magorum.

Alij sic enarrant translationis Magorum historiam: Reinoldus Comes Dasselensis, archiepiscopus Coloniensis, fuit cum Friderico imperatore Mediolanum circumsidente. Eratq́; ea vrbs iam in tantas angustias redacta, vt se sustinere diutius

non

non posset. Quod præuidens Abbatissa in S. Anscharij cœnobio consulis Mediolanensis soror, clam mittit ad archiepiscopum, vt ad colloquium de muro sui monasterij veniat petens. Accedit archipræsul, cui mox abbatissa indicat, fore, vt sequente die ciues ad imperatorem exeant, supplices ei fiant, & claues tradant. Quare, si archiepiscopus impetrare à Cæsare queat, vt quod abbatissa humeris suis ex vrbe poßit efferre, liberum sit, & periculo vacet, corpora Magorum sese donaturam ei pollicetur. dat fidem archipræsul, & à Cæsare id quod petierat abbatissa facilè impetrat. Sequente die, exeuntibus ex vrbe ciuibus, imperator circumspicit, vt consulem, cui acceptum omne rebellionis malum referebat, merita pœna afficiat. Sed ecce, ille ipse est, quem abbatissa humeris susceptum baiulat. Etsi igitur Cæsar ægrè sese cohibet: tamen propter fidem datam archiepiscopo, consulem dimittit, mox corpora Magorum archiepiscopo tradita Coloniam translata sunt.

Engelbertus. *Anno Christi 1216. S. Engelbertus comes*

comes Bergensis, archiepiscopus Coloniensis, beneficus imprimis fuit erga egenos, & ocium pacemq́; diu desideratam restituit. Cum aliquando comes quidam Monasterium Essense affligeret, per literas eum monuit archiepiscopus, vt desisteret. Hac admonitione tantopere offensus fuit comes, vt Engelbertum in itinere quodam inuaderet, & occideret. Iccirco ab imperatore proscriptus est, & Coloniæ supplicio affectus. Adiutores verò & socij cædis omnes teterrimam mortem obierunt.

Alius Engelbertus, nobilis à Falckenburg, archiepiscopus, anno Christi 1261. creatus, in prælio à Guilelmo comite Iuliacensi captus annos tres & dimidium in custodia detentus, vix tandem precibus Alberti Magni dimissus est. Coloniæ iterum à ciuibus captus est, & propterea ciuitas per sexennium excommunicata fuit à Pontifice Rom. Propinqui verò eius, iniuriam archiepiscopo illatam vindicaturi, obsederunt vrbem, & adiutoribus quibusdam ciuibus, qui pecunia sese corrumpi siuerant, eam ingreßi, fortiter repulsi sunt.

Et

Et comes quidem Falckenburgius occubuit, dux verò Limburgius captus est, multi cœsi, reliqui fuga elapsi sunt.

Academia Colon.

Anno Christi 1388. cœpit Coloniæ Vniuersitas, cura, studio, & opera senatus, priuilegia suppeditante Vrbano VI. Primi in ea docuerunt D. Gerardus Calcariensis, & Theologus quidam Parisiensis, vel Pragensis, ut Middendorpius scribit. Hos secuti sunt interuallo quodam Albertus Magnus, Thomas Aquinas, Ioannes Scotus, & alij, de quibus in sequenti capite de viris doctis.

Rupertus.

Anno Christi 1472. archiepiscopus Coloniæ erat Rupertus Bauariæ dux, cum quo sese coniunxit Carolus Burgundiæ dux, contra Hermannum Hassiæ Landgrauium, qui à capitulo gubernator totius diœceseos electus erat. Carolus ergo capitulo edicit, vt Ruperto archiepiscopo obediat. Quod cum facere capitulares negligerent, adducto exercitu Nouesium circumsedit Carolus penè anno integro. Vrbem verò defendebat Hermannus, cui etiam auxilio erant Colonienses. Hæc res iusta

iusta arma induit Friderico Cæsari, & Ludouico XI. Gallorum regi aduersus Carolum, qui in eius ditionem impetum fecerunt, & ab obsidione Nouesij eum abstraxerunt. Carolus autem iam antè eripuerat Lotharingo Nanseium, Heluetijs verò Granscium, vbi Germanos 512. suspendit. Itaq; non procul ab oppido Nanseio ab Heluetijs eorumq; socijs in prælio interfectus est.

Anno Christi 1481. Colonia in numerum Hansaticarum ciuitatum peruenit. Hansatica ciuitas.

Anno Christi 1515. Hermannus comes de VVeda, archiepiscopus est electus Coloniæ, benignus, & liberalis, qui rempub. ecclesiasticam sibi commissam in bona pace & tranquillitate sapienter administrauit, & auxit, vsq; ad annum Christi 1543. quo animum ad emendandum ecclesiæ statum corruptißimum appulit. Neque temerè id fecit, sed iam antè in comitijs Augustæ Rheticæ à Cæsare & legato Pontificis negotium suscipiendæ emendationis omnibus episcopis datum erat. Commendarat autem archiepiscopo

Ioan-

Ioannes Gropperus Iuris Pontificij professor in primis eruditionem, diligentiam & fidem Martini Buceri. Hunc ergo archiepiscopus ad opus emendationis Argentorato euocat, illiusq́ opera reformationem suscipit. Tum Philippum Melanchthonem etiam à principe electore Saxoniæ, Ioannem Pistorium verò à Landgrauio ad eam rem sibi concedi petit. Hi coniuncti formulam emendationis ecclesiæ conscribant, quam archiepiscopus ecclesiasticis primarij templi Coloniensis proponit. Interim Bucerus Bonnæ docet, alij alibi religionem reformatam propagant. At canonici librum reformationis planè reijciunt, & contrarium ei opponunt, sub Turcarum imperio sese viuere malle affirmantes, quàm sub magistratu, reformationis huiusmodi custode atq; patrono. Quin etiam Theologi Colonienses conuitijs multis Bucerum & reformatam religionem insectati sunt. Bucerus verò ad disceptationem legitimam eos prouocat, & Melanchthon edito libello hos conuitiatores ad modestiæ & veritatis studium, omissa sophistica

Reformatio ecclesiæ in diœcesi Colon.

&

& idolomania pontificia, hortatur.

Clerus nihilominus pergit ab archiepiscopo suo contendere, ut ab instituta reformatione desistat, ecclesiæ ministros nouos eijciat, & concilij, vel conuentus imperialis tempus expectet, quod nisi faciat, auxilium Pontificis & Cæsaris sese imploraturum minatur. Archiepiscopus contrà scriptum edit, in quo consilij sui rationem exponit, & perseueraturum sese in ijs, quæ ad Dei gloriam, & ecclesiæ salutem spectent, profitetur. Refutat etiam crimina à Clero obiecta, neque cum Luthero, neque cum Bucero quicquam rei sibi esse planum faciens, sed probare se tamen ostendens doctrinam ab illis repurgatam, propterea quod cum verbo Dei consentiat; edicta verò contraria Dei verbo se nunquam probasse, sed Ratisbonensi decreto paruisse, quod emendationis munus omnibus episcopis imponat. Clerus Colon. oppugnat emendationem ecclesiæ.

Hoc responso archiepiscopi exasperatus Clerus, rem ad Pontificem ac Cæsarem defert. ab vtroque ergo citatur Hermannus. Ac à Cæsare quidem iubetur intra trigin-

ta dies causam dicere, interim verò quiescere, nihilq́; innouare, ac si quid mutarit antè, id in pristinum locum restituere: à pontifice autem intra sexaginta dies Romæ vt sese sistat mandatum accipit. die Aprilis 16. pontifex lata sententia illum excommunicat, & archiepiscopatu, cæterisq́; commodis ecclesiasticis omnibus priuat, tum ne quis ei è populo pareat edicit. Archiepiscopus hac asperitate offensus, scripto edito, à pontifice iamdudum hæreseos accusato ad concilium Germaniæ prouocat.

Adolphus. *Anno Christi 1547. Adolphus Schauenburgius, quem Hermannus coadiutorem sibi præ cæteris delegerat, pontificio diplomate archiepiscopus confirmatur. Cæsar verò, missis legatis, ab Hermanno ad Adolphum transire ordines prouinciæ iubet. quod etiam remissa fide & iureiurando quod Hermanno dederant, factum est. ita archiepiscopatu deiectus Hermannus in ditionē suam concessit, ibiq́; anno Christi 1552. mortuus est. Adolpho autem successit Antonius frater, anno Christi 1556.*

1556. Antonio Ioannes Gebhardus, comes Mansfeldius, anno Christi 1558. Gebhardo Fridericus comes de VVeda, anno 62. Friderico Salentinus, comes Isenburgius, anno 67. qui tamen anno 77. relicto archiepiscopatu, in matrimonium duxit Antoniam VVilhelmam de Marca & Arenburgo, ut ex ea sobolem ad conseruandam familiam suam, susciperet. Antonius. Salentinus.

Salentino successit Gebhardus Truchsius, anno Christi 1577. qui archiepiscopatum in ocio & tranquillitate gessit, usque ad annum Christi 1582. quo impurum cœlibatum odisse, & coniugium castum à Deoque præceptum amare, tum abusus ecclesiæ Rom. detestari cœpit. simul ac verò reformationem aliquam religionis suscepit, Clerum in primis aduersum infensumque sensit. mox à Pontifice ipso, ne nouis rebus studeret, admonitus est. Cæsar quoque sibi displicere mutationem istam literis & nuncijs significauit. ipse verò principes & ordines imperij appellauit, seque in re honesta grauique iuuari petijt. etsi autem principum Augustanæ confessio- Gebhardus Truchsesius. Religionis libertas.

fessionis authoritas intercessit: tamen obtineri neque à capitulo, neque à Cæsare quicquam potuit. Gebhardus verò in suscepto consilio permansit, vxorem Hagnen, Ioannis Georgij comitis Mansfeldiaci filiam duxit, & religionis libertatem subditis dedit. Quod cum ferre Clerus non posset, à Pontifice & Cæsare mandatum de alio archiepiscopo eligendo impetrauit. eligit igitur Ernestum Bauariæ ducem, qui statim armis tueri prouinciam sibi commissam instituit. Gebhardus vicissim gladio se suaque defendere conatur. atque ita bellum intestinum, graue ac diuturnum exarsit, ad quod inuitati, & attracti à Pontificijs ex Belgio Hispani multum damni rebus communibus dederunt. Sanguinis certè multum profusum est, oppida oppugnata, capta, direpta. euentus tandem is fuit, vt debilitato compressoque Gebhardo, archiepiscopatum obtinuerit Ernestus, qui religionem Pontificiam restituit.

Ernestus.

DE TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO, imperij Septemviro.

Treui-

TREVIRI, qui & Triberi à Ptolomæo vocantur, nunc pro gente, nunc pro oppido, quemadmodum & Parhisij, vsurpantur. Galliæ Belgicæ ad Mosellam sita ciuitas, à Trebeto Nini Babyloniæ regis filio, Abrahami Patriarchæ seculo condita, antiquitate reliquas Germaniæ vrbes omnes superat. Treuiri.

Fundamenta religionis Christianæ in hac ciuitate iecit Maternus, qui & Coloniæ & in Alsatia initium prædicationis euangelij fecit. Materno socium & adiutorem sese præbuit in hoc sancto officij munere S. Eucharius, qui vnus de 72. discipulis Christi fuisse, & Albanæ fœminæ primariæ filium ex morte in vitam reuocasse, eoq́ miraculo permultos ad fidem Christianam conuertisse perhibetur. ob hoc beneficium Albana domum suam ad eum vsum destinauit, vt in ea conuenirent ad audiendum euangelium, quotquot sese ad cœtum illum, qui ecclesia appellatur, aggregassent. dicta fuit postea hæc ipsa domus, cœnobium S. Matthiæ, quod ab Hunnis vnà cum vrbe vastatum, & aliquanto Religio Christiana. Eucharius.

to post ab episcopo Cyrillo instauratum & ampliatum est. Decesit ex hac vita Eucharius, anno Christi 66.

Valerius. *Cum Euchario, vel non multò pòst illum S. Valerius in hac ciuitate Christum prædicauit, & multis per Dei gratiam author ad amplexandam veram religionem extitit, vsque ad annum Christi 93. quo in cœlestem consuetudinem migrauit. Maternus verò vtrumque Eucharium & Valerium ætate superauit, & anno à nato Christo 133. demum mortuus est.*

Secuti sunt continua serie episcopi, qui docendi officium quidem fide & constantia magna exsecuti sunt: sed multi ex ijs à tyrannis & hæreticis interfecti & oppressi sunt. Magna quoque pars auditorum verbi diuini, ad idolorum ethnicorum cultum iterum delapsa est. Fœcundum hoc fuit seculum martyrum sanguine, sub Traiano, Antonino, Seuero, Maximino, Decio; sed quamuis rabiosè sæuierint hostes Christi, delere tamen non potuerunt Christianos. Vnus Rictionarus Diocletiani præfectus tan-

Persecutio Christianorum.

tantam vim sanguinis Christiani profudit, vt Mosella ad miliaria sex martyrum cruore tincta, & putei aliquot cadaueribus eorum completi fuerint.

Anno Christi 330. Agritius Græcus natione, patriarcha Antiochenus ab Helena Constantini Magni matre, cum alijs pijs & eruditis viris ex Oriente Treuiros missus diuulsam & labefactatam tyrannorum furore ecclesiam, tanquam tabulam fractæ nauis collegit, ac reparauit, concionatores in vrbibus & agris collocauit, domos precationis seu templa extruxit, & multa ad propagandum nomen Christi, ab Helena adiutus, ordinauit. Agritius.

Anno Christi 336. Athanasius Alexandria eiectus, impulsu Arrianorum, Treuiros venit, ibiq; exulans apud Maximinū episcopum, symbolum suum composuit. Athanasius.

Circa annum Christi 342. Synodus in hac vrbe fuit, in qua Priscilliani impium dogma à S. Martino & Ambrosio damnatum est. Fuit autem Priscillianus in Galatia episcopus, qui sectam nouam ex Manichæorum & Gnosticorum hæresi conflatam protulit. Synodus. Priscillianus.

Ariani. *Bacchabatur hoc tempore Arianorum furor in cæde & sanguine Christianorum, & miserandum in modum dissipabatur Ecclesia, multiq; doctores orthodoxi in exilium proijciebantur, non pauci etiam occidebantur. Eadem fortuna quoq; S. Paulinum Episcopum Treuirensem exercuit, postquam Arianis sese obiecit, & symbolum Nicenum constantissimè defendit. Ob id enim expulsus est, & in Phrygia martyr factus. Albanus verò & Theonestus Moguntiæ propter confessionem Christi interemti sunt.*

Hieronymus. *Tempore Seueri episcopi Treuiros venit S. Hieronymus studiorum causa: & cum Pelagij hæresis latè serperet: cum S. Germano & Lupo in Angliam abijt, & Pelagianismum illic profligauit.*

Rusticus. *In Rustici episcopi historia reperitur venisse ex Aquitania sacerdotem, nomine* Goarus. *Goarum, qui in pago ad Rhenum ædificauerit precationis domum, & multos ethnicos ad fidem Christianam traduxerit. Rusticus verò voluptatibus deditus oderat Goarum, propter vitæ sanctitatem,*

quā ſe ab eo vinci intelligebat. Accidit aliquando, vt infans inueniretur, cuius parentes ignorabantur. Hic Ruſticus negotium dedit Goaro exquirendi ex infante, qui parentes ipſius eſſent? obſecutus Goarus infantem appellauit in nomine ſanctæ Trinitatis, vt parentes ſuos ederet rogans. Reſpondit infans: Ruſticus eſt meus pater, Flauia verò mea mater. Hoc reſponſo vehementer exhorruit epiſcopus, populus verò non parum commotus eſt. Quare Goarus ſeriò hortatus eſt epiſcopum, vt pœnitentiam ageret. Cui obtemperaturus ille in monaſterium ſeſe abdidit. Francorum verò rex Goaro epiſcopatum Treuirenſem detulit: quem tamen is magno animo à ſe repulit.

Anno Chriſti 456. Romanus præſes Auitus dolo viciauit vxorem Lucij ſenatoris primarij. Hanc iniuriam vindicaturus Lucius, conſilium de liberanda vrbe ex Romanorum poteſtate cœpit. Mox Francorum regem Hildericum ſpe promiſſisq́ induxit, vt cum exercitu Rhenum traijceret, & Romanos inuaderet. Hos Auitus.

etiam fudit, & profligauit, omnemq́ Germaniam & Galliam ad Rhenum sitam in ditionem suam redegit.

Modoaltus. *Anno Christi 606. cœnobium ordinis S. Benedicti fundatum est, Præsule Modoalto, nempe verso Dagoberti Francorum regis palatio in monasterium virginum, quod vocatur ad horrea.*

Tempore Martelli Francorum regis, qui circa annum Christi 716. regnare cœpit, Milo. *Milo archiepiscopatum Treuirensem in se transmouit, expulso Clodolpho. Valuit enim gratia apud regem Martellum, propter successus in bellis, quibus elatus curam Ecclesiæ neglexit. Nihilominus tamen Metensem & Rhemensem episcopatum cum Treuirensi per vicarios gubernauit. Ipse verò rem militarem administrauit.*

Amolarius. *Amolarius Fortunatus, latini ac græci sermonis peritus, facundiaq́ magna præditus, Treuirensis archiepiscopus, à Carolo Magno Constantinopolim legatus fuit missus, vt consuetudinem & amicitiam inter ipsos iungeret.*

Cœpit

Cœpit his regibus Francorum verti episcopatus Treuirensis in archiepiscopatum. Iccirco archiepiscopi deinceps omnes huius ecclesiæ præsules nominantur. Deflexit quoq; in hoc ipso tempore Clerus de curriculo maiorum, sensimq́; eò deductus est, vt, abiecta rei ecclesiasticæ cura, ciuilia negotia tractarit, bella gesserit, & dignitates honoresq́; seculares affectarit. Hinc disciplina collapsa est, exercitationes religiosæ refrixerunt, & luxus accreuit, vsus verò sacrorum in abusus horrendos conuersus est. Quamobrem non accuratè singulos archiepiscopos persequar, sed eos tantum excerpam, qui aliquid memorabile gesserunt. Septemviralis autem dignitas videtur statim ab initio per Othonem autorem ac fundatorem eius ad hunc archiepiscopatum translata esse. Quanquam ordo ille electorum, qui nunc est, seruatus non fuit. Nam anno Christi 1029. VVürceburgi in comitijs affuerunt quidem Odoacer Boiemiæ rex, tres archiepiscopi, Sigefridus Moguntinus, Dithericus Coloniensis, Ioannes Treuirensis, Archiepiscopatus. Septemviralis dignitas.

tres

tres item politici, Henricus Palatinus, Albertus Marchio Brandeburgicus, & Bernhardus princeps Saxoniæ, ſed inter hos multi alij recenſentur eccleſiaſtici & politici, ab Alberto Crantzio lib. 7. Sax. cap. 30. Neq; electores vlli tunc appellantur, neq; ordo aliquis electorum & reliquorum imperij procerum ab eo autore oſtenditur.

In eum quoq; locum res adducta eſt, vt ſi qui archiepiſcopi negligentiùs tractare politica viſi ſunt, in odium cleri incurrerint, vel omnino etiam repudiati ſint. Chonon. *Quod accidit S. Chononi Sueuo, qui à ſubditis ſuis in cuſtodiam datus eſt, tandemq́; de monte alto præcipitatus, anno Chriſti 1066.*

Bruno. *Bruno de Francica familia primas Galliæ nominatur: Poſt hunc Godefridus archiepiſcopatum adeptus, ſponte ceßit, ferre ſeſe clericorum mores impios non poſſe dictitans. Succeſſor verò eius Meginbertus cum correctionem clericorum ſuſcepiſſet, totus inuiſus eſt illis factus. Et cum Romam propterea accitus proficiſceretur, in itinere interfectus eſt ab eo, quem excommunicarat.*

Ad-

Admixti tamen malis aliqui fuerunt probi præsules & sacerdotes, qui literarum doctrinam coluerunt, liberalitatem erga egenos exercuerunt, & quæ recta iustaq; sunt, defenderunt. Ex hac bene longa successione archiepiscopi Treuirenses extiterunt centum & octo.

Anno Christi 1568. Iacobus archiepiscopus in profesto pentecostes arma in Treuirenses expediuit, eorum vaccas, oues, & alia pecora abegit, vrbem denique nihil tale metuentem improuisò circumsedit, aquam fontanam illi ademit, & quibuscunque potuit modis, incommodauit. Causa alia non erat, nisi quod non sibi solùm, sed etiam antecessori suo Ioanni de Layen, multa de iurisdictione sua detracta esse à ciuitate archiepiscopus querebatur. Vendicabat enim is sibi omnem potestatem & iurisdictionē ciuitatis, iusiurandum, collectarum impositionem, senatus constitutionem, claues, executionem, & alia his annexa exigebat. Treuirenses in has adducti angustias, Cameræ imperialis opem implorarunt, & mandatum quidem de Bellum Treuirense. Causa belli.

soluen-

ſoluenda obſidione impetrarunt, ſed preſſi ſunt nihilominus obſidione vſq; ad nonum diem Auguſti, quo imperator, & principes electores Rhenani, ne longius ſerperet malum & ad perniciem vicinorum, quemadmodum cœperat, laberetur, controuerſiam hoc modo diremerunt: vt archiepiſcopus in primis caueret ciuitati, ſe nullam moleſtiam corporibus & bonis ciuium eſſe exhibiturum: ciuitas verò archiepiſcopum cum duobus ſignis peditum, & cum quibuſdam equitibus intromitteret, deinde vt capitanei Cæſaris commiſſario & legatis electorum fidem obedientiamq; promitterent: tum vt ciues ita ſe aduerſus archiepiſcopum gererent, vt nullam cauſam commorandi in vrbe inueniret. Poſtremò, vt controuerſia æquo iure diſceptaretur, ab vtraq; parte iuridici proceſſus formula concepta. Mortuo Iacobo ſucceſſit Ioannes Schoneburgius, anno Chriſti 1581.

Raz.

TREVIRENSIS

ARCHIEPISCOPATVS

ſuffraganei ſunt.

Meten-

METENSIS, *cuius antistes primus fuit S. Clemens, apostoli Pauli comes, quem exceperunt ordine Celestinus, Felix, & alij, vsque ad Carolum Lotharingiæ ducem, & Cardinalem, qui hoc tempore diœcesin administrat.* item: Metensis.

Virdunensis, cuius præsul primus fuit Sanctinus, circa annum Christi 150. cui successerunt serie continua alij vsque ad annum Christi 1525. quo Ioannes Lotharingus Cardinalis præsul Virdunensis designatus est, & post eum Nicolaus Psaulme, anno Christi 1548. canonici iuris Doctor. item: Virdunensis.

Dolanus ad Mosellam, cuius antistes primus extitit S. Mansuetus, S. Petri discipulus, qui tametsi successores suos habuit, tamen episcopatus multos annos præsulibus vacauit. Tull.

DE RELIQVIS EPISCOPATIBVS in imperio.

E*TSI tres archiepiscopatus summatim hactenus descripti, propter electora-*

lem

lem dignitatem, quæ ad eos translata est, reliquis præferuntur: tamen septem numerantur metropoles, siue sedes archiepiscoporum primariæ in Germania, Moguntina, Coloniensis, Treuirensis, Magdeburgensis, Salisburgensis, Bremensis, Rigensis. Bambergensis verò episcopatus nulli subiectus, liber ex omni parte existit, nec superiorem agnoscit, præter Rom. pontificem. Cuiq; porrò metropoli siue archiepiscopatui subsunt aliqui episcopatus, tanquam suffraganei: Moguntino quidem duodecim, Coloniensi quinque, Treuirensi tres, Magdeburgensi quinque, Bremensi itidem quinque, Rigensi quatuor, de quibus ordine explicandum post.

Septem metropoles.

MAGDEBVRGENSIS ARCHIEPISCOPATVS.

Situs.

SItus est hic archiepiscopatus ad Albim, in veteri vrbe Magdeburga, quã Drusus ab Augusto Cæsare in Germaniam cum exercitu paulò ante natum Christum missus extruxit, in eaq; limitaneos siue riparenses milites tanquam in præsidio collocauit.

cauit. Ac quia Romani Venerem coluerunt, etiam in hac vrbe Venus coli cœpta est, ab eaq; tanquam patrona vrbs ipsa nomen adepta, vt Parthenopyrga, Parthenope, vel Parthenopolis, hoc est, Virginis siue Veneris πύργ☉ *castellum siue vrbs appelletur. Hæc deuictis Saxonibus VVitikindo I. Saxonum duci, à Carolo Magno data est ea conditione, vt iurisdictioni diœceseos Salingstadensis subiecta esset. Post Carolum Magnum Otho primus, circa annum Christi 940. miserè à Slauis vel à Vandalis, vt Cranzius ait, direptam ac vastatam vrbem reparauit, ampliauit, & quæ perficere non potuit, ea suis impensis ab episcopo Gerone absoluenda reliquit.* Nomen.

Primùm autem fundauit Otho Magnus imperator monasterium ordinis S. Benedicti, eo in loco, vbi nunc templum est Cathedrale, idq; immunitatibus, priuilegijs, ac reditibus amplis donauit. Ad gubernationem verò illius Annonem virum eruditum, ex Treuirensi cœnobio ad S. Maximinum accersiuit, eiq; curam & in- Monasteriū S. Benedicti.

spectionem religionis, studiorum & morum commendauit, vt in eo erudirentur atq; instruerentur iuniores ad ministerium ecclesiæ & scholarum in hoc toto tractu ad Albim, indeq; prodirent viri docti, quorum vsus esse in propaganda atq; tuenda doctrina salutari posset. Cœnobium verò illud circa annum Christi 965. in collem, qui est extra vrbem, translatum est, ex quo Bergense monasterium appellatur. Quin ciuitatem etiam ipsam idem imperator priuilegijs præclarè ornauit. Et cum Vngaris apud Augustam vrbem ad Lycum fluuium congressurus, Deo, & S. Mauritio vouisse dicitur, si victor euaderet, ecclesiam Cathedralem se conditurum Magdeburgi, & S. Mauritio consecraturum: vtpote quem milites, imperatore absente, in Italia offendissent, violato ipsius templo.

Monasterium Bergense.

S. Mauritius.

Etsi autem Bernhardus Halberstadensis præsul impedire hos Cæsaris conatus voluit, ne videlicet inferiore loco esse, quàm Magdeburgensis archiepiscopus futurus erat, videretur, tamen cohibitus est

est à Cæsare, & custodiæ traditus Quelinburgi. In custodia indutus infulæ & pedo, Cæsarem precibus allectum excommunicauit. Cæsar primùm has diras non magnifecit: tandem tamen, nescio qua animi affectione permotus, episcopum dimisit, & indutus pannis, sine calceis absolutionem ab eo petijt. Absolutum Cæsarem veneratus quidem est episcopus cum suo clero: sed pœnitentiæ tamen loco hoc ei imposuit, ne vnquam auderet episcopatum in diœcesi Halberstadensi condere. Sic retardata est ædificatio Cathedralis templi Magdeburgici, quoad vixit Bernhardus Halberstadiensis episcopus. Post mortem verò illius, cum Romæ adhuc esset Cæsar, nouum episcopum Halberstadensem, nomine Hildevvardum, aduocauit, eiusq́; consensum, quemadmodum & Pontificis Romani in condendo archiepiscopatu impetrauit. Hic episcopus Hildevvardus etiam partem aliquam de suo episcopatu ad hunc nouum archiepiscopatum transtulit. Tum ea etiam quæ à Carolo Magno episcopatui Vallerslebiensi

Episcopus Halberstad. obsistit Othoni imperat.

Fundatio ecclesiæ Cathedralis.

donata erant, eidem archiepiscopatui Magdeburgensi adiecta sunt. Ita non opibus solùm creuit Magdeburgensis archiepiscopatus, sed dignitatibus etiam & honoribus ab imperatore adeò auctus est, vt archipræsul Magdeburgicus non tantùm caput Saxonicarum & Slauicarum ecclesiarum habeatur, sed etiam primas Germaniæ, & metropolitanus, quem reliqui episcopi in Germania spectent, & in rebus dubijs consulant, nominetur.

Primas Germaniæ.

S. Mauritius patronus Magdeburgens.

Cathedrale autem templum, quod Otho ædificauit anno Christi 1208. exustum est & postea de integro extructum, Mauritioq́; dicatum. Ex quo etiam patronus illius ecclesiæ S. Mauritius, vtpote qui vnus (fuit) de legione Thebana, quam Maximinus Cæsar propter constantem Iesu Christi professionem occidit, habetur. Anno Christi 968. Otho Cæsar ex monasterio S. Maximini, quod est Treuiri euocauit Adelbertum, eiq́; archiepiscopi Magdeburgensis officium commendauit, qui etiam accepto pallio, ab archipræsule Moguntino inuestitus est. Ad hunc modum fundato &

Adelbertus I. archipræsul Magdeburgens.

to & nouendecim tonnis auri locupletato archiepiscopatu, è vita excessit Otho imperator, anno Christi 974. Cuius successor & filius Otho II. capitulo liberam potestatem eligendi præsulem, & aliquot oppida dedit.

Secundus archiepiscopus Magdeburgensis Giselarius, anno Christi 981. electus est, qui episcopatum Merseburgensem quoque gubernauit. Hic adiutus à Dynastis Saxonicis 30754. Slauos diœcesin Hauelbergensem, Brandeburgensem, & Cizensem diripientes fudit. Accusatus Simoniæ ab Othone imperatore tertio, quod duos episcopatus in se transmouisset, quod ante illud tempus inauditum in Germania erat, non comparuit morbum simulans. Giselarius.

III. Archipræsul Daganus, anno Christi 1004. magnam accessionem attulit ad episcopatum, templum Cathedrale absoluit, & ex monachis qui tunc erant, veros canonicos & capitulares effecit. Cæsar verò reliquias S. Mauritij ex cœnobio Bergensi in templum Cathedrale in summo frigore nudatis pedibus importauit, & ar- Daganus. Canonici.

Gebichenstein. *cem prouinciamq; Gebichenstein ad Halam archiepiscopo tradidit.*

VValcherus. *IV. VValtherus primus ex capitularibus ad hoc officij munus delectus, anno Christi 1014. hebdomadibus octo præfuit.*

Gero. *V. Gero à Cæsare contra voluntatem canonicorum ascitus, anno Christi 1016. Bernhardum marchionem Brandeburgicum excommunicauit, propterea quod quendam nobilem, quem amabat archiepiscopus, cœpit, & oculis priuauit, de quo infra in historia marchionum Brandeburgicorum. Mœnia quoq; vrbis ab Othone Cæsare incoata absoluit. Mortuus anno Christi 1024.*

Hunfridus. *VI. Hunfridus, Henrici imperatoris diaconus, anno Christi 1024. chorum cathedralis ecclesiæ ampliauit, & exornauit, canonicorum census auxit, & multis partibus agrorum à Cæsare acceptis diœcesin locupletauit. Templa item S. Petri, Pauli, & Nicolai, in noua vrbe ab imo extruxit. Controuersiam denique de finibus cum ecclesia Halberstadensi sic composuit, vt Capitulo Halberstadensi ad 22.*

ecclesias cum pagis eodem pertinentibus, & alia complura assignarit & tribuerit, quæ antea ad Magdeburgensem diœcesin pertinebant.

VII. Engelhardus, Henrici imp. III. diaconus, anno Christi 1052. primus Magdeburgi mortuus & sepultus est, anno Christi 1063. Engelhardus.

VIII. VVernerus comes & Dominus in Sonnenberg in Sueuia, à Cæsare inuitis canonicis obtrusus: tandem fugiens ex prælio Cæsaris Henrici IV. cum Rudolpho Sueuo, imperij æmulo, perijt ad fluuium Vnstrotum, anno Christi 1080. VVernerus.

IX. Hardeuicus ex Franciæ ducum familia anno Christi 1079. Hardeuicus.

X. Henricus, anno Christi 1102. Henricus.

XI. Adelgotus comes à Loë, autor fuit comiti à Reuingen, vt se mundo abdicaret, & suscepto ordine sacro, omnia bona Deo consecraret. Hæc bona, anno Christi 1116. ab Adelgoto ad ædificationem monasterij noui operis ante Halam collata sunt, Xenodochium in vrbe condidit, & reditibus munijt. Quin eleemo- Adelgotus.

synas etiam in capitulo fundauit, vt singulis diebus ieiunij centum panes & totidem canthari cereuisiæ centum pauperibus distribuerentur. Census peculiares destinauit ad celebrandum singulis annis festum omnium animarum.

Rutgerus. *XII. Rutgerus, ex Velthemensium familia, anno Chr. 1119. à capitulo electus.*

Nortbertus. *XIII. Nortbertus, nobili loco natus, à Cæsare ordinatus contra tres alios à dissentientibus canonicis electus. Hic Lotharium imperatorem in Italiam secutus, facundia sua admirabili magnum autoritatem sibi comparauit, & Romæ dissidium inter duos pontifices, Innocentium*

Primaa Germaniæ. *II. & Anacletum composuit. Ex quo titulum primatis Germaniæ adeptus, ad omnes consequentes archipræsules Magdeburgicos illum propagauit.*

Cunradus. *XIV. Cunradus comes Querfurtensis capitulo donauit partes agrorum seu mansos octo, & villam insuper cum mansis quatuor.*

Fridericus. *XV. Fridericus frater Timonis, VVetini comitis, anno Christi 1143.*

VVich-

XVI. *VVichmannus comes à Seburg in Bauaria, diœcesin multis oppidis auxit. Primus esse dicitur, qui monetam maiorem cuderit. Bella quoq; gessit, bonaq; per illud parta capitulo adiecit.* VVichmannus.

XVII. *Ludolphus humili quidem loco natus, sed eruditus, à canonicis electus, à Cæsare verò confirmatus, anno Christi 1194. Emta quædam oppida capitulo attribuit, & de ciuibus Magdeburgicis bene mereri studuit. Philippum imperatorem in bello contra Othonem Brunsuicensem ducem eum, quem pontifex Cæsarem salutarat, fideliter adiuuit. Iccirco imperator censum remisit capitulo, quem quotannis imperio debebat.* Ludolphus.

XVIII. *Albertus comes Kirbergensis, anno Christi 1209. à pontifice ipso inuestitus, & Cardinalis creatus atque renunciatus, templum exustum reparauit, & ornatius ampliusq; multò effecit, quàm fuerat. Autor est etiam missæ solennis, quæ dominicalis, germanicè* Herrenmesse/ *quod non à vicarijs, sed à dominis siue canonicis ipsis celebrata sit, nomi-* Albertus Cardinalis. Herrnmesse.

nata est. Excommunicauit pontificis Romani iussu Othonem Cæsarem, cum eoq; signa contulit, & amissis in prælio multis equestris ordinis hominibus succubuit, & vix per fugam elapsus est. Paulò pòst captus Gronbergam abductus est, sed liberatus à ciuibus Magdeburgensibus, & Burggrauio Burckhardo nobili domino in Querfurt. Otho autem insecutus illum damni multum diœcesi Magdeburgensi dedit.

Stasfurtum. *Mortuo Othone, Fridericus imperator Stasfurtum capitulo donauit, vt esset compensatio acceptorum in bello detrimentorum. Sub hoc archiepiscopo ordines fratrum minorum, Franciscanorum, item Paulinorum, & prædicatorum monachorum, tum pœnitentium quoq; virginum Magdeburgi sedem rerum ac fortunarum suarum collocarunt.*

Burckhardus. *XIX. Burckhardus, Archiepiscopus fuit, qui anno Christi 1237. mortuus est.*

Hildebrandus. *XX. Hildebrandus vel VVildbrandus, comes Kirbergi in Duringia, oppida Crosig, Lebus & Biliz, capitulo adiunxit. Bellum gessit primùm cum Ludolpho episcopo*

ſcopo Halberſtadenſi aduerſus Othonem Marchionem Brandeburgicum: quem etiam cepit & marcis argenti 1600. multauit. Deinde contra Ioannem & Othonem fratres, Brandeburgicos marchiones, à quibus captus eſt Halberſtadenſis cum 60. nobilibus. Ipſe verò Magdeburgenſis vulneribus acceptis fuga ſalutem petijt. Anno deinde 1244. denuò adortus marchionem hic archipræſul, fuſus eſt & cauſam multarum direptionum & exuſtionum dedit.

XXI. Rudolphus à Dingelſtet comitatum Aluensleben, diœceſi ſubiecit. Rudolphus.

XXII. Rupertus comes Mansfeldenſis, Rupertus. anno Chriſti 1260. à pontifice inueſtitus Romæ, Iudæos in feſto tabernaculorum oppreſsit, & 600000. argenti marcis emunxit. Ab Halenſi item ſenatu ſummam pecuniæ magnam exegit, propterea quod non paſſus fuerat ipſum cum Iudæis agere, quemadmodum conſtituerat, Zorbecum Zorbecum. etiam capitulo ſubiecit.

XXIII. Conradus Baro à Sternberg in Conradus. Boiemia, anno Chriſti 1268. conclaue auli-

aulicum magnum in ſede archiepiſcopali dicitur condidiſſe, donatis ad id lignis à Boiemorum rege.

Guntherus. XXIV. Guntherus comes à Sualenberg, vnum duntaxat annum rebus præfuit. Aemulum habuit Ericum marchionem Brandeburgicum, quem etiam hoſtilem in modum diœceſin Magdeburgicam inuadentem fudit, cepitq́ꝫ cum trecentis nobilibus, tum marcas 7000. pendere coëgit. Quam memoriam ne qua deleret obliuio, quotannis eleemoſynæ omnibus monaſterÿs & pauperibus eo die impertitæ ſunt.

Bernhardus. XXV. Bernhardus comes à VVelpe, bellis implicatus mala multa perpeſſus eſt.

Ericus. XXVI. Ericus marchio Brandeburgicus, anno Chriſti 1283. oppugnauit Harlingpurgum, ſed captus neqꝫ à capitulo, neqꝫ à fratre, neqꝫ à prouincialibus impetrare potuit, vt liberaretur. Tandem verò ſenatus Magdeburgenſis perſolutis argenti marcis quingentis eum redemit. Quam ſummam poſtea grato animo archiepiſcopus reddidit. Vendidit fratri ſuo

Luſatia. Marchiam Luſatiam conſentiente capitulo,

tulo, eoq́ modo illa ab archiepiscopatu Magdeburgensi alienata est. Sub hoc archipræsule nempe anno Christi 1294. Burggrauiatus Magdeburgensis venditus est ciuibus ab Alberto III. electore Saxoniæ, duce VVestphaliæ, & Angriæ, comite Brenæ, & Burggrauio Magdeburgensi, marcis argenti 3000. vel, vt alij ponunt, 9000. archiepiscopatuiq́ tributus ea conditione, vt sine consensu ciuium nulli concederetur. Burggrauiatus venditus.

Sunt autem quatuor Burggrauiatus imperij, quorum vnus est hic Magdeburgi institutus primùm in arte, cui Burggrauius quidam præfuit, inde à tempore Othonis Magni & Edita eius coniugis.

XXVII. Burcardus comes à Blanckenburg, anno Christi 1295. pius, æquus, & sanctus, qui malos spiritus piscatoribus & nautis in Albi infestos pepulit, locumq́ tranquillum & tutum reddidit. Ex quo stagnum illud sanctum appellari cœpit. In pauperes & clericos eximia liberalitate vsus est, adeò vt eos sæpe ad mensam suam adhibuerit. In conuentibus missam ipsemet plerumq́ administrauit. Burcardus.

Henricus. *XXVIII. Henricus princeps Anhaldinus, anno Christi 1304. de clauibus portæ cuiusdam cum senatu contendit quidem, sed nihil, senatu sibi eas vendicante, profecit.*

Burcardus. *XXIX. Burcardus à Schrapelau, anno Christi 1307. incommodauit ciuitati quantum potuit, census eius in agris inhibuit, & vrbem ipsam circumsedit, atque oppugnauit, adiutus à Marchione Misniæ, Friderico Seuero, duce Brunsuicensi, comitibus Mansfeldiacis, comitibus à Querfurt, & episcopo Cizensi. Obsessi ad hunc modum Magdeburgenses adeò nihil sibi timuerunt, vt quotidie portas aperuerint, & principibus dominisque, qui in castris erant, nunciare iusserint, se petere, vt ne statim discederent, sed si quid eos deficeret, in vrbem mitterent, idque precio tanto, quanto ciuibus diuenderetur, auferrent. Quin saluum etiam commeatum omnibus vrbem ingredi cupientibus permittebant. Cum iam hebdomades ferme quatuor durasset obsidio, petijt Marchio potestatem inspiciendi vrbem sibi dari.*

Obsidio Magdeb.

Data

Data est, acceptusq́ is honorificè, donatus vino, & cum omnia lustrasset, reuersus est ad archiepiscopum in castra: vastam esse, inquiens, vrbem dixisti: at ego bene cultam, omnibusq́ rebus instructam reperi. Itaque dementia fuerit diutius hîc commorari. Nihil enim efficere poterimus. Mox collectis vasis discessit, nec ita multò pòst reliqui etiam belli socij, intellecta archiepiscopi improbitate, abierunt. Tandem ipse etiam insanus bellator archipræsul obsidionem soluit. Controuersia deinde omnis inter ipsum & ciuitatem à VVoldemaro, Brandeburgico Marchione & electore composita est. Inter cætera etiam hoc cautum est, vt archiepiscopus arces recentes demoliretur, & in posterum neq; ipse neq; successores eius vllo tempore vllum castrum intra duo milia-ria ab vrbe extruerent. Burcardus verò hæc pacta & promissa non seruauit, sed ciuibus quibuscunq; rebus potuit, nocere perrexit, tum castrum etiam Salzæ ædificauit, & vectigal magnum exegit de omnibus quæ præterueherentur. Castrum

deni-

deniq; ad Albim extruxit, vt ciuibus ægrè faceret, pecudes eorum eripuit, & alia detrimenta multa rebus eorum attulit. Est igitur captus à ciuibus & in curia, libera tamen custodia detentus hebdomadas tres. Ex qua cum liberare eum nemo vellet, tandem ipse hanc conditionem tulit, vt in corpus domini iurans dimitteretur. Non multò pòst à pontifice absolutionem à religione iurisiurandi impetrauit, & ciuitati excommunicationis fulmen minatus est: quod tamen ipsa datis 1000. argenti marcis impediuit. Is verò accepta pecunia iterum minatus est excommunicationem, & Romæ petendam esse absolutionem indicauit. Quo cum profecti essent quidam à ciuitate legati, in itinere capti vix incolumes euasere. Anno Christi 1321. denuo exarsit & erupit ingens dissidium inter archipræsulem & ciuitatem, in quo crudelem in modum sese episcopus gessit, & inimicos penè ordines cunctos cœpit. Sed iterum interposita est pacificatio: à qua tamen non multò pòst episcopus recessit. Iccirco vicini comites

Episcopus iurat in corpus domini.

cum

cum Magdeburgensibus communi iure ciuitatis aduersus eum sese coniunxerunt. Cum autem is in vrbem venisset, in aula sua primùm custoditus est, deinde in curiam ductus. Vbi inebriauit custodes, sperans se clam aufugiturum esse. Idq́ etiam dormientibus custodibus tentauit, sed experrecti illi in fuga eum oppresserunt, vnde mortuus est. Mors eius tametsi annum integrum celata fuit; tamen tandem patefacta est, & propterea excommunicati à pontifice Magdeburgenses, à Cæsare quidem, qui & ipse excommunicatus erat, dato diplomate, cædis tanquam iure factæ absoluti sunt. Pontifex verò tandem per prouinciales prædicatorij & Augustiniani ordinis eos absoluit, ea conditione, vt sex altaria & vnum sacellum super locum, in quo occisus erat episcopus, cum reditibus necessarijs fundarent. In hac reconciliatione etiam id cautum fuit, vt deinceps, quoties nouus archiepiscopus crearetur, ciues illi fidem darent, & ipse viciſsim datis literis promitteret, se omnia

Archiepiscopus interfectus.

Cautio de iure ciuitatis.

H iura,

iura, priuilegia, consuetudinesq́ue ciuitati integra esse permissurum. Neque tamen id satis fuit pontifici, sed insuper etiam senatores, qui tempore cædis fuerant, anno uno exulare oportuit.

Heideccus. *XXX. Heideccus ab Erpe canonici iuris doctor, anno Christi 1327. qui Romæ petiturus pallium in itinere mortuus est.*

Otho. *XXXI. Otho Hassiæ Landgrauius à pontifice ipso Auinione inauguratus sedauit discordiam inter opulentos & plebem, occupauit unà cum ciuibus Rideburgum Marchionis Misniæ castellum ad Halam, tum Schrapelauiam Marchionis, Scheiningam verò ducis Brunsuicensis.* Scheininga. *Recuperauit etiam Aluenslebiam & Hundesburgum à duce Brunsuicensi per vim occupatum.*

Theodoricus. *XXXII. Theodoricus, qui reuersalibus literis ciuitati de libertate & iure suo cauit, oppignorata oppida, pagos & vectigalia redemit, arcem Gebichenstein collapsam reparauit, bellum gessit contra Gerardum episcopum Hildesheimensem, adiutus à ciuibus Magdeburgicis: in quo*

tamen

tamen bello victus est, licet vexillum S. Mauritij præsto fuerit. Quod sic excusatum est: vexillum D. Mauritij suffragatur non ad inuadendum, sed ad defendendum. Captiuos ab episcopo Hildesheimensi redemit marcis 6000. Liberalem sese præbuit valde, & multis multa legauit. Vexillum S. Mauritij.

XXXIII. Albertus comes à Sternberg ex Boiemia, anno Christi 1368. in ciues fastidiosus fuit, oneraq; multa illis imposuit. Iccirco vicissim despectus est ab illis. Hinc vastitas in agris secuta est, desertæq; & incultæ sunt relictæ villæ. Lusatiam de consensu canonicorum marcis 6000. Cæsari vendidit, multa oppida oppignorauit, triennioq; exacto ad episcopatum Litomislensem rediit. Albertus. Lusatia vendita.

XXXIV. Petrus de Bruma Schonbecum & VVanschlebiam arces emit & sacellum S. Gangolpho ædificauit. Petrus de Bruma.

XXXV. Ludouicus Marchio Misniæ anno Christi 1381. qui vt archiepiscopatum Moguntinensem obtineret, administrator Magdeburgensis ecclesiæ nominari voluit, idq; à Pontifice etiam impetrauit. Ludouicus.

Ciuitas quidem fidem ei iurare recusauit, sed tandem tamen dedit. Ingressus est urbem cum mille equis. Anno Christi 1382. bacchanalia cum principibus multis peregit Calbæ. Sequente verò die, cum in curia Magdeburgensi saltatio haberetur, incendium extitit, hominesq́ certatim descenderunt, gradus conciderunt, & quanquam penè trecenti homines lapsi sint, tamen euaserunt, solo episcopo cum aliis duobus pereunte.

Episcopus in saltatione perit.

Fridericus.

XXXVI. Fridericus ab Hoim paucos menses præfuit.

Albertus.

XXXVII. Albertus comes à Quernfurt, anno Christi 1383. cum ciuibus expugnauit Bircauium, ex quo multum detrimenti afferebatur ciuitati. Iccirco destructum & exustum est. Ipso absente à Rudolpho Saxoniæ duce hostiliter inuadebatur diœcesis. Quamobrem coniunxerunt sese capitulum & ciues Magdeburgenses, ditionemq́ Saxoniæ ducis vicissim populati sunt. Tandem ad manus pugnamq́ res venit, Saxoniæ verò dux victoriam reportauit, multosq́ cepit, quos archie-

archiepiscopus domum reuersus redemit: Magdeburgicorum tamen ciuium rationem nullam habuit. Proinde oportuit ciuitatem ipsam suos captiuos redimere. Cœperat hic archipræsul marcæ precium augere, quo cum onerarentur subditi, ciuitas capitulo indicauit, se tueri ipsum, si periculum inde procrearetur, non posse. Qua voce perculsi canonici ex vrbe discesserunt, donec controuersia componeretur. Orta est alia controuersia inter præpositum capituli & ciuitatem de pascuis, decimis, & alijs, quæ tamen sedata est à Gunthero comite Schvvartzburgico. Anno Christi 1402 concitatus est tumultus in vrbe Magdeburga, ob monetam, in quo aliqua exusta sunt à plebe seditiosa, senatus abdicatus, & alia temerè acta. Hæc res capitulo causam dedit interdicendi ciuibus vsu diuinorum, additæq; sunt minæ de excommunicatione. Sed tandem interponentibus sese in pacificationem Gunthero comite Schvvartzburgico, & Ioanne comite Querfurtensi, lis diremta est. Tumultus Magdebur.

XXXVIII. Guntherus comes Schvvartzburgi- Guntherus.

 burgi-

burgicus, anno Christi 1403. bellum gessit contra principes Anhaldinos, ad quod ciuitas centum armatos equites expediuit. Circumsedit etiam oppidum Kôten Anhaldinæ ditionis: sed destitit interponente autoritatem suam Saxoniæ duce. Expugnauit & solo æquauit Hartzburgum, cœpit arcem Plauensem & Hundelufftum. Hoc præsule Albertus Saxoniæ dux, Gommern oppignoratum Magdeburgicis. *oppignorauit Magdeburgicis, Gommern & Elmenau, pro 5000. sexagenis probæ monetæ Pragensis. Obstitit idem præsul ciuitati munire vrbem cupienti. Quo edicto commoti Magdeburgenses opem à Marchione Brandeburgico Ioanne, duce Brunsuigi Henrico, & vicinis ciuitatibus* Bellum. *Brunsuiga, Hala, Quedlinburga, Ascherslebia, Zeruesta, petebant. Exardescente bello Magdeburgenses eripiebant præsuli Bidenburgum & nouam vrbem. Capiebant etiam arcem Tucham, Calbam, Stasfurtum, Saltzam, & alia. Præsul contrà in concilio Basiliensi apud Pontificem & Cæsarem obtinebat edictum de restitutione in integrum. Verùm illi multò plura*

oppida occupabant, nec excommunicationem aut proscriptionem vllam pertimescebant. Tandem interponentibus autoritatem suam nonnullis principibus, certamen compositum est, excommunicationisq; ac proscriptionis vinculum triennale solutum.

XXXIX. Fridericus comes Bichlingensis, anno Christi 1445. suscepit reformationem monachorum in cœnobio S. Pauli. Huic bellum inferre cogitarat Fridericus Saxoniæ dux: qui tamen ante susceptam expeditionem speculatorem emisit, vt cognosceret, quomodo præsul ad bellum sese pararet. Hic cum principi suo renunciaret, quiescere episcopum, ecclesiasticum munus administrare, & nihil hostile metuere, sed Deo rem omnem committere: deposuit arma etiam ipse princeps, amens sim, inquiens, si huic bellum faciam, qui Deo confidit, & bellum committit.

Fridericus.

Bellum silentio & spe auxilij diuini sedatum.

XL. Ioannes dux Bauariæ, Palatinus Rheni anno Christi 1464. ingressus est diœcesin cum 2000. equis, multis principibus, & comitibus. Præbuit ciuitati lo-

Ioannes

cum eum, in quo fossæ sunt, inter veterem & nouam vrbem versus Albim, vsq; ad portam, quæ Kröckenthor *appellatur.*

Ernestus. *XLI. Ernestus Saxoniæ dux, anno Christi 1476. vrbem ingressus est cum equis 4000. Postea anno Christi 1479. etiam administrator diœcesis Halberstadensis factus est. Princeps æquus & commodus. Concitata quidem erat quædam inter ipsum & ciuitatem dissensio, sed maturè per Albertum Saxoniæ ducem sopita & sublata est. Iudæos in diœcesi passim habitantes eiecit, & pagum eorum in Sudenburgo situm destruxit. Accidit quodam sabbato, vt Iudæorum quispiam in cloacam inciderit. Quem cum ipsi religione impediti, extrahere nollent, præsul vetuit, ne sequente die dominica inde liberaretur: ne videlicet inferius videretur Christianorum Sabbatum, quàm Iudæorum. Ita biduum in cloaca mansit Iudæus. Cum morbo graui affectus esset hic archiepiscopus, venerunt ad eum Minoritæ monachi, & omnia sua merita ei prolixè obtulerunt. Quibus respondit, carissimi domi-*

Iudæus biduum in cloaca relictus.

Merita humana nihil ad iustificationem.

domini, ad nullam rem vtilia ſunt omnia veſtra merita & opera: nihilq́ iſtorum ego mihi poſtulo. Opera domini mei Ieſu Chriſti ſola ſufficiunt. In hac ſententia etiam perſeuerauit & è vita migrauit.

XLII. Albertus Marchio Brandeburgicus Ioannis filius, ingreſſus cum 2000. equitibus & à vicinis ſuffraganeis Merſepurgenſi, Brandeburgenſi, Lebuſienſi ſolenniter inauguratus anno Christi 1513. Incidit in hæc tempora eccleſiæ reformatio per Martinum Lutherum. Itaq́ anno Chriſti 1524. à conſule Nicolao Sturmio, & quibuſdam alijs vocatus eſt. Magdeburgum Martinus Lutherus, qui concionem illic habuit, & Nicolaum Amsdorffium reformatam religionem amantibus commendauit. Amsdorffius igitur, eccleſiæ præfectus annos octodecim ibi manſit, & bonam vtilemq́ operam in emendanda eccleſiæ doctrina & ritibus nauauit. His initijs orſum euangelij præconium progreſſus lætos habuit, & vrbem totam compleuit. Non ita multò pòſt anno ſcilicet 1539. etiam archiepiſcopus

Albertus.

Reformatio eccleſiæ.

Amsdorffius.

ipse Albertus subditis ciuitatibus & nobilitati in diœcesi Magdeburgensi & Halberstadensi liberam professionem doctrinæ repurgatæ concessit.

Ioannes Albertus.

XLIII. Ioannes Albertus Marchio Brandeburgicus, anno Christi 1545. sub quo exarsit graue dissidium inter capitulum & ciuitatem, adeo quidem vt canonici à ciuitate timentes cum thesauris & ornatu ecclesiastico aufugerint, & annos tres cum dimidio extra vrbem vixerint. Interim verò querelis grauibus & assiduis Cæsarem, ad proscribendum Magdepurgum impulerunt. Tum ad societatem etiam allexerunt principes quotquot potuerunt, vt plus roboris ad oppugnandam ciuitatem acquirerent. Senatus vicissim capitulo & fœderatis eius renunciauit, formulamq́ue renunciationis publicè in templo cathedrali & alijs affixit. Tum templum etiam cathedrale ipsum cum quibusdam castellis, oppidis, & vicis occupauit. Interim verò vrbem omnibus rebus necessarijs muniuit. Quanquam postea scripto publico facti sui rationem reddidit, quod

Causæ & semina Magdepurgici.

quod non retinendi, sed necessitatis causa occupasset, & quidem belli tempore, ne in exterorum manus aut potestatem venirent. Reddere verò paratum se esse ostendebat. Proscripta autem est ciuitas primum Augustæ in comitijs anno C. 1547. iterum verò an. 1549. propterea quod decretum religionis à Cæsare euulgatum repudiasset. Ita autem exaggerata est proscriptio, vt mandaretur vicinis principibus atq; ordinibus, vt quacunq; ratione possent, ciuitati nocerent. Deinde anno 1550. totum imperium ad oppugnandum Magdeburgum incensum est atq; concitatum. Indeq; obsidio secuta annum vnū & hebdomades septem durauit, à quarto die octobris anni 50. vsque ad tertium Nouembris anni 1551. Quo tempore bene longo & supra modum difficili Magdepurgenses memorabili exemplo docuerunt quid constantia in causa pia & honesta posit. Constantia Magdepur.

XLIV. Fridericus Marchio Brandepurgicus anno Christi 1552. quo etiam mortuus est. Fridericus.

XLV. Si-

Sigismund.

XLV. Sigismundus Marchio Brandepurgicus anno Christi 1553. primus confeßionem Augustanam in templum cathedrale inuexit, & adiutus à Ioachimo Marchione & electore Brandepurgico, omnem controuersiam, quæ reliqua erat ex bello inter capitulum & ciuitatem, composuit, annoq́ 1564. dispositis limitibus, iurisdictionem episcopi & ciuitatis disterminauit.

Ioach. Fridericus.

XLVI. Ioachimus Fridericus Marchio Brandepurgicus administrator postulatus anno Christi 1566. templum cathedrale annis penè viginti clausum, dominica aduentus Domini, aperuit. Et anno 1567. concionatoribus secundum Augustanæ confeßionis formulam ecclesiasticum ministerium commendauit. Sequente anno 1570. per totam diœcesin papisticos abusus aboleuit, & reformatam religionem inuexit. Anno deinde 1577. Augustus Saxoniæ dux & elector ceßit huic postulato administratori iure eo, quod à Carolo V. imperatore ad Mauritium Saxoniæ ducem & electorem belli tempore, in diœcesi & vr-

& vrbe Magdepurga translatum erat. Exceptus tamen est nominatim titulus Burggrauij Magdepurgensis, & possessiones quædam ad dignitatem Burggrauij pertinentes, quas sibi, omnibusq; suis hæredibus reseruauit. In his etiam est Gommerensis præfectura prope Magdepurgum sita, quæ vnà cum titulo Burggrauij ab Augusto VIIuiro ad eius successores transijt. Et hoc modo iurisdictionem suam recuperauit administrator, in fidemq; suam denuo ciuitatem recepit. Burggrauij verò Magdepurgici titulum Augustus Saxoniæ dux cum posteris retinuit. Postea an. C. 1585. controuersia inter postulatum administratorem & ciuitatem de iurisdictione ecclesiastica & politica, quæ ex emendatione religionis orta erat, duorum electorum Saxonici & Brandepurgici autoritate sedata atq; diremta est; his conditionibus, vt ciuitati non solùm confessio Augustana, sed etiam inspectio & gubernatio, tum etiam vocatio ministrorum ecclesiæ & scholarum libera sit & integra. Iudicium verò de causis matrimoniali-

nialibus officiali administratoris, ac certis personis de senatu & ministerio ecclesiastico ordinatis committatur. Si quid verò decidi ab his fortè non satis queat, de eo aliorum iudiciorum ecclesiasticorum sententiæ exquirantur. Claues verò portæ vrbis cathedrali templo contiguæ penes senatum sint, ita tamen, vt administratori interdiu vel noctu ingressuro à vigili aperiatur: ministris verò, ipso absente, non item.

ARCHIEPISCOPATVS SALISBVRGENSIS.

S. Rupertus. *FVndamenta huius episcopatus iacta sunt à S. Ruperto Boiorum Apostolo, an. C. 546. Quanquam enim Boij siue Bauari initio repulerunt à se Christianam religionem, tanquam nouam & pauperis domini, qui ad bellum gerendum nihil opis conferre possit: tamen tandem à Theodone tertio Boiorum rege receptus est S. Rupertus, qui reiecta superstitione ethnica, veram & salutarem doctrinam de Christo longè lateq; in regno Bauarico disseminauit:*

nauit: Tum episcopatum etiam Salispurgi constituit. Successores in hoc officij munere habuit supra quinquaginta nouem, quorum nonnulli pietatis laude excelluerunt, alij ex doctrina nobiles fuerunt, quidam etiam genere illustres extiterunt, quos instituti mei tenendi causa enumerare omnes non necesse habeo. X. fuit Arno, quo præsule, Carolus Magnus sedem metropoliticam Patauio Salisburgum transtulit an. C. 798. remanente nihilominus Patauij episcopatu. Hic archiepiscopus indicto concilio decimas imposuit monachis, episcopis verò commendauit pauperes.

Salispurgi olim Iuuania à salinis nomen inuenit, metropolis Bauariæ.

Arno.

Archiepiscopatus.

Anno C. 1312. electus est VVichardus à Polnheim antistes magnus Salisburgensis, quadragesimus primus in ordine. Hic chronicon Austriacum scripsit. Anno a. C. 1519. Matthæus Langius Augustanus Cardinalis S. Angeli, cæsaris Maximiliani consiliarius, episcopatui præfectus est, is qui Caroli V. legatus, in conuentu Francofurtano imperium ei obtinuit, eoq́ue nomine sequenti anno Aquisgrani electoribus Cæsaris loco gratias egit. Affuit et-

VVichardus.

Langius.

it etiam comitijs Augustanis anno 1530. vbi audita recitatione confeßionis euangelicorum principum & ciuitatum, dixisse fertur: Opto quidem reformationem, vellemq́ totum ordinem sic stare, vt habet confeßio: sed vt vnus monachus nos omnes reformet, id verò ferendum non est.

Ernestus. *Langium secutus est Ernestus Bauariæ*

Michaël. *dux anno C. 1540. Ernestum Michaël à*

Ioan. Iacob. *Nienburg in ordine 60. anno C. 1554. Michaëlem Ioannes Iacobus Tyrolensis nobilis an. C. 1560.*

BREMENSIS ET HAMBVRGENSIS.

ANno Christi 788. fundata est Bremensis ecclesia à Carolo Magno, datusq́ ei primus inspector siue episcopus S. VVillehadus Anglus. Sed anno Christi 850. Ludouicus Germaniæ rex eam cum

Hamburgensis ecclesia. *Hamburgensi metropoli coniunxit. Ex quo collegiata ecclesia vocari Hamburgensis cœpit, & decanum habet atque capitulum, à quibus regitur, Bremensem verò metropolitanum agnoscit, ad eumq́ par-*

partibus diſſentientibus prouocare ei licet. Primus verò Bremenſis Archiepiſcopus in ea diœceſi fuit S. Ansgarius, cui ſucceſſerunt ordine antiſtites triginta ſeptem, quos tandem ſecutus eſt anno C. 1511. Chriſtophorus Brunſuicenſis dux, in cuius gubernationem anno ſcilicet C. 1522. mutatio religionis pontificiæ in euangelicam incidit: conciones Bremæ primùm habente Henrico Sudphanienſi, Auguſtiniano Monacho, in ſacello & templo S. Ansgarij. Miſſa verò an. C. 1525. in omnibus templis abrogata eſt, in ſolo autem cathedrali aliquantò diutius remanſit. Hamburgi verò an. C. 1522. reformari religio cœpta eſt. Chriſtophorum ſecutus eſt Georgius Brunſuicenſis dux an. C. 1558. Georgium Henricus Saxoniæ inferioris de familia principum Lauenburgenſium dux, an. C. 1567. Henrico ſucceſſit Ioannes Adolphus Holſatiæ dux anno Chriſti 1585. Hunc ſecutus eſt frater Ioannes Fridericus Holſatiæ dux, anno Chriſti 1596. quo Ioannes Adolphus regis Daniæ ſororem, ipſius coronationis tempore, in vxorem duxit.

ARCHIEPISCOPATVS RIGENSIS IN LIVONIA.

SEptimus de Germaniæ archiepiscopatibus est Rigensis in Liuonia. Etsi enim bello Liuonico in potestatem Polonorum redactus est: tamen à Marianis militibus germanis fundatus est, & lingua germana eius incolæ vtuntur, nec dum iure suo quod imperium in eo habuit, cessit. De hac metropoli sic Cunradus Celtes:

Vel pete Sauromatas, vbi Reuala Rigaq; surgunt,
Vltima de septem sedibus alta micans.

Comprouinciales verò huius archiepiscopatus sunt, I. Reualiensis. II. Curiensis. III. Osiliensis. IIII. Derptensis.

Series episcoporum & archiepiscoporum Rigensium.

MEINARDVS monachus à Bremensibus mercatoribus adductus, & postea ab Alexandro III. pontifice confirmatus, primum in sacello quodam Euangelij præconium fecit in Liuonia. Hunc secutus est Bartholdus Monachus Bremensis, qui cum vi magis & armis, quàm verbo, & *exem-*

Papa Alexander III. electus est anno Christi 1559.

exemplis homines compellere ad amplectendam fidem Christianam conaretur, occisus est. III. Albertus ex Bremensi collegio accersitus fundamenta Rigensis vrbis iecit, & noui ordinis milites sacros ad Ptolemaidem paulò ante creatos attraxit, vt laborum & periculorum socij essent. IIII. Nicolaus. V. Albertus, qui primus Liuoniæ & Borußiæ archiepiscopus nominatus est. VI. Ioannes à Lunen, secundus archiepiscopus. VII. Ioannes à Vechten. VIII Ioannes comes Suerini. IX. Isaurus. X. Fridericus Baro Boiemicus. XI. Engelbertus à Dalen. XII. Vromholdus à Vifhausen. XIII. Sifridus à Blumberg. XIIII. Ioannes à Synten. XV. Ioannes à VVallenrode, tempore concilij Constantiensis, cui quidem interfuit, sed in Liuoniam inde non redijt. XVI. Ioannes Habundi. XVII. Henricus Scharpenberg. XVIII. Syluester, qui renunciauit Kircholonensi transactioni, & dimidiam iurisdictionem Rigensis ciuitatis concessit ordinis magistro. Quo pacto diminuta est archiepiscopalis maiestas, & cœperunt magistri

Riga à Rugia ad Rubum flumẽ, quod hodie Duna vocatur, dicta.

gistri ordinis paulatim omnes arces diœcesis in ditionem ac potestatem suam redigere. Mortuus est in custodia.
XIX. Stephanus Gruben Lipsensis squalore & egestate contabuit. XX. Michaël Hiltebrandus. XXI. Caspar Lindius, sub quo reformatio religionis anno C. 1522. incoata est, autore Andrea Gnophio Custrinensi: ritibus tamen non mutatis. Quæ quidem reformatio cum non archiepiscopi, sed ciuitatis opera suscepta sit, ad vrbium historiam commodius reseruatur. XXII. Ioannes à Blanckenfelt iuris doctor. XXIII. Thomas Schoningus, qui coadiutorem VVilhelmum marchionem Brandepurgicum assumsit. XXIIII. VVilhelmus marchio Brandepurgicus, qui coadiutorem Christophorum Megalpurgicum ducem asciuit.

Incidit in hæc tempora infelix illa disceptatio inter archiepiscopos, & magistros ordinis, quæ misere afflixit Liuoniam, & causa calamitatum ingentium fuit. Cum enim Ioannes à Blanckenfelt cauere Rigensibus de libertate religionis reformatæ

nollet,

nollet, nec ipsi iusiurandum subiectionis ei dare voluerunt. Itaque in fidem VValteri Plettenbergij ordinis magistri sese contulerunt, ab coque priuilegium exercendæ religionis suæ acceperunt. Nec multò pòst etiam archiepiscopus ipse cum omnibus episcopis suffraganeis eidem magistro sese subiecit. VVilhelmus verò Brandepurgicus marchio archiepiscopi Thomæ coadiutor ascitus restitutionem archiepiscopi in integrum ab ordinis magistro flagitauit, eamque etiam à Cameræ iudicio impetrauit. Hoc modo archiepiscopus iurisdictionem suam recuperauit: cui Rigenses etiam bona ecclesiastica restituerunt. sed cum libertatem reformatæ religionis nullo modo ab eo impetrare possent, ad pacem religioni datam in imperio prouocarunt. Et vt periculum, quod à Cameræ iudicio impendebat, à se propulsarent, Fœderis Smalcaldici socios sese professi sunt. Interim archiepiscopus Thomas Schoningus ad vitæ exitum vocatus est: Cui VVilhelmus Brandepurgensis marchio successit. Is Christophorum ducem Megalpurgicum,

Alberti filium, contra decretum VVolmariense, consentientibus ordinum suffragijs factum, Coadiutorem adsciuit. Quod molestè ferentes magister ordinis Henricus à Galen, episcopi, & status Liuonici, ac Rigenses, manu facta, archiepiscopum in arce ipsius circumsederunt, & vnà cum Coadiutore Christophoro duce Megalpurgico ceperunt, in custodiaq́; annum integrum detinuerunt. Ac archiepiscopum quidem durius, Coadiutorem verò liberius tractarunt. Hinc bellum graue exarsit; Attractus enim est Poloniæ rex Sigismundus, qui archiepiscopi defensionem suscepit. Idem factitauit Albertus Borussiæ dux, archiepiscopi frater. At Ferdinandus imperator missis in Liuoniam arbitris controuersiam componi iussit. Nec rebus turbatis defuit Daniæ rex Christianus III. ab Alberto Borussiæ & Ioanne Alberto Megalpurgico duce instigatus. Huius igitur legati rem sic composuerunt, vt Rigensis archidiœcesis ex magistri ordinis potestate in sequestrium iudicum Derpatensis & Osiliensis episcoporum manum trade-

traderetur: Archiepiscopus verò è custodia dimissus quatuor præfecturas, Coadiutor totidem, quibus pro se quisq; frueretur, haberet, donec lis decideretur. Factum hoc est anno C. 1556. Sequente anno attractus à Liuonis Poloniæ rex exercitum adduxit: sed interposuerunt se in pacificationem Cæsar Ferdinandus, & Electores imperij, qui per arbitros suos VVilhelmum archiepiscopum restituerunt in integrum, & ducem Christophorum VVilhelmi successorem confirmarunt. Tum legationem ad Polonum miserunt, quæ a bello ad pacis studium eum auocaret. At is pacem nullam admittere voluit, nisi Liuoni inducias duodecim annorum Moscis renunciarent. Quod factum est mox Moscouiæ dux Ioannes bellum Liuonis indixit, propter destructa quædam Rußica templa in Liuonicis vrbibus, & alia nonnulla ficta crimina. Anno Christi 1560. Rußi in Harriam irruerunt, lateq; grassati sunt, & Furstenbergium iam natu grandem ceperunt & abduxerunt. Reualienses verò in eas angustias adduxerunt,

vt opem à Sueciæ rege Erico petere, seseq; ei subijcere tandem coacti sint. Sequente anno cum dux Holsatiæ Magnus etiam prouincias aliquas Liuoniæ in suam potestatem redegisset; & tot tantisq; periculis & difficultatibus implicata Liuonia imperij auxilium frustra tam diu implorasset: cum Polonis pacisci, quàm à Moscis subigi maluit. itaq; cum Polonorum rege sic transegerunt Liuoni, vt in fidem & clientelam illius sese contulerint. Quod ipsum etiam fecerunt Rigenses, & subiectionem regno Polonico, magnoq; ducatui Lithuaniæ polliciti sunt. Rex vicissim illis de religione secundum Augustanam confessionem & priuilegijs prolixè liberaliterq; cauit. Anno C. 1562. VVilhelmus vltimus Rigensium archiepiscopus è vita cessit. Et cum Christophorus Megalpurgicus dux diœcesim inuaderet, captus est, & in Poloniam abductus, & annos quinq; in custodia detentus. Ordinis verò Magister postremus fuit Gothardus Ketler, quem Rex Poloniæ ducem Curlandiæ primum creauit, eidemq; eiam archidiœcesis

sis

sis Rigensis gubernationem usq; ad noui archiepiscopi electionem commendauit.

RATISPONENSIS *episcopatus primi gubernatores fuerunt Paulinus, qui anno Christi 484. sub imperatore Zenone, & S. Iustus, qui sub Theodone primo Bauariæ duce an. C. 489. Ratisponam venit, & Euangelij doctrinam vterque professus est. A Paulino usq; ad S. Garibaldum continuo ordine recensentur præsules nouem, qui aduentitij nominantur, & sine cathedra ordinariaq; successione ecclesiæ præfuerunt. Primus verò Garibaldus à S. Bonifacio anno C. 740. Gregorij III. pontificis iussu episcopus Ratisponensis ecclesiæ designatus, cathedram cum ordinaria successione introduxit. Lazius ponit III. episcopum Ratisponensem Adalbinum à Leone Papa confirmatum. Hinc numerantur episcopi 52. usq; ad Dauidem Kolderer, qui anno C. 1567. electus est. Inter quos 32. fuit Leo, cuius epitaphium extat:* Ratisp.

Hic iacet in tumba præsul Leo, mente columba,

Nomine req; Leo, sit datus ipse Deo.

anno C. 1277. Etsi autem hic episcopatus olim Salisburgensi subiectus fuit: tamen hodie exemtus, & proximè pontifici Romano addictus est.

Brix. *Salisspurgensis episcopatus suffraganeus etiam est Brixiensis in Germania, olim Sabionensis à Sabiona Noricorum in Tyrolensi comitatu, inter Oenipontem & Bozanum sita, dictus. Inde enim Hernicus Salionensis episcopus 31. sedem episcopalem transtulit Brixiam decem millibus passuum inde distantem. Sabione autem S. Cassianus primum ædificauit fanum circa annum C. 350. in quo religionem Christianam docuit. Sed pulsus inde ab idolatris Imolam profugit, vbi, imperante Iuliano apostata, ab ingratis & impijs discipulis confossus est stylis, circa annum C. 366. Ab hoc Cassiano numerantur episcopi Brixienses 75. vsque ad Ioannem Thomam Baronem à Spaur, qui anno C. 1578. electus est. Inter hos etiam Popio fuit, qui anno C. 1048. pontifex Rom. est factus,*

ctus, & Damasus 2. nominatus. Item Nicolaus Cusanus Cardinalis.

Suffraganei Salispurgensis archiepiscopi sunt etiam Tridentina, Viennensis, Garcensis, Seccouiensis, & Lauentinensis diœceses, quarum historiam persequi nimis longum foret.

BAMBERGENSIS EPISCOPATVS.

Anno Christi 1007. Henricus imperator cognomento sanctus & claudus cum coniuge sua Cunegunde episcopatum Bambergensem fundauit. Cumq́; eodem tempore comes Bambergensis Rinoldus sine mascula prole mortuus esset, conuersus est comitatus in episcopatum, qui tantis priuilegijs auctus & honestatus est, vt eodem iure gaudeat, quo archiepiscopatus. deinde Germaniæ principes huius episcopatus vasalli sunt, ab eoq́; imperij electores quatuor seculares feuda tanquam à domino directo petunt atq; accipiunt. Quod priuilegium vulgo sericatum D. Cunegundis filium appellatur. Attribuit

eidem

eidem episcopatui etiam imperator prouinciam ac ditionem quandam in Carinthia, cuius feudum & regalia à Rom. imperatore pendent. Tantis opibus atq; honoribus locupletatus hic episcopatus debuit esse gymnasium religionis, pietatis, castitatis, seminarium ecclesiæ, cultusq; diuini perpetuum domicilium ac officina.

Primus antistes fuit Eberardus anno C. 1007. ab ipso fundatore & fundatrice designatus; qui fide & diligentia commemorabili rem ecclesiasticam administrauit. Constructum est hoc præsule Benedictinum monasterium montis monachorum, episcopatuiq; adiunctum. Sunt etiam habita comitia Bambergæ, quibus pontifex Rom. Benedictus VIII. præsentibus cunctis imperij ordinib. Basilicam cathedralem impensis maximis ab imperatore conditam consecrauit. In qua ad exitum vitæ vocatus imperator cum thori consorte etiam sepultus est.

II. Suidegerus, vel Suiggerus, vel Sindegerus Saxo Henrici imp. Cancellarius, virtute & doctrina excellens, qui anno

C. 1047.

C. 1047. in schismate pontifex Rom. electus, Clemens II. appellatus est, & priuilegio amplissimo Rambergensem episcopatum ornauit, mortuusq́; eodem relatus & in basilica humatus est.

III. Hardouidusq́; vel Hezelinus Henrici III. imp. Cancellarius anno C. 1047.

IV. Adelbero comes Pogensis ex Bauaria, nepos Conradi II. imp. è sorore anno C. 1054.

V. Guntherus an. C. 1060. linguarum scientia & facundia clarus.

VI. Hermannus vel Ricemannus an. C. 1066. excommunicatus est à pontifice Rom. Gregorio VII. quod episcopatum non virtute & iure legitimo, sed pecunia vel Simonia adeptus esset.

VII. Rupertus vel Robertus Henrici imp. consiliarius an. C. 1076. Hoc antistite prima cathedralis basilica conflagrauit.

VIII. S. Otho Bauarus, Bertholdi comitis Andechensis filius, Henrici IV. Cancellarius, an. C. 1102. Cognominatus est humilis propter singularem modestiam, quam præ se tulit; vocatur etiam Pomera-

meranorum apostolus, propterea quod eos concionibus suis pijs ad fidem & confessionem Christi conuertit. Cœnobia complura fundauit, & in diuorum chorum cooptatus est an. C. 1179.

IX. Egilbertus an. C. 1140. sub quo inter diuos relatus est S. Henricus claudus imperator. Nec multò pòst canonisata est etiam Cunigundis imperatrix.

X. Eberardus Bauariæ dux anno C. 1145.

XI. Hermannus vel Marquardus Misnensis Marchio an. C. 1172.

XII. Potho vel Poppo Meroniæ dux & comes Andechensis an. C. 1177. cognominatus est Largus.

XIII. Thimo anno C. 1192.

XIV. Cunradus an. C. 1202.

XV. Eckenbertus vel Erimbertus frater Vngariæ regis Stephani Anno Christi 1203. Bellum intulit Bernardo Carinthiæ duci & damni multum dedit. Itaq; temeritatis suæ pœnas iustas persoluit, & captus aliquandiu, sub conditione tandem dimissus est.

Poppo

XVI. Poppo dux Meroniæ anno C. 1235. depositus ab Henrico II. imp.

XVII. Henricus de Catalonia anno C. 1242.

XVIII. Leopoldus comes à Leiningen an. C. 1257.

XIX. Arnoldus comes à Solms anno C. 1285.

XX. Leopoldus comes à Grundlach an. C. 1295.

XXI. Vlfingus Baro à Stubenberg anno C. 1305.

XXII. Ioannes.

XXIII. Henricus an. C. 1322. iuris Canonici doctor.

XXIV. VVerntho pincerna à Rigeneg an. C. 1329.

XXV. Leopoldus heros nobilis ab Egelofſtein an. C. 1333.

XXVI. Fridericus comes ab Hohenlohe anno C. 1352.

XXVII. Ludouicus à Bebenburg, canonici iuris doctor an. C. 1352.

XXVIII. Fridericus Baro à Truchedingen an. C. 1363.

XXIX. Ludouicus Marchio Misniæ, Landgrauius Duringiæ anno C. 1366. à collegio canonicorum electus. Hunc pontifex Rom. Gregorius XI. contra voluntatem Canonicorum archipræsulem Moguntinum designauit, sed in possessionem designatus ille non venit, Inde ad Magdepurgensis & Halberstadensis ecclesiæ gubernationem vocatus annum vnum ibi vixit.

XXX. Lambertus à Borne ex Alsatia Cancellarius imperatoris Caroli IV. anno C. 1374. postquam perfunctus esset compluribus episcopatibus, Brixiensi, Spirensi, Argentinensi. Sed nec in Bambergensi acquieuit. Nam & eò sese abdicauit, & in cœnobium Gegenbacense sese contulit, & exiguum reliquæ vitæ tempus illic contriuit.

XXXI. Albertus comes à VVertheim Francus anno C. 1399.

XXXII. Fridericus ab Auffes ex Francia orientali anno C. 1421.

XXXIII. Antonius à Rothenhan anno C. 1440.

34. Geor-

XXXIV. Georgius comes à Schaumburg anno C. 1459.

XXXV. Philippus comes ab Henneberg anno C. 1475. in cuius epitaphio reperitur hoc distichon ad S. Mariam directum, non ad Christum:

Qui coluit viuus semper te virgo Maria,
Hunc tua suscipiant numina sancta precor.

XXXVI. Henricus Gros à Drogkau Francus anno C. 1487.

XXXVII. Vitus dapifer vel Druchses à Pomersfelden anno C. 1501.

XXXVIII. Georgius Marsallus ab Ehmut, anno C. 1503.

XXXIX. Georgius Pincerna à Limpurg semper liber anno C. 1505.

XL. VVigandus à Redouiz Francus anno 1522. Interfuit conuentibus cunctis à Carolo V. passim in imperio habitis, & synodum reformandi sui cleri causa anno C. 1548. indixit.

MISNENSIS EPISCOPATVS.

ANno C. 958. fundata est Misnensis ecclesia ad Albim, loco præcelso &

Alij ab Henrico imperatore fundatum tunc episcopatũ scribunt anno Christi 929.

amœno, ab Othone Magno imperatore: libera omni ex parte, ingenua & nulli neq; patriarchæ, neq; metropolitano, sed soli Romano pontifici subiecta; vt in ea nullum tempus nullaq; hora siue diurna siue nocturna diuinis cantibus & hymnis vacaret. Confirmata verò est à Iohanne XIII. pontifice, subscribentibus episcopis 39. & consecrata ab Alberto Treuirensi antistite. Primus præsul illius fuit Burcardus Othonis imperatoris ecclesiastes aulicus, qui eam annos circiter viginti gubernauit.

I. episcopus Burcardus.

Volcoldus.

II. Episcopus Volcoldus seu Volcradus ordinem lectionum, orationum, & ecclesiasticorum munerum instituit, redditusq; episcopatus auxit. Versatus est in hoc munere officij castè & integrè annos 23. Cibum communem cum suis canonicis tanquam paterfamilias cum sua familia habuit, nec aliorum ministerio vsus est, sed ministrum semet ipse præbuit, & custos pietatis, disciplinæ, sanctitatis & pudicitiæ fuit.

Aico.

III. Aico, vel Ido, vel Eid secundum

Ditma-

Ditmarum, adiunxit ad ecclesiam Misnensem, autore Othone III. imperatore, Esiconis comitis oppida VVurzam, Bicham, Bucham, Lubbenizam. electus est anno Christi 995. mortuus verò anno C. 1015. Vir fuit iustus & magnæ simplicitatis. Adfuit etiam in synodo Tremoniana.

IV. Ernardus, vel Eiluardus Ditmari Marchionis Lusatiæ concionator, ab imperatore constitutus, è vita cessit anno C. 1023. Documentum fuit suis hominibus pietatis, virtutis, pudoris, & diligentiæ, nec plus Canonico vlli laboris imposuit, quàm sibi sumsit.

V. VVipertus, vel Vmbertus ab Hunefrido antistite Magdepurgico inauguratus, & mortuus Anno Christi 1024.

VI. Theodoricus tempore synodi Francofurtanæ, quam Aribo præsul Moguntinus ob controuersiam de Cœnobio Gandersheimensi inter Hunifridum Halberstadensem, & Gothardum Hildes. antistitem conuocauit. Quanquam sunt, qui ob litem inter Aribonem Moguntinum, &

Hildesheimium ortam, indictam esse scribunt.

Roginerus vel Reinerus.

VII. Roginerus, vel Reinerus, vel Rotmanus an. C. 1046. constitutus ab imperatore Henrico III. in schismate, quod in electione præsulis exarserat. Fundator est cœnobij D. Afræ, in quo monachos, qui Canonici regulares dicti sunt, collocauit. Hoc cœnobium annis sequentibus auctum est à Theodorico II. episcopo, & Meinero Burggrauio Misniæ, qui pomærio seu muro vrbis illud circumdedit. Item à Ioanne Stoio præposito, qui anno C. 1363. ædificia eius collapsa reparauit. Tum à Ioanne Deutschendorffio, episcopi vicario, cuius sumtibus aqua per canales interuallo sanè longo introducta est.

Cœnobium S. Afræ.

VIII. Craft vel Christ, fortè Christianus, de consilio imperatoris designatus à VVernero Magdeburgensi præsule, De cuius morte teterrima Lambertus Schafnapurgensis sic scribit: Venit non multò pòst susceptum episcopatum Goslariam, vbi præpositus erat, & thesauros suos, quos impense amabat, occultarat. Hos visurus in cubicu-

Crafti mors horrenda.

biculum quasi quietem capturus sese inclusit. Sed cum diutius ibi in vesperam vsq; remaneret, cubicularij ostium pulsarunt, & cum nullam vocem audirent, effractis foribus irruperunt, inueneruntq́; præsulem fractis ceruicibus, colore tetro exanimem thesauris suis miserandum in modum incubantem.

IX. Menvvardus mortuus anno C. 1066.

X. Benno è nobili familia Saxonica comitum VVoldenburgiorum, anno Christi 1066. constitutus ab Henrico IV. imperatore. Hic tametsi paupertate ecclesiastica contentus à militia animum alienum habuit: tamen attractus est ad societatem conspirationis aduersus imperatorem. Quocirca ab eo captus est, sed tandem in pristinam dignitatem restitutus. Conuertisse dicitur magnam partem Slauicæ gentis ad Christi agnitionem & fidem. Benno.

XI. Heruicus VVurzensis ecclesiæ collegiatæ sub cathedrali Misnensi fundator, vbi etiam sepultus est, anno Christi 1118. Fuerunt enim tres collegiatæ ec- Heruicus. VVurcensis ecclesia.

 clesiæ

clesiæ Misnensi adiuncta VVurzensis, Budißinensi & Fribergensis.

XII. Gramborus, anno C. 1118.

XIII. Gotbuldus, vel Godebaldus, vel Gothuldus, an. C. 1129. quo Gramborus mortem obijt, consecratus est à pontifice Innocentio II. omniumq; bonorum ecclesiæ præsentium & futurorum confirmationem impetrauit. A Conrado autem Marchione Misniæ pagum Schremnitz vel Schirmenitz dono accepit. Mortuus anno C. 1140.

XIV. Reinhardus, vel Reinuuordus. XV. Bertoldus. XVI. Bruno I. electus anno C. 1219. XVII. Gerungus, bibliothecæ autor in Misnensi episcopatu. XVIII. Martinus, vir natura ipsa moderatus & simplex. XIX. Theodoricus II. anno C. 1190. studijs doctrinisq; deditus. XX. Bruno II. anno C. 1219. fundauit Budißinensem ecclesiam. Iccirco præpositus eius ecclesiæ non aliunde quàm ex Canonicis Misnensibus eligitur. Arcem quoq; Stolpensem cum territorio ad Misnensem ecclesiam adiunxit. XXI. Henricus I. ann.

Budissinensis ecclesia

Chri-

Christi 1230. ab Othone Henrici Burggrauij Donensis filio nonnulla dono accepit, & ius metallicum in fundo ecclesiastico à Friderico II. imperatore consecutus est. XXII. Conradus I. cum Henrico Misnensi Marchione in certamen de iudicijs ac finibus VVurzensis diœcesis, tum de decimis etiam per Misniam & Lusatiam exoluendis venit. Sed tandem acceptis à Marchione ea de re literis, in gratiam cum eo rediјt anno Christi 1284.
XXIII. Albertus theologiæ doctor arcem Mogelanam, quæ Rugethal dicitur, ædificauit. Mortuus anno C. 1266. XXIV. VVitigo I. Baro de Camens eodem anno electus, sequente verò cum Marchione Misnensi Henrico acriter de decimis metallicis Scharffenbergi contendit, & ius ecclesiæ tutatus est. Ad bellum quàm ad quietem procliuior fuit, & dimicans cùm Diterico Marchione Pirnam, Dresdam, Scharffenbergum, & arcem Stolpenam amisit, an C. 1291 XXV. Bernardus ex eadem familia monasterium Marianæ Stellæ ædificauit. Dresdam Henrico Mar-

chioni Misniæ vendidit, qui rursus eam vendidit VVoldemaro Brandepurgico 11000. marcis argenti. Pirnam verò oppidum regi VVenceslao vendidit episcopus. Idq́ue fecit, vt sumtus haberet ad conseruandas diœceseos suæ reliquias. Vicißim dono accepit à Friderico Marchione Misniæ decimam de argenti fodinis quæ Scharffenbergi sunt, anno 1294. Venditionem verò comprobauit Albertus I. datis literis Noribergæ. XXVI. Albertus II. comes Leisnicensis arcem Stolpensem alienatam ad diœcesin reduxit. XXVII. Vvitigoll. è Coldicensium familia ædificauit arcem Mogellanam & Libetalem ad Albim, sed Pirnam in feudum Ioanni Boiemorum regi tradidit, eiq́ue obedientiam & reuerentiam promisit. Mortuus anno C. 1347. XXVIII. Ioannes de Isenberg, fundator quatuor Vicariarum in Misnensi episcopatu & vnius præbendæ in æde S. Barbaræ VVurcensis ecclesiæ. Mortuus anno C. 1370. XXIX. Theodoricus III. de Goch in itinere Romano petendæ confirmationis causa suscepto periit.

Conra-

XXX. Conradus II. de VValhusen, vel de Kirchberg, disciplinam aliquantò arctius astrinxit, & vineas quasdam circa Kotzebrode emit, nonnullas etiam circa Mogelam plantauit, vt vini copia pro mensa episcopali suppeteret.

XXXI. Ioannes II. de Gentzenstein grauitate magna præditus, qui tametsi Pragæ resedit, ad archipræsulis munus illuc vocatus: tamen vicariam S. VVenceslai in ecclesia Misnensi fundauit, ea conditione, vt eius collatio penes Capitulum Pragense esset.

XXXII. Nicolaus I. cognomento Zigenbock, obiecit se pro salute ac libertate episcopatus in magnas dimicationes atq; impetus. Archiepiscopus enim Magdepurgensis conatus est Misnensem ecclesiam suæ potestati subijcere. Inde ergo non solum offensiones graues, sed etiam incursiones violentæ extiterunt, & ad arma sæpius ventum est. Nicolaus enim iura libertatemq; ecclesiæ ab Othone I. concessam, & à consequentibus imperatoribus confirmatam tuebatur, nec contra tot Certamen de libertate ecclesię Misnens.

priuilegia ecclesiam suam in ullius potestatem redigi patiebatur. Etsi autem Magdepurgensis VVurzam & Mogelam inuasit, & direptionibus incendijsq; hostilem in modum grassatus est: tamen bis eum fudit Misnensis, ferocitatemq; eius ita fregit atq; comminuit, ut facile libertatem Misnensi ecclesiæ debitam relinqueret. Ex quo regalia Misnensis episcopatus in hunc usq; diem integra & inuiolata sunt, tum à Carolo V. etiam ipso anno 1548. in comitijs Augustanis confirmata. Vt autem defensio huius libertatis memoriæ omnium posterorum traderetur, festum S. Victoris hic episcopus instituit. Mortuus anno C. 1385.

Regalia Misnen. episcopatus.

XXXIII. Ioannes III. Baro de Kitliz episcopatum tradidit cognato suo Timoni de Coldiz: ipse ætatem Budißinæ transegit contentus trecentis sexagenis Pragensis monetæ, quas annuatim ex episcopatu Misnensi accipiebat.

XXXIV. Timo I. Baro de Coldiz ecclesiam ære alieno oppreßit, & in legatione imperatoris ad concilium Pisanum

vasa argentea omnia perdidit, à raptoribus inuasus. Mortuus anno C. 1410.

XXXV. Rudolphus I. de Plauniz an. C. 1411. ære alieno ecclesiam magna ex parte liberauit, & villam Reinersdorff, prope Stolpam pro eadem arce comparauit.

XXXVI. Ioannes IV. cognomento Hofman Suidnicensis, Theolog. doctor, Rector Pragæ fuit, & pariter cum Ioanne Othone Monsterbergensi tanquam solum quoddam & fundamentum Academiæ Lipsicæ posuit, pietatis & literarum maiorem curam quàm bonorum ecclesiasticorum habuit. Itaq; iacturam rerum magnam hoc præsule ecclesia fecit. Nam & Nossam vendidit, eaq; pecunia Vuilsdorfium & Smolinum emit: & à Baronibus qui dicebantur Birke de Daube detrimenti multum accepit in villis & ædificijs, quæ rapinis & igne incensa & vastata sunt. Ad extremum verò diuina vindicta sic illi hostes ecclesiæ repreßi sunt, vt ad egestatem summam redacti non haberent vnde viuerent, & Mulbergam pro eo, quod antè habuerant, reciperent. Affuit in conci-

concilio Constantiensi, vbi fama & celebritate nominis omnes theologos superauit. Mortuus an. C. 1451.

XXXVII. Caspar I. à Schonberg an. C. 1451. vigilans, nauus, & industrius, qui ecclesiam reductam ad egestatem erexit, recreauit, & præsidijs necessarijs firmauit. Muro & propugnaculis circumdedit arcem Stolpensem versus meridiem, & phialam argenteam auro circundatam 460. florinorum Rhenensium comparauit.

XXXVIII. Theodoricus IV. Schonbergius, frater Casparis ex integritate & continentia in victu omni & cultu nobilis & clarus. Ad mensam episcopalem attulit magnam accessionem, & in ærario octies mille & octingentos Rhenenses florinos reliquit. Vicariam S. Laurentij in ecclesia Misnensi instituit. E vita cessit anno C. 1486.

XXXIX. Ioannes V. de Vveissenbach doctor V. I. anno 1486. profusis sumtibus vixit, politica magis quàm ecclesiastica curauit, nec ærarium tantùm exhausit,

sed

ſed etiam æs alienum grande conflauit. Præpoſiturā Vvurcenſem cum pagis Dalvviz & Vvaſevviz ad menſam epiſcopalem adiecit, aliamq́ præpoſiturā Vvurcenſi eccleſiæ tribuit. Conſtruxit aulam epiſcopalem Stolpæ, & alia complura. Pecuniam ex fodinis metallicis, ex Iubilæo in Miſnia celebrato, ex contributione ad bellum Turcicum, & ex venditis nonnullis bonis eccleſiæ accepit: & nihilominus tamen eccleſiam alieno ære 21400. florinorum Rhenenſium obſtrictam reliquit. Erecta eſt eius ætate eccleſia collegiata Fribergæ.

Ecclesia collegiata Friberga.

XL. Ioannes VI. de Salhuſen decretorum doctor anno Chriſti 1488. qui tametſi competitorem habuit grauiſſimum virum Melchiorem à Meckau, præpoſitum Miſnenſem, & poſtea præſulem Brixinenſem & S. Stephani Cardinalem: tamen epiſcopatum obtinuit, & inauguratus eſt ſplendidiſſimè, præſentibus epiſcopis, Georgio Saxoniæ duce, abbatibus, prælatis, & equitibus 430. Capitulum ære alieno leuauit, fracta ædificia reparauit, vendita

aut

aut oppignorata redemit, priuilegia & diplomata restituit, arcem VVurcensem condidit, & nullam partem boni ac fidelis pastoris patrisq́; familias prætermisit. Sepultus est VVurcæ anno 1518. Gubernatio eius incidit in initia reformationis ecclesiæ à Luthero susceptæ, quando Tezelius nomine & autoritate archipræsulis Magdeburgensis summa impudentia indulgentias venditabat. De quo id diuinatione quadam permotus prædixit episcopus, quod euentus tandem comprobauit, postremum illum indulgentiarum venditorem fore. Itaq́; ferre in sua diœcesi tam impium pecuniæ aucupium noluit. Biblia legit, & religionem pontificiam minimè cum ijs congruere dixit. Missarum item & monachorum superstitiones odit.

XLI. Ioannes VII. è gente Sleinicia in Raguiz, mirè consentientibus Canonicorum & populi suffragijs electus, anno C. 1518. Vir pietate grauis, prudentia conspicuus, eruditione clarus, & orator non indisertus. Emergenti è tenebris pontificijs doctrinæ cœlestis luci restitit, ad eamq́; rem

rem patronos pontificiæ religionis adhibuit Emſerum, Cochlæum, Alueldium, Syluium. Bennonem epiſcopum Miſnenſem ante annos 417. mortuum, & à Pontifice Adriano VI. diuis aſſcriptum, ſumma cum ceremonia extulit, præſentibus Saxoniæ ducibus Georgio & Henrico, epiſcopis, & nobilibus multis, quorum aliquibus ſerium, nonnullis verò iocularium ſpectaculum fuit viſum. Arcem & urbem VVurcenſem incendio corruptam reparauit, domos quaſdam nouas extruxit. Coadiutorem ſibi aſſciuit Ioannem à Maltiz eccleſiæ decanum, cui etiam aureorum millia ſeptem reliquit, qui tamen, mortuo Malticio, non fuerunt reperti. Benno elatus.

XLII. Ioannes VIII. de Maltiz an. 1538. doctrinæ ſacrarum literarum inprimis eruditus, & manſuetudine patientiaq́; inſigni præditus. Emendationem doctrinæ & rituum in eccleſia, mortuo Georgio Saxoniæ duce, per Miſniam ab Henrico Saxoniæ duce an. C. 1539. ſuſceptam placatè & moderatè tulit, ſeßionem ſuam in Spirenſi conuentu imperiali anno

Chriſti

Christi 1539. & 1542. per legatos suos obtinuit. Mortuus est anno C. 1549.

XLIII. Nicolaus II. è Carleuitiorum gente an. C. 1550. quamuis recusans & repugnans à Capitulo electus quinquennium ecclesiæ præfuit, à pontifice Rom. Iulio III. confirmatus. Sepultus est Stolpæ an. C. 1555.

XLIV. Ioannes IX. ex Haubiciorum gente an. C. 1555.

XLV. Augustus Sax. dux & elector, cedente Haubitio an. C. 1581. & parte bonorum ecclesiasticorum contento.

XLVI. Christianus dux & elector Sax. an. C. 1586.

XLVII. Christianus Saxoniæ dux an. C. 1592.

Habuit præter cæteros hic episcopatus insignes laude doctrinæ, sapientiæ & industriæ viros, quorum nomina posteritati nota esse vtile est. Dominum Ioannem Hennigk de Haynis, artium theologiæq́; Doctorem, Decanum, dominum Othonem de VVeissenbach archidiaconum Lusatiæ, seniorem. Ioannem de Schleiniz Cantorem.

rem. Sigiſmundum Pflugium I. V. Doctorem præpoſitum Magdepurg. Guntherum de Bunau decretorum doctorem ſedis apoſtolicæ protonotarium, archidiaconum Niſicenſem, VVolfgangum de Schleiniz præpoſitum Haynenſem. Caſparem de Salhuſen ſcholaſticum. Chriſtophorum à Gablenz I. V. Doctorem. Paulum VVedeman de Sayda artium & theologiæ doctorem. Nicolaum ab Hayniz I. V. D. cuſtodem. Euſtachium comitem de Leiſnick. Theodoricum à Miltiz, & alios. Habet etiam nunc theologiæ doctores duos ab Academia Lipſica delectos, profeſſores propheticorum & apoſtolicorum ſcriptorum ordinarios atq; primarios.

MOguntino præſuli ſubſunt Argentinenſis, Spirenſis, Vvormacienſis, Herbipolenſis, Auguſtanus, Conſtantienſis, Curienſis, Dryopolenſis, Halberſtadienſis, Hildesheimenſis, Padebornenſis, & Verdenſis.

Argentinenſis eccleſiæ fundamenta primùm à Materno Petri apoſtoli diſcipu-

Argentinensis episcopatus.

lo iacta quidem, sed postea circa ann. C. 330. Arianorum furore turbata & conuulsa sunt. Anno autem C. 508. Clodouæus Francorum rex templum ibi condidit, & religionem Christianam inuexit. Dagobertus verò episcopatum Argentinensem fundauit, eiq́ S. Amandum, Gallum præfecit. Qui tamen propter impietatem & furorem ciuium contemnentium & repellentium Dei verbum, sedem episcopalem reliquit, & monasterium ingressus est, anno C. 640. Amando successit S. Arbogastus, Gallus natione, qui vitam egit sanctam, euangelium docuit, & hæreses magno zelo redarguit annis duodecim. Dicitur is precibus suis resuscitasse ex morte filium Dagoberti, qui in venatione ab apro occisus erat. Iccirco donauit Dagobertus ecclesiæ Argentinensi ditionem Rufaci, quæ inde dicta est Mundat, quasi manu datum scilicet munus. Mortuus est anno C. 658.

Arbogastus.

ARBOGASTO successit Rotharius ex regia familia Childerici. Quartus episcopus fuit S. Florentius Scotus, qui precibus

cibus suis Dagoberti regis Gallorum filiæ cæcæ & mutæ videndi & loquendi facultatem impetrauit. Numerantur ab hoc continua serie episcopi, quorum aliquos tantùm delibabimus, præsertim eos, de quibus memorabile aliquid literis proditum est. Vocatur autem episcopus Argentinensis nobilißimus, iccirco quia nemo nisi vel princeps, vel comes, vel Baro in eum ordinem cooptatur: sicut Basiliensis dicitur amœnißimus, Moguntinus dignißimus, Treuirensis vetustißimus, Coloniensis ditißimus, Constantiensis amplißimus. Quadragesimus quartus episcopus Argentinensis fuit Vueracharius, qui an. Christi 1008. ædem Thomianam de cælo tactam & exustam ex fundamentis excitauit, & anno Christi 1014. cathedrale templum ligneum demolitus est, & lapideum nouum extruxit. Anno C. 1260. electus est episcopus Vualtherus Baro Gerolzeckius militari animo præditus, qui Argentinensi reipub. bellum intulit, quod biennium durauit. Ipse in prælio acri victus vix euasit. Operam quidem dabat

Argentinenses episcopi nobilissimi.

Episcopus bellator.

Richardus Angliæ rex. Rom. imperator designatus, vt episcopum cum ciuitate conciliaret: sed conditiones omnes respuebat episcopus. Itaq; cum minimè ex sententia euentus belli procederet, in mœrorem animi incidit, eoq́; extinctus est. Eo sublato canonici in gratiam cum ciuibus redierunt, & ab eo tempore templum Marianum ciuitas in potestate sua habuit.

Bellum episcopi cum ciuitate.

Anno Christi 1375. Fridericus Baro Blanckheimensis episcopus est creatus, qui autor diuturni belli extitit. Cum enim ciuitas ab imperatore proscripta esset, incitauit episcopus vicinos principes, vt detrimentum afferrent ciuitati. Ipse pontem Rheni exußit, & tamen hostilem animum dißimulauit. Tandem ab interponentibus sese vicinis comitibus & ciuitatibus lis composita est, & absoluta à proscriptione ciuitas. Episcopus verò cum soluendo non esset, quod militibus spoponderat, opera pontificis Argentinensem episcopatum Traiectensi superiore commutauit. Fridericum secutus Burandus comes

Litzelsteinensis an. C. 1392. relicto ecclesiastico ordine, politicum ingressus est, & vxore ducta, filios duos genuit, qui propter rebellionem quandam à Friderico Palatino pulsi sine hæredibus mortui sunt, & comitatum Litzelsteinensem Palatino Rheni reliquerunt an. C. 1452. An. Christi 1394. Vuilhelmus comes à Dietsch episcopus est creatus, qui cupiditate quadam incensus bellum fecit Argentinensibus, & vt neruos haberet, multa alienauit. Tandem verò captus est, & Constantiam ductus ad concilium; vbi liberatus est, ciuitas verò ingenti summa pecuniæ multata. Anno Christi 1439. electus est Cunradus Baro à Busuang: sed cum contra ipsum alius quidem Ioannes Baro ab Ochsenstein designaretur, sponte cessit episcopatu, & Rufaci reliquum vitæ curriculum in quiete & ocio contriuit. Eius igitur loco Rupertus Palatinus Rheni & Bauariæ dux creatus est. Anno C. 1506. Vuilhelmus comes ab Hornstein gubernauit episcopatum in magna varietate temporum & mutatione religionis vsq; ad Bellator.

annum C. 1541. quo episcopus factus est Erasmus Schenck à Limburg, semper liber: qui à primis annis literarum studijs delectatus est, & patres legit, eos præsertim, qui purius scripserunt, cuiusmodi sunt Lactantius, Cyprianus, Hieronymus in epistolis. Incidit quidem in certamina de religione, sed ita sese rerum suarum finibus continuit, vt nulla in parte turbaretur ipsius ecclesia. Sobrius fuit, pacis amans, hospitalis, & eruditorum patronus. Anno C. 1592. è vita migrauit Ioannes à Manderscheit, episcopus Argentinensis, qui etsi in pace commoda rempub. ecclesiasticam gubernauit: tamen ante, & post mortem eius turbæ magnæ extiterunt. Anno enim 1584. Canonici pontificij euangelicos excludere omni studio contenderunt. Itaq; Colonia accersiuerunt Chorepiscopum Fridericum Saxoniæ ducem Lauenburgensem, qui pro pontificia religione propugnabat, eiq; munus Decani, quod Gebhardus Coloniensis archipræsul gerebat, committere voluerunt. Deinde à conuentibus suis excluserunt euangelicos tanquam à ponti-

Erasmus Schenck.

Lis inter Canonicos pontificios & euangelicos.

pontifice excommunicatos. Hi verò nihilominus loca sua tutati sunt. Quod grauiter ferentes pontificij, decreto facto, Gebhardum Druchsesium loco mouerunt, Fridericumq́ Saxonem surrogarunt: reliquos *verò euangelicos sessione, beneficijsq́ omnibus priuarũt. Hi ergo possessione eiecti, & sine omni cognitione causæ spoliati, ex ædibus capituli communibus frumenti tantum capiunt, quantum sibi deberi putabant: idq́ coram notario & testibus. Inde querelas ad senatum vrbis vtraq́ pars affert. Is ad concordiam Canonicos hortatur, & vt prouideant, ne quid detrimenti respub. capiat, monet. Quo responso minimè contenti pontificij, thesaurum capituli omnem exportant, & aliò transferunt. Euangelici contrà, vacuas capituli ædes occupant. Vnde expelli eos tanquam excommunicatos à senatu petunt pontificij. Senatus ablata restitui vult, sed obtinere nihil potest. Itaq́ ne ius publici transitus per ædes communes capituli diutius impediatur, aperiendas illarum portas euangelicis curat, & adhi-*

bito præsidio viginti Sclopetariorum, eas munit. Interim nihil prætermittit, quod ad compositionem dissidentium partium pertineat. Sed vbi nihil proficit, statuum imperij sententiam expectat. Missi enim erant Argentinam à vicinis principibus legati, qui causam cognoscerent, & pacem conciliarent. Ab his in primis interrogatus episcopus sese purgat, nullam eius rei culpam in se residere dictitans. Capitulares verò æquas conditiones legatorum maiori ex parte non respuunt quidem, sed ab episcopo tamen, ne accipiant eas, penitus deterrentur. Ita omnis actio legatorum irrita fuit. Paulò pòst de arbitris ab vtraq; parte legendis agitur: sed cum senatui, qui in arbitrorum numero erat, acta & conclusa à Canonicis denegarentur, interponere se is in pacificationem recusat. Quamobrem conuocata Alsatiæ nobilitate, de ratione resistendi pontificiorum conatibus, si bellum faciant, deliberat.

Post mortem verò Ioannis à Manderscheit cum in septimum annum iam dissidium

dium inter pontificios & euangelicos durasset: pontificij Cæsaris opem implorant. Hic absque mora arbitros pollicetur, & senatum vrbis simul monet, vt pacis turbatores compescat. Euangelici verò ad electionem episcopi noui procedunt anno C. 1592. & die Maij 20. aduocatis etiam Catholicis, qui tamen venire noluerunt, episcopum designant Ioannem Georgium Marchionem Brandepurgicum, canonicum & euangelicum: cui statim ciuitas gratulata est, & munera ampla dedit. Pontificij contrà die Maij vltimo, eligunt episcopum Carolum Lotharingiæ ducem, Cardinalem, & episcopum Metensem, factique sui rationem publico scripto reddunt. Nec iure, quod sibi vendicabant, contenti sunt, sed statim armatis hominibus sedem episcopalem occupant, Tabernam Alsaticam diripiunt, & vicos vndiquaque rapinis incendijsque penè Argentinam vsque diuexant. Mox argentoratum mittit Lotharingus, & sibi restitui arces duas Kochersbergam, & Dachsteinum postulat. Inde conterriti prouinciales multi,

Ioan. Georg. Marchio Brandep. eligitur episcopus.

Carolus Lotharingus.

sedibus relictis, in exilium abire coguntur. Bellum Argentinense. *Argentinenses igitur iusta arma induunt, ut vim à se suisq́; depellant. Sed cæduntur primum, & Kochersberga à Lotharingo inuaditur, & vna cum Vvasselnheimo occupatur. Quæ res etiam mercatus solennitatem, quæ in diem Ioannis Baptistæ incidit, Argentinæ impediuit, & detrimenti multum reipub. attulit. Argentinenses vicißim Lotharingum oppugnant & fundunt: tum fœderatos suos Heluetios Bernates, Tigurinos, & Basilienses accersunt, Molsheimumq́; obsident, ac hostes multos prosternunt. Etsi autem Heluetij conciliare dißidentes partes conantur: tamen vix tridui inducias à Lotharingo impetrant, & re infecta 17. Augusti ad suos redeunt. Interim Argentinenses cladem ad Dippichen accipiunt, & Molsheimi obsidionem soluunt.*

Christian. Anhaldinus. R E D I E R A T *id temporis Christianus Anhaldinus princeps ex Gallia. Hunc Argentinensis senatus, & capitulares euangelici cum trecentis equitibus conducunt, & copijs suis præficiunt. Fit hoc*

hoc duce prælium, in quo Lotharingi succumbunt, & euangelici victores domum reuertuntur. Tum Kochersbergam quoque & Dachsteinum ijdem recuperant. Tandem post bene longam disceptationem, & vtrinque data atque accepta incommoda, enixè laborantibus Cæsareis, & Austriacis arbitris, anno 1593. vtraque pars acquieuit his conditionibus, vt depositis armis, iudicium de tota controuersia committeretur sex arbitris principibus, Moguntino archipræsuli, Vvurcepurgico episcopo, Ferdinando Austriæ archiduci, Friderico Vvilhelmo Saxoniæ duci, Philippo Ludouico Palatino, & Ludouico Hessorum Landgrauio. Interim vterque designatus episcopus arces certas, oppida, ac iura retineret. His vtrinque traditis & acceptis induciæ factæ sunt. Induciæ.

EPISCOPATVS SPIRENSIS.

SPIRENSIS cuiusdam episcopi Iessij nomine, fit mentio in historia synodi Coloniensis, quæ anno C. 348. habita est. Iessius.

Appa-

Apparet fuisse doctorem ecclesiæ pium ac fidelem, qui pro religione Christiana acriter propugnarit contra Arianos. Postea Dagobertus Francorum rex Athanasium ecclesiæ Spirensi præfecit, circa annum C. 610. Huic successerũt alij episcopi simplices & probi, regibusq; Franciæ cari. Hi enim reges episcopatum opibus & ædificijs auxerunt. Anno Christi 848. Gebhardus vel Eberhardus episcopus à comitibus quibusdam captus, visu priuatus & occisus est, quod autor eorum fratri Theoboldo fuisset, vt bona aliqua ecclesiæ donaret. Anno C. 946. episcopus Reginoboldus reditibus, vectigalibus, libertate cudendi monetam à Cunrado Franciæ & Sueuiæ duce donatus est. Anno C. 970. Baldericus, Othonis III. consiliarius ad episcopalem dignitatem euectus, non ipse solùm politicos honores gessit, sed idem vitium etiam in alios canonicos suos infudit: vt, abiecta monastica vita, splendidè inciperent viuere, & reditus ecclesiæ partiri. Anno Christi 1032. Reginoboldus episcopus singulis dominicis diebus conciones habuit, & coronam

Gebhardus.

Politici honores inuecti.

nam grandem deauratam suis impensis ex cupro faciendam curauit, quæ in cathedrali templo suspensa est. Anno C. 1084. Rugberus Hutsmanus episcopus urbem ampliauit, & pagum ad Spiram fluuiolum situm mœnibus inclusit, turribus item & fossis muniuit. Ex quo Spira urbs nominari cœpit. Eandem non ita multò pòst imperator Henricus multis immunitatibus & priuilegijs auxit, ab oneribus verò liberauit. Vnde autem pagus ille nomen Spiræ inuenerit, versibus hisce expressit Georgius Sabinus:

Corona grandis.

Spiræ nomē à fluuiolo.

Vrbs antiqua iacet celebri contermina Rheno,
Vangionum longo non ea distat humo:
Nescio qui Nemetes hanc incoluisse feruntur:
Sunt ibi Francorum busta quaterna ducum.
Cæsareis sedes fuit illa cohortibus olim:
Nomen ob id Graium Spira vocata tenet.

Anno C. 1127. in bello Lotharij Cæsaris cum Cunrado Sueuo capta est Spira à Cunrado, eiectusq́; episcopus Sigefridus II. comes Leiningensis, sed à Lothario paulò pòst recuperata est, episcopusq́; restitutus. Imperante Rudolpho Habspurgio episcopatum gessit Fridericus Baro à Bolanden, qui

qui aduenientem Cæsaris coniugem Elisabetham osculo accepit, forma ipsius insigni illectus. Quod ægrè ferens imperatrix, Cæsari questa est, qui mox episcopo nunciari iussit: se hanc pacem sibi soli osculandam acquisiuisse. Quod si is pacem osculari vellet, propriam sibi compararet, ab aliena verò abstineret. Episcopus sentiens offensum esse imperatorem, cessit episcopatu, nec ad eum, nisi mortuo imperatore, rediit. Anno C. 1396. episcopo Rabbano, monachi ad S. Germanum vxores & filias ciuium, specie quadam religionis stuprarunt, & alia horrenda perpetrarunt. Quamobrem funditus destructum ac deletum est cœnobium illud, totusque clerus expulsus. Hæc res episcopo arma induit, vt menses duos vrbem obsideret. Sed composita est controuersia à Sigismundo imperatore, Norimbergæ in comitijs.

Monachi stuprant vxores & filias ciuium.

Anno Christi 1459. Fridericus Palatinus, cognomento Victoriosus, episcopatum in potestatem suam redegit, propterea, quod Ioannes episcopus Encenbergius, anno

an. Christi 1459. electus Adolphum Nassouium in certamine de archiepiscopatu Moguntino iuuisset: Anno tertio post Ioannes episcopatum Matthiæ Friderici Palatini Cancellario cessit, ecclesiastico senatu consentiente. Anno C. 1513. Georgius Palatinus Philippi electoris filius episcopus est factus, a quo ædificia aliquot partim reparata, partim de nouo extructa sunt. Anno C. 1529. Philippus à Flersheim episcopatui præfectus renascentem euangelij lucem non oppugnauit, sed suasor potius pacis in imperio extitit. Marquardus Habsteinensis quoque æquum sese aduersus religionem reformatam præbuit, & cameræ imperialis præses fuit, mortuus anno C. 1581. Marquardo successit nobilis dominus à Dunheim, episcopus LXXI. vir natura ipsa æquus & moderatus.

Phil. à Flersheim.

Marquardus.

VVORMACIENSIS EPISCOPATVS.

EPiscopatus Vuormaciensis ex archiepiscopatu factus, præsules habuit quosdam pios, cuiusmodi fuit Amandus, de quo

Episcopus pius.

de quo distichon extat memorabile:

Præsul amauit oues proprias, & pauit Amandus,
Iccirco superis semper amandus erit.

Geroldus bellicosus.

De Geroldo autem aliud epigramma reperitur:

Ense Geroldus obit præsul, qui dimicat ense,
Perplacet ergo chorum, non adijsse forum.

Fides violata.

Translato archiepiscopatus.

Hic enim, abiecta ecclesiæ cura, pugnas secutus est, quibus etiam interijt à Saxonibus occisus, cum Pipino Francorum rege bellum gerentibus. Geroldum secutus Geruilio Vuormaciensis & Moguntinus Præsul, Geroldi filius, in bello Francorum cum Saxonibus, data fide publica, ad colloquium euocat ex Saxonum exercitu eum, à quo pater ipsius erat interemtus. Is cum nihil periculi propter datam fidem pertimesceret, ad eum accessit. Geruilio intuens eum, iracundia & stomacho exardescit, & confodit illum. Qua perfidia sic commotus fuit Pipinus rex, vt, assentiente pontifice, vtroq; episcopatu eum priuarit, & in monasterium incluserit. Ac vt punitæ huius perfidiæ documentum perpetuum extaret, archiepiscopatum Vuormacia,

cia, Moguntiam transtulit, anno C. 729. Imperante Henrico V. certamen de electione noui episcopi exortum est, ob quod sedes quinquennio vacauit præsule. Pontifex enim Cæsari potestatem constituendi episcopos eripuit, & in se transmouit. Hinc à pontifice data est capitulo eligendi potestas. Capitulum verò ancipiti contentione in duas partes distractum est: alij Buggonem, alij Arnoldum elegerunt. Tandem verò prælatus Buggo à pontifice confirmatus est. Sed Cæsar pontificis confirmationem pro nihilo ducens, eiecto Buggone, Arnoldum episcopatui præfecit: qui tamen anno C. 1131. sponte sua Buggoni cessit.

Papa eripit imperatori ius constituendi episcopos.

Renouatum est sæpius hoc de episcopatu certamen an. C. 1253. contra Richardum electus est Eberhardus comes Bonenpurgensis Hessus. Sed adiutus à Cæsare Vuilhelmo Richardus episcopatum obtinuit, vrbemq́; ingressus splendididissimum epulum senatui & ciuium maiori parti dedit. Iterum an. C. 1342. duo episcopi designati de sede decertarunt. Quinqua-

M gesi-

gesimus octauus episcopus fuit Matthæus Cracouiensis Polonus, theologiæ doctor, Ruperti imperatoris Cancellarius. Hic omnes flammas dissidiorum & contentionum sustulit, anno C. 1407. Anno C. 1482. fuit episcopus Ioannes Camerarius Dalburgius, cuius prima ætas dedita disciplinis, Rudolpho Agricola & Ioanne Reuchlino præceptoribus, eò progressa est, vt Philosophus, orator, poëta, & Theologus excellens euaserit. Id quod demonstrant scripta eius oratoria & numerosa quæ extant. Primum Cancellarius Philippi Palatini electoris fuit. Inde ad episcopatum euectus est. Post eum anno C. 1503. episcopus factus est Reinhardus Riepurgensis, qui cum equitibus septingentis, decem principibus, aliquot comitibus vrbem ingressus est. Reinhardo successit Henricus IV. comes Palatinus, laude probitatis, iustitiæ & bonitatis clarus. Henricum secutus est Dithericus à Pettendorff, mortuus anno Christi 1580. Dithericum excepit Georgius à Schönberg eodem anno.

VVVRCEBVRGICVS EPISCOPATVS.

CIrca an. C. 680: à Benedicto II. pontifice in Franciam missi venerunt Chilianus, Colonatus, & Theotnanus, Scoti, Christianamq́ religionem ac fidem ibi docere cœperunt. Erat autem id temporis Ostfranciæ præfectus à Dietherico Gallorum rege Gosbertus, qui audita de Christo doctrina, ethnicam idolomaniam detestatus est. Et cum vteretur incesta consuetudine cum Geilana, fratris sui vxore, iusta seueritate, vt desisteret, à Chiliano admonitus est. Chilianus.

Geilana verò, ne à Gosberto desereretur, maturè dedit operam, vt absente duce Gosberto, Chilianus cum collegis suis Colonato, & Theotnano è medio tolleretur. Quod etiam factum est. Idq́ non solùm, sed ipse etiam Gosbertus, cum in suscepta fide Christi ac pœnitentia perseueraret, eiusdem bestiæ insidijs obtruncatus est. Ob quod facinus sic diuinitus non ipsa solum, sed cum ea etiam administri sceleris, puniti sunt, vt cum horribili ge- Geilana.

mitu atq; fremitu è vita expulsi sint. Post Gosbertum filius eius Hentanus religionem Christianam quoq; suscepit, & templum diuæ Mariæ condidit. Circa annum verò Christi 750. episcopatus à S. Bonifacio, consentientibus Pipino & Carolo Magno filio, fundatus est, eiq; adiunctus Franciæ ducatus: vt non tam episcopi quàm duces Franciæ nominentur præsules Vvurcepurgici. Ex quo euenire illud etiam scribitur, vt missam agens episcopus, gladium strictum prope aram positum habeat. Quæ res rythmo causam dedit,

Bonifacius autor episcopatus.

Gladius.

Herbipolensis sola iudicat ense stola,

Quod est, solus episcopus Vvurcepurgicus gerit gladium. Primus autem episcopus fuit Burcardus Anglus, qui annos quadraginta episcopatum & ducatum gubernauit, docendo siue concionando, & ius dicundo. Mortuus est anno C. 791. XIII. episcopus fuit Poppo, qui anno C. 941. per Othonem I. Imperatorem ius potestatemq; eligendi episcopum ex canonicis Vvurzepurgicis consecutus est. XIX. fuit S. Bruno filius Cunradi Carinthiæ ducis, qui cir-

Burcardus.

circa annum Christi 1034. commentarium psalmorum scripsit, & Cunradum imperatorem in Italiam secutus est: vbi accidit, vt, cum in obsidione Mediolanensi, die pentecostes missam in castris Cæsaris celebraret, tanta vis tantusq; impetus ventorum excitaretur, vt multi milites disijcerentur, aliqui etiam de mente & sanitate deturbarentur. Finita missa, imperatorem adijt Bruno, & indicauit, apparuisse sibi S. Ambrosium episcopum quondam Mediolanensem, & ipsius maiestatis corpori & valetudini incommoda multa minatum esse, nisi obsidionem solueret. Hoc sermone permotus Cæsar pacem cum ciuibus facit. Autores tamen seditionis ac rebellionis supplicio afficit. Extinctus est hic episcopus ruina arcis, seu castri superioris Pannoniæ ad Danubium siti, cui nomen Bosenburgo est, anno C. 1045. cum multis alijs, Cæsare vix seruato. Somnium episcopi.

Anno C. 1104. Erlangus contra Rupertum ab Henrico V. imperatore episcopatui præfectus est, & missus ab eodem Coloniam, vbi principes imperij conuene-

rant ad eligendum nouum imperatorem, vt obedientiam & emendationem ipsius nomine polliceretur. Sed admissus non est. Quare & ipse à Cæsare deficere cœpit. Quod molestè ferens Cæsar, ducatum Vuurcepurgicum conatus est inuadere, eumq́ Cunrado duci Sueuiæ, sororis filio tradere. Sed restitit ei Erlangus vi, & primus strictum gladium sibi præferendum curauit, cuius effigiem etiam clypeo suo inseruit, quod posteri sunt imitati.

Strictus gladius.

Anno C. 1247. Sigefridus episcopus fuit, qui incensus amore cœnobij Eberbachi post mortem cor suum ibi sepeliri voluit. Vnde adhuc moris est, ut mortui episcopi Vuurcepurgici intestina in templo arcis, corpus in cathedrali templo sepeliatur, cor verò loculo plumbeo inclusum, ab equis quatuor Eberbachum vehatur, ibiq́ in sacello humetur, curru, equis, & ministro in cœnobio remanentibus. XXXVI. episcopus Cunradus à Rabenspurg Henrici VI. imperatoris Cancellarius in Asiam aduersus Saracenos cum eo profectus in Cypro Amalricum regem coronauit. Reuersus

uersus domum anno Christi 1203. occisus est à duobus equitibus auratis ex Canum familia, Henrico & Pothione à Reinstein: qui obiurgati ab eo ita stomachati sunt, vt equis ad fugam paratis per insidias illum nihil tale metuentem, cum solus ex habitatione sua in summam basilicam descenderet, interfecerint. Anno Christi Perfidia. *1250. Hiringus, designatus est episcopus, is qui quosdam nobiles in compotatione contra fidem omnem capite truncandos curauit. Qua fraude animaduersa, quidam eques auratus nasum ei amputauit. Inuenti sunt etiam episcopi, qui bellum cum Vuurcepurgensibus gesserunt. Anno* Episcopi bellicosi. *C. 1269. Bertoldus dominus à Sternberg contra seditiosam Herbipolim bellum gessit, & prope Kitzingam quingentos de ciuium exercitu trucidauit, autore Bruschio an. C. 1269. quo ciues quingenti à Cunrado episcopo cæsi sunt, & iterum anno C. 1400. quando Gerardus comes Schvvartzpurgicus ciues 1300. cecidit, 2000. cepit. Anno C. 1398. Academia Vuurcepurgo Erffordiam translata est propter diutur-*

num bellum. Anno C. 1412. iterum episcopus Ioannes à Brum in prælio ciues Vuurcepurgios fudit.

LVI. Episcopus Godefridus Barò à Limburg, semper liber, diœcesin post diuturnos motus & agitationes pacauit, & primus ducis Franciæ titulo in diplomatibus vsus est, idq́ propter Albertum Brandeburgi Marchionem, & Norimbergæ Burggrauium, qui Franciæ ducem sese nominabat, propter oppida nonnulla, quæ in Francia haberet. Anno C. 1544. LX. episcopus Melchior ex antiqua gente Zobelorum in Ostfrancia natus cum Alberto Marchione bellum gessit, eumq́ ope & adminiculo Caroli V. & Ferdinandi ita repressit, vt pax optata patriæ restitueretur. Sed cum in paschatis festo, ex templo in arcem rediret, à quindecim coniuratis iuxta pontem globo traiectus est, anno C. 1558. Melchiori successit Fridericus Vrspergensis, qui publicas conciones habuit, sacramenta administrauit, & doctrinam literarum profitentes benignè inuit. Fridericum subsecutus est Iulius

Titulus ducis in diplomatis.

Iulius Echterus.

Echte-

Echterus, qui edicto graui subditos suos ab euangelij professione ad catholicam, siue pontificiam ecclesiam reuocauit: non obtemperantibus verò, vel exilium cum bonorum venditione, imperauit: vel bonorum priuationem minatus est. Accreuerat iam ecclesia Christi secundum Augustanam confessionem in Francia adeò, vt non ciuitas, non vicus, non pagus esset, in quo non aliqui inueniebantur, qui euangelium profiterentur. Etsi enim publicæ conciones non concedebantur, tamen vicina loca euangelici adibant, vbi conciones audire & sacramentis vti rectè possent. Non conuitijs, non mulctis, non carceribus sese deterreri ab hoc pio proposito sinebant, sed contumelias maledictaque omnia contemnebant, & pro nihilo putabant. Tum honoribus etiam priuari, à cœmeterio consueto, ceremonijsque sepulcri vsitatis arceri, quàm euangelij professionem abijcere malebant. At in hac acerba persecutione, quæ nullis precibus, aut intercessionibus vicinorum principum euangelicorum mitigari poterat, nonnulli Perfecutio horribilis

 bona,

bona, parentes, propinquos, amicos, fundos, & alia quæ cara esse solent, retinere maluerunt, quàm semel susceptam religionis formulam cum tanto periculo, & iactura bonorum amplius profiteri & sequi.

EPISCOPATVS AVGVSTANVS.

CIrca annum Christi 300. Sosimus, à Narcisso verò nominatus Dionysius, Augustæ Vindelicorum euangelium docuit, & cum Afra, Digna, Eunomia, Eutropia, multisque alijs sanctis à Gaio Diocletiani duce interfectus est. Quod verò Narcissus, postquam ex Hispania in Rhetiam prouinciam venisset, Augustæ Afram cum tribus puellis, & matre ipsius Hilaria à meretricio quæstu ad fidem Christi dicitur conuertisse, & cum Satana disputasse, id fabulæ monasticæ non dissimile est.

Circa annum verò Christi 400. Ambrosius Mediolani episcopus Albanum & Theomnestum Augustam misit, vt ab Ariana hæresi ecclesiam ibi repurgarent. Sed inde depulsi Moguntiam venerunt, & mar-

& martyrio affecti sunt. Anno C. 923. S. Vlricus ab Henrico Aucupe episcopatui Augustano præfectus est, & annos quinquaginta præfuit. Vidit in somnis Arnoldum Bauariæ ducem, qui cum Henrico de imperio decertabat, gladium quidem gerere, sed sine capulo. Hoc visum exposuit Henrico imperatori, eumq́ue ad pacem hortatus est, prædicens, Arnoldum affectantem imperium, eo potiturum non esse. Adfuit etiam Othoni Magno imperatori in bello contra Vngaros anno Christi 954. captumq́ue in eo Stephanum Vngariæ regem baptisauit, & in loco prælij templum S. Stephani construxit, vrbemq́ue ampliauit. Anno C. 975. Henricus comes à Geisenhusa, cum vltimus auiti comitatus hæres esset, donauit illum Augustanæ ecclesiæ. Bruno autem Bauariæ & Saxoniæ dux templum S. Mauritij condidit Huic præsuli bellum intulit Vvelphus Bauariæ dux, Augustamq́ue oppugnauit, cepit, & demolitus est: sed reuerso ex Italia imperatore Henrico II. reparare omnia coactus est. Henricus II. Henrici III. imperatoris

toris consiliarius & Cancellarius, præsul Augustanæ ecclesiæ factus, palatium episcopale ad templum diuæ Mariæ, & arcem Falckensteinum construxit. Inuisus fuit Henrico Cæsari & cunctis episcopis propter suspicionem impudicæ consuetudinis cum Agnete imperatoris coniuge. Profugit igitur in arcem Faulckensteinum, sed ab imperatore circumsessus & oppugnatus ea conditione sese dedidit, ne in capitis periculum vocaretur. Exijt ergo quingentis viris comitatus, & cum ad Cæsaris pedes sese abiecisset, abreptus est in castra Cæsaris, & palo pudenda eius contrita, vnde Augustam à ministris ductus, in itinere expirauit, an. C. 1063.

Impudica consuetudo punita.

Anno C. 1077. duo episcopi à dissentientibus capitularibus lecti sunt, Sigefridus Dornbergensis comes, & Vvigoldus: quorum ille Augustæ, hic Fiessenæ sedit. Hi certarunt magno incommodo ecclesiæ annos septem de episcopatu. Ac Sigefridus quidem à Cæsare Henrico IV. defenditur: sed non multò pòst à Vvelpho Bauaro, qui Augustam proditione cepit, & hor-

horrendum in modum vastauit, captus est, & abductus Rauenspurgum. Amoto ad hunc modum Sigefrido, episcopatum inuadere voluit Vvigoldus, sed breui extinctus est mœrore. Conabatur quidem Vvelphus alios præficere episcopatui, qui ipsum patronum ac defensorem agnoscerent: sed eorum complures, antequam rem habere cœperunt, mortui sunt. Anno C. 1252. episcopus quadragesimus fuit Hartmannus à Kiburgo, & Dillinga, qui cum vltimus hæres in familia sua esset, Dillingam Augustanæ ecclesiæ donauit. XLVII. episcopus fuit Marquardus nobilis à Randack Sueuus, Caroli IV. imperatoris vicarius in Italia, à quo potestatem cudendi monetam impetrauit. Postea anno C. 1368. patriarcha Aquileiensis creatus, Augustanum episcopatum deseruit: sed nihilominus tamen aliquando Augustam reuersus omnem controuersiam inter episcopum & ciuitatem, cum duce Bauariæ composuit. Anno C. 1369. in obsidione vrbis Mindelheimi telo confossus peryt Vvaltherus episcopus nobilis ab Hohenslitz,

Dillinga episcopatui donata.

Vvalterus ab Hohenslitz.

litz, cum bellum infelix impulsu familiæ suæ contra eam vrbem suscepisset. LIII. episcopus fuit Petrus, nobilis Francus à Schaumberg, eruditione clarus, & ad Basiliense concilium adhibitus, tum Cardinalis à Nicolao VIII. designatus. Cardinalis. *Anno C. 1517. episcopatum adeptus est Christophorus à Stadion, pius, eruditus, liberalis erga pauperes, & in conciliandis principum voluntatibus offensus mirè solers & acutus.* Christoph. à Stadion. *Otho VVilhelmus dapifer à Vvaltpurg episcopus LVIII. anno Christi 1543. optimis præceptoribus in Germania & Italia vsus, optimis disciplinis eruditus fuit, & orationem solutam ac numeris astrictam scripsit elegantem ac politam. Carolo imperatori carus fuit: Clerum, qui propter mutationem religionis sex annos absuerat, in vrbem reduxit, amissaq; recuperauit. Cardinalis an. C. 1544. à Paulo III. pontifice creatus est VVormaciæ, & Dillingæ nouum gymnasium aperuit, idq; vt doctis hominibus, liberalibusq; studijs afflueret, operam dedit. Ipsemet in eo disputauit, lectionibus interfuit, &*

quoad

quoad eius facere potuit, scholam exornauit. Anno C. 1545. Vvormatiæ in comitijs nomine Cæsaris præses fuit. Huic successit Ioannes Egolphus de Knæringen. Anno 1576. Marquardus consecratus est episcopus Augustanus Dillingæ in arcis sacello.

EPISCOPATVS CONSTANTIENSIS AD LACVM Podamicum.

Circa annum à nato Christo 514. vel secundum alios, 616. Clodouæus Gallorum rex episcopatum Vindenissa Constantiam, ob rerum opportunitatem, transtulit, & bonis priuilegijsq; multis auxit. Quod imitati consequentes reges Dagobertus, Bertrada, Pipini coniunx, Caroli Magni mater, Cunradus Saliquus, & alij, fortunis & priuilegijs episcopatum locupletarunt. Primus antistes Constantiensis fuit S. Paternus, quem secuti sunt cum alij, tum Maxentius, Rudolphus, Vnsingus, & cæteri, quorum vnusquisq; ferè accessionem aliquam attulit. Celebris in Vindenissa Windisch

primis

Notingus. *primis fuit Notingus, qui commentarios euangeliorum, & scripta alia vtriusq; orationis metricæ & solutæ post se reliquit. Anno C. 1071. Otho episcopus à pontifice expulsus est propter duas causas, quod cum Henrico IV. imperatore consensisset, & cœlibatum sacerdotum improbasset. Anno C. 1234. Henricus electus episcopus sequente anno armis oppugnauit duos Barones à Niffen, quos etiam vicit & cepit.* Bellatores. *Quod exemplum imitatus Rudolphus comes Habspurgius designatus anno C. 1274. postea anno C. 1291. Buchornum ad lacum Podamicum cepit & vastauit.* Liberalis episcopus. *Laude digna est liberalitas Nicolai episcopi à Kengingen & Frauenfeld, qui tempore famis, diebus singulis pauit pauperes 3000. Huius successores fuerunt Vdalricus III. Ioannes III. Vdalricus IV. & Henricus III. anno C. 1356. qui pecuniæ vim magnam coaceruauit, & cum interrogaretur, quare id faceret, respondit, vt belli tempore meos subditos tueri poßim, vel pacem, si res ita cogat, redimere. Anno C. 1435. synodus Constantiæ habi-*

habita est, in qua congregati fuerunt Abbates 26. præpositi 6. canonici 40. sacerdotes 260. deprehensumq́ est: 350. cœnobia, 1760. templa, sacerdotes supra 17000. ad episcopatum Constantiensem pertinere. Anno Christi 1496. electus Hugo à Landenberg, attigit tempus illud, quo senatus Constantiensis emendationem religionis suscepit, quæ incidit in annum Christi 1527. Itaq; prouinciam deposuit, & Baldasarum Merckelium iuris doctorem, & Caroli V. vicecancellarium delegit. Anno 1538. Ioannes VI. à Vvezen, Belga ad episcopatum euectus est, qui propter doctrinæ eruditionem, linguarum peritiam, & rerum vsum Carolo V. & Ferdinando carus fuit. Adiunxit episcopatui cœnobium Diuitaugense & præposituram Deningensem ad lacum Venetum sitam. Successit anno 1548. Christophorus Metzler legum Doctor: Metzlero Andreas Austriacus Cardinalis. Christophorus Metzlerus.

EPISCOPATVS CVRIENSIS RHETORVM.

Asimus.

ANno C. 450. grassante per Europam Attila Hunno, penè in medio ipsius furore venit in Rhetiam Asimus, & primus Curiensium episcopus est factus. Conterriti tunc erant animi penè omnium hominum metu Hunnorum crudelitatis atq; tyrannidis. Quo sanè gratior accidit Rhetis huius Asimi doctrina, consolationis plena de Christo; quo cum regnare si volumus, simul etiam pati cum eodem in hac vita oportet. XIV. episcopus Curiensis fuit Paschalis comes Bragentinus, qui coniugem habuit Esopeiam, antistitam Curiensem dictam. Ex quo liquet, sacerdotum coniugium minimè impium esse habitum. Circa annum C. 1170. Egimo episcopus primus titulum principis per Fridericum Barbarossam consecutus est, & Fridericum Sueuiæ ducem patronum episcopatus suscepit. Anno C. 1282. Fridericus comes Montfortensis, præsul socius belli fraterni fuit contra Rudolphum regem: sed captus est, & cum post biennij custodiam, consutis & connexis linteaminibus, de turri sese demittere conaretur, ruptis

Episcopus vxorem habet.

ruptis funiculis decidit & extinctus est. Anno C. 1377. Ioannes Alberti Austriæ ducis Cancellarius ad episcopatum florinos 8000. attulit, quibus oppressum illum ære alieno liberauit. Hunc secutus Hartmannus comes Vvirtenbergensis anno Christi 1389. à Modestino vicecomite Mediolanensi pro se & omnibus posteris dono accepit vallem Tellinam, generosi vini feracem, aliasq́ arces & oppida complura episcopatui adiunxit. Sunt autem archiduces Austriæ Curiensis episcopatus pincernæ: à quo episcopatu etiam comitatus Tyrolis feudum archiduces illi acceperunt anno C. 1415. Quod ipsum fecit quoque Ferdinandus anno C. 1548. Electus est Curiensium episcopus Lucius Iter, nobilis Rhetus, philosophiæ magister, anno C. 1541.

Feudum Tyrolis.

EPISCOPATVS EICHSTETENSIS, SEV DRYOPOLIS ad flumen Alemannum.

ANno C. 744. regnante in Francia Pipino Caroli Magni patre, S. Bonifacius S. Vvilibaldum, Richardi ducis Sueuiæ filium præsulem Eichstetensis ecclesiæ

Eichstetē nomen.

clesiæ fecit. Fuit autem quercina sylua seu lucus quercinus in eo loco, vbi nunc Eichstetum est: quo exciso, monasterium ibi conditum est, & episcopatus erectus, qui ab vrbe Eichsteto, vel Dryopoli, Eichstetensis, propter succisas quercus, dicitur. Dominus eius loci erat Suickerus comes, qui liberaliter fundationem episcopatus adiuuit. Secundus episcopus Eichstetensis fuit Gerochus, qui cathedralem ecclesiam condidit, & aram auream, quæ gestari potest, episcopatui donauit. Tertius Aganus anno C. 802. vir pius & sanctus, qui nihil tam studuit, quàm vt religionem de Christo propagaret. VIII. Erckenvvaldus, ex Caroli Magni posteris per Arnolphum imperatorem consecutus est cœnobium Hasenriet, à Ludouico verò III. imperatore potestatem cudendi monetas accepit. XI. Reginaldus eruditus, & trium linguarum peritus, musicus excellens, & Othonibus imperatoribus carus, à quibus etiam priuilegia multa impetrauit. Scripsit de vita S. Nicolai, Blasÿ & quorundam aliorum. Templum cathedrale ampliauit, &

uit, & accessionibus multis episcopatum auxit. XV. Heribertus doctus & pius episcopus hymnos composuit, quorum usus fuit Eichsteti, templum cathedrale de integro extraxit, & alia ad locupletandum & ornandum episcopatum adiecit. XVII. Gebhardus comes de Kalvv, electus anno C. 1042. vir sapiens & valde industrius. Itaq; mortuo Leone IX. pontifice, an C. 1054. cum Cardinales, legatione ad Cæsarem missa, alium pontificem flagitarent, consentientibus suffragijs imperij, Moguntiæ in comitijs designatus est hic Gebhardus, natione Germanus, patria Vuirtenbergensis, & Victor II. appellatus. Pontifex Germanus. *Etsi autem biennium tantum sedit, & menses tres: tamen hoc breui spacio temporis reformationem Cleri suscipere studuit, & in Germaniam ab Henrico III. imperatore vocatus, filium ipsius Henricum imperatorem à patre designatum coronauit, & confirmauit Goslariæ anno C. 1056.*

XX. Episcopus Eberhardus Marchio Suinfurtensis an. C. 1098. missus est à synodo Moguntina ad pontificem Rom. ut

Germaniam ei purgaret, & obedientiam eius nomine polliceretur. Sed in itinere ab imperatore Henrico, cui cum pontifice acre certamen erat de libertate Germaniæ, intercipitur: paulò pòst tamen à Vvelpho liberatur: & domi commissum sibi episcopatum diligenter administrat. Episcopo Cunrado, circa annum C. 1153. Cæsar Fridericus Barbarossa pagum Rebdorff donauit, vbi cœnobium S. Augustini conditum est. XXXVII. episcopus Cunradus II. nobilis Bauarus à Pfaffenhusen, anno C. 1297. multis arcibus emtis episcopatum auxit, pagos aliquot conuertit in vrbes. In conuentu Norimbergensi certauit cum episcopo Vvormaciensi de sessione, & à Gebhardo comite de Hirsberg, vltimo hærede familiæ suæ accepit totum comitatum Hirsbergensem, cum oppido Berchingen, quæ episcopatus adhuc tenet. De hac donatione versus facti sunt:

Montem ceruorum clarum, castrumq́ue decorum,
Et res Cunrado Gebhardus ego tibi trado.
Quas Vvilibaldi vice suscipias patris almi,
Aeternam vt requiē mihi is impetret atq; salutem.

Henri-

Henricus V. nobilis pincerna de Reicheneck à pontifice ordinatus episcopus, odio imperatoris Ludouici Bauari an. C. 1329. sedit annos quinq;, arcem Reichenavv adeptus est, & vrbem Herrieden muro circundedit. Postea reuerso ex Italia Cæsare, cessit, & Norimbergæ reliquum vitæ tempus contriuit.

Fridericus IV. comes Oetingensis episcopus XLVII. an. C. 1383. emit arces Danhausen & Bruneck, multisq; ædificijs episcopatum exornauit. Fuerunt autem plerìq; omnes præsules Eichstetensis ecclesiæ pacis studiosi, nec more aliorum episcoporum bella gesserunt. Qualis etiam fuit Albertus II. nobilis à Rechberg, item Ioannes III. nobilis ab Aich, Theologiæ doctor, Alberti Cæsaris Cancellarius, qui etiam in clerum seuerè animaduertit, & multa in pauperes contulit. Itaq;, eo mortuo, Pius II. pontifex dixisse fertur, ecclesiam Romam meritò multis lacrymis eius mortem prosequi, quod auream columnam sui corporis in Germania amisisset. LI. fuit Vvilhelmus nobilis à Reichenavv,

Episcopi Eichstetenses pacis amantes.

Vvilhelmus sapiens.

chenavv, qui multas arces & pagos emit, tantumq́; sapientia valuit, vt de eo versus sit pronunciatus:

At tibi Solonis mens præsul, & os Salomonis.

LII. fuit Gabriel ab Eyb an. C. 1496. qui doctrina excelluit, & doctoris gradum consecutus est. Placidus adeò fuit, vt quoties irritatus est, in animo & ore illud habuerit: Causam Deo, veritati, legibus, & S. Vvilibaldo iudicandam relinquo. LIII. Christophorus Mareschalck à Bappenheim anno C. 1535. LIV. Mauritius nobilis Francus ab Hutten, anno 1539. cuius eruditio & industria celebris est.

EPISCOPATVS HALBERSTADENSIS IN INFERIORI Saxonia.

Salingstede CIrca annum C. 780. Carolus Magnus ecclesiam siue episcopatum fundauit in oppido Salingstede, siue Osteruig, vt quidam volunt, quem Ludouicus Pius quadragesimo anno post Halberstadium transtulit, opportunitatem loci secutus, inter Albim & Oram confluentes fluuios.

uios. Ex quo etiam nominatam volunt vrbem illam, quasi Alborſtad, vulgò verò Halberſtad. Primus autem præſul eccleſiæ Halberſtadienſis fuit Hildegrinus, qui non ſolùm Dei verbum fideliter ibi docuit, ſed rebus etiam neceſſarijs omnibus eccleſiam auxit. Ab hoc longo ordine recenſentur præſules, de quorum rebus multa in hiſtorijs reperiuntur commemoratione digna. Anno Chriſti 1346. Albertus præſul. XXIX. dux Brunſuicenſis cum comitibus Reinſteinenſibus & Mansfeldijs diſsidium atq; ſimultatem geſsit, quæ non aliunde quàm ex feudalibus quibuſdam bonis orta eſt. Epiſcopus quidem fultus potentia familiæ ſuæ, & fratris epiſcopi Hildesheimenſis contemnebat omnem vim, quam minabantur comites. Accedebat eodem gratia noui regis Rom. Caroli IV. contra Ludouicum imperatorem deſignati, qua non parum confidebat epiſcopus. Itaq; comites premebat & vrgebat adeò, vt à vicinis petere auxilium cogerentur. Implicabantur huic bello etiam Northuſani, qui comiticus commeatum & militem

Alborſtad. Hildegrinus. Albertus epiſcopus bellicoſus.

 imper-

impertiuerant. Quamobrem episcopus cum fratre Hildesheimensi præsule Northusanos, quocunque in loco deprehensos capit, pulsat, cædit. De qua iniuria cum senatus Northusanus querelam iustam ad Cæsarem Carolum IV. afferret: mandabat is episcopo Hildesheimensi, vt molestus esse Northusanis desisteret.

Ioan. Hoym placidus.

Anno C. 1423. episcopus fuit Ioannes Hoym, qui tumultuantes ciues Halberstadienses ratione magis & consilio, quàm vi & armis comprimere studuit. Inuaserant enim ciues senatum, impulsu vnius hominis turbulenti & seditiosi, Longi Matthiæ, eumque in turres coniecerant: ipsi verò gubernacula Reipub. ad suam libidinem tractabant. Ad hos misit episcopus vicinarum ciuitatum, Magdepurgi, Brunsuigi, Goslariæ, Northusij, & Quedlinburgi legatos, vt à tumultu ad quieta consilia eos reuocarent: quibus tamen ipsi responderunt, se quod cœpissent, sine aliorum ope & consilio perfecturos esse. Ita legati, re infecta, discesserunt. Seditiosi verò furore & amentia inflammati,

mati, quinq; primarios senatores in forum productos capite truncarunt. Cognati verò & propinqui eorum cum similem exitum sibi impendere satis perspicerent, clam ad Cæsarem profecti, de iniuria questi sunt. Is statim Halberstadienses proscribit. Dehinc inuaduntur illi à vicinis, diripiuntur, & intercipiuntur quocunq; in loco deprehensi. In has angustias adducti ad episcopum mittunt, & temerario facinori veniam petunt. Quem etiam vt placatum magis efficiant, munere amplo honestant. Episcopus dat fidem, se daturum operam, vt ex angustijs liberentur. Hoc responso exuscitati seditiosorum animi, ad rem gerendam maiores fiunt. Sed mox adductis copijs à Magno Saxoniæ & Lauenpurgi duce, ex vrbe ad velitationem euocati cæduntur. At ne sic quidem compreßi spiritus remittunt. Iccirco Saxoniæ principes & ciuitates ad eos mittunt legatos suos, vt à furore desistant, hortantes. Vbi nihil obtinent, vrbem obsident, & autores seditionis sibi dedi postulant, quo parci cæteris innocentibus magis quæat.

queat. Interim Longus Matthias ex vrbe clam profugit mutatis vestibus: sed ex fuga retractus ad episcopum ducitur. Remoto hoc antesignano, admotis tormentis horrendum in modum verberabatur oppidum, tantusq́ timor inijciebatur ciuibus, vt duces seditionis partim ad principes mitterent, partim etiam abire paterentur: Simul verò errati veniam peterent. Principes deditos sibi seditiosos & alios quotquot ex fuga retrahere possunt, in castris trucidant. Episcopus verò vnum de singulis ciuitatibus, à quibus adiutus erat, in vrbem mittit, & vt nouum senatum ordinent, potestatem dat. Durauit hic tumultus biennium, & anno demum C. 1425. sedatus est.

Ernestus præsul.

Anno C. 1484. cum iterum senatus à ciuibus, & ciues inter se ipsi dissiderent, Ernestus episcopus Halberstadensis, archiepiscopus verò Magdepurgensis sperans se ea occasione recuperaturum iurisdictionem, quam senatui oppignorarat, & alia iura ad episcopatum pertinentia: duodecim millibus armatorum vrbem circumsidet,

sidet, & tormentis vndiq; quatit. Cesserant iam ex vrbe pleriq; canonici: vnus verò Decanus nobilis dominus à Quernfurt natu grandis remanserat. Hic cum familia sua & ciuibus portas & mœnia vrbis custodiuit. Sed cum impetum hostilem amplius sustinere non possent ciues, nec spes auxilij vlla superesset, in fidem & clientelam episcopi sese dederunt. Hoc pacto libertatem suam omnem amisit ciuitas, intestinis dissensionibus fracta, & in alienam potestatem redacta. Anno C. 1513. Albertus Marchio Brandepurgicus, Ioannis electoris filius, Halberstadiensem diœcesin vnà cum Magdepurgensi gubernandam suscepit. Sub hoc reformari doctrina ecclesiæ cœpit, & Halberstadij etiam à Ioanne Vuesselio, & Henrico Gebhardo propagata est. Sed his per canonicos expulsis, Eberhardus Vvidense, & Valentinus Musteus eandem tradiderunt, adiuti ab Henrico Scriba consule, qui propterea captus in Salinas ductus est, & vix, soluto pro capite precio, euasit. Musteo autem virilia excisa sunt: qui tamen

Albertus Cardinalis.

Reformata religio.

tamen sanatus Vvitenbergam venit, & per Lutherum officij munus consecutus est. Eberhardus denique ad carcerem perpetuum damnatus est: vnde tamen elapsus Magdepurgi pastor ecclesiæ electus est. Interim nihilominus Henricus Vvinkelius & Ioannes Vvimerstadius euangelium vsque ad annum vicesimum nonum docuerunt. Ab eo autem tempore vsque ad annum trigesimum nonum religio reformata conticuit, & tum demum permissu Alberti Cardinalis à fluctibus seruitutis emersit, & in publico proposita est: cum alioqui flagitata pecunia impetrari à ciuitate non posset. Alberto Cardinali

Ioan. Albertus. *an. C. 1545. successit Ioannes Albertus Marchio Brandepurgicus, Friderici Anspacensis filius, quem secutus an. Christi*

Fridericus. *1552. Fridericus Marchio Brandepurgicus, Ioachimi II. electoris filius, Augustanæ confessionis patronus fuit, & hoc ipso anno vitam cum morte commutauit: cui*

Sigismundus. *mox à collegis substitutus est frater Sigismundus, quatuordecim annos natus, qui dum reformationem doctrinæ & cultuum*

tuum molitur, ad vitæ exitum vocatur an. C. 1566. Post eum Henricus Iulius infans bimus, Iulij Brunsuicensis ducis filius electus est ea conditione, vt gubernatio duodecim annos esset penes capitulum, & designato præsuli quotannis certa pecuniæ summa persolueretur, reliquum ad necessarios vsus collegij conferretur. Etsi autem Canonici pontificiam religionem multò pertinaciùs quàm Magdepurgici tuebantur: tamen serò tandem Augustanæ confeßionis doctrinam amplexi sunt. Henricus Iulius.

EPISCOPATVS HILDESHEIMENSIS IN INferiori Saxonia.

Hildeshcimensis *episcopatus primum Aulicensis fuit dictus à loco, vbi à Carolo Magno fundatus est: sed postea à filio Caroli Ludouico Pio, anno Christi 814. Hildesheimum translatus, sedes præsulum in tempus omne extitit. Primus à quibusdam Guntharius, rectiùs verò Guntherus appellatur, qui non minùs quàm posteri ipsius ornare, ampliare, & locupletare* Aulicensis zu Eltze, vbi Carol. Mag. collegium clericorum condidit.

tare ecclesiam studuit. Ac primùm quidem præsules ecclesiam curarunt, & S. Benedicti ordinem seruarunt, vsq; ad Dithmarum XV. antistitem, qui Cunradi Salici consiliarius fuit, anno C. 1038. & abiecto ordine Benedictino, passus est canonicos in distinctis ædibus, politicorum ritu, habitare. Anno C. 1079. electus est Vdo comes Aluenslebius, antistes XVIII. ab Henrico IV. imperatore constitutus, quia in fide Cæsari debita constanter perseuerabat. Quod grauiter ferentes Cæsaris hostes, in primis verò Ecbertus Misniæ marchio, apertè eum oppugnat, captumq; per tormenta eò adigit, vt traditurum se Hildesheimum, datis obsidibus, promittat. Cum verò id præstare episcopus neq; posset neq; vellet, Marchio obsidione cingit vrbem, & vt in deditionem redigat, obsidem vnum palàm capite truncat. Vbi nec hoc modo potiri vrbe potest, maiores copias comparat, & fessus de via ad molam suam Isenbutelum non procul ab vrbe Brunsuigo cũ paucis diuertit, molitoremq; ad afferendum ex vicino oppido potum emittit.

Vdo.

Ecbertus Misn. Marchio.

Huic

Huic molitori occurrunt equites Cæsariani, hostes Marchionis, qui explorata & cognita re, incitato cursu ad molam contendunt. Concurritur acriter, vtraq; parte viriliter dimicante. Sed tandem confoditur Ecbertus, & obsidio Hildesheimensis soluitur, an. C. 1090.

XXXVII. anno C. 1362. fuit Ioannes Schadland Coloniensis theologiæ doctor, qui Hildesheimum veniens in primis quæsiuit de bibliotheca. Sed ab aulæ ministris in armamentarium ductus est, vt arma inspiceret. Dixerunt enim, superiores episcopos non libros sed arma tractasse. Episcopus datis ad pontificem literis, alium locum sibi dari petijt, vbi literis vacare posset. Quare Augustam missus est. Successit ei Gerardus Baro à Berg, an. C. 1364. qui cum Magno Brunsuicensium duce graues inimicitias gessit. Magnus quidem cum socijs belli Ditherico Magdepurgensium archipræsule, Alberto Halberstadiensi episcopo, principibus Anhaldinis, Gebhardo Mansfeldiæ comite, Volrado Quernfurti dynasta, & Gunthero Barbiensi comite

Episcopus literis, non armis deditus.

Gerardus bellator.

inuasit diœcesin Hildesheimensem, diripuit, incendit, vastauit, quoad eius facere potuit. Episcopus verò ciues suos in aciem eduxit, & prælium commisit: in quo hostes vicit, & non solùm Brunsuicensem ducem, sed etiam episcopum Halberstadiensem, aliosq́ primarios supra centum cepit, 1500. cecidit, reliquos in fugam coniecit, vnus Dithericus Magdepurgicus 6000. marcis captiuos suos redimere coactus est. Ridiculum est quod hoc tempore de duobus episcopis, Alberto Halberstadiensi, & Gerardo Hildesheimensi peruulgatũ est. Capto enim Alberto Halberstadiensi à Gerardo Hildesheimensi, prouerbij loco illud iactatũ est: Logica victa est à Rhetorica. Albertus enim disputator erat acutus, Gerardus verò Rhetor eximius. Anno C.1398. electus est Ioannes comes ab Hoya episcopus XXXIX. qui bellum gessit cum Bernhardo Brunsuicensium duce & socijs eius, Vuilhelmo duce Lunæpurgi, Ioanne episcopo Halberstadiensi, Marchione Brandepurgico, & alijs: Ipse fœderatos habebat Othonem fratrem, præsulem

Logica victa a Rhetorica.

Bellum episcopale.

ſulem Monaſterienſem, comitem Hohnſteinenſem, & alios. Concurritur ab vtraque parte tanto animi ardore, atque impetu, vt nihil loci his, qui ſe in pacificationem interponere volebant, relinquatur. Vaſtantur vtrinque multa, diripiuntur, exuruntur, & abiguntur homines pecudesque. Tandem ad pugnam & manus ventum eſt, ac bis ſuperatus epiſcopus, ſemel ad Oſteruicum, & iterum ad Gronde. Ad extremum archiepiſcopus Colonienſis Dithericus interceßit, & controuerſiam compoſuit. Anno C. 1459. Erneſtus præſul XLII. Comes Schauenburgius bis quoque, ſed ſucceſſu nullo, cum ducibus Brunſuigi conflixit. Iccirco mœrore tandem extinctus eſt. XLIII. antiſtes electus eſt Henricus, nobilis ab Huſen, & contra eum Hermanus Haßiæ Landgrauius. Ac Henricus quidem abiecta omni cunctatione Romam profectus, confirmationem à pontifice impetrauit: domumque reuerſus, plauſu & gratulatione magna acceptus eſt. Hermanus autem bellum ſibi paratum proſpiciens, ſponte ceßit. Contra Henri-

cum nihilominus statim electus est alius Balthasar Megalpurgicus dux, qui cum quingentis equitibus vrbem ingressus est: sed à ciuibus in arce Steirvvaldæ obsessus, triennium de episcopatu dimicauit.

Bertholdus XLIV. epis.

Tandem vltrò se à gubernatione remouit. Succeßit ei Bertholdus Baro à Lansberg anno Christi 1481. qui anno Christi 1486. bellum graue cum ciuitate Hildesheimensi geßit.

Bellum episcopi cum ciuitate Hildesheim.

Coniuncti erant cum Hildesheimensibus Goslarienses, Magdepurgenses, Brunsuicenses, Lunepurgenses, Gottingenses, Hannouerenses, Eimbeccenses, & aliæ ciuitates inferioris Saxoniæ, quæ communiter sibi propugnandum pro libertate iudicabant. Episcopum verò iuuabat Henricus Brunsuigi dux, Vvilhelmus Henrici filius & comites multi. Datum & acceptum est vtrinq; detrimenti multum. Sed post biennium interposuit sese Bugislaus Pomeraniæ dux placuitq; parti vtriq;, vt lis ab Alberto Saxoniæ duce dirimeretur. Quod etiam factum est, & ab vtraq; parte depositis armis gratia reconciliata est.

Anno C. 1504. electus est Ioannes Saxoniæ de Lauenpurgensi familia dux, qui anno Christi 1519. bello persecutus est Henricum Brunsuigi ducem, tam propter veteres quasdam controuersias de iure quorundam communium & finitimorum oppidorum ac prædiorum, quàm propter nouas offensiones ex receptu eorum, quos hostes episcopi in Brunsuicensi ditione habebant. Ab episcopo quidem contra Brunsuicensem stetit Henricus dux Lunepurgensis, comes Schompurgi, & alij. Franciscus autem Mindensis episcopus Henrici Brunsuicensis frater, qui odio quodam ab Hildesheimensi præsule dissidebat, ardentes faces Brunsuicensi ad hoc bellum ministrabat. Vbi Ericus Brunsuicensis dux parari bellum animaduertit, vnà cum Henrico iuniore Brunsuigi duce ad episcopum Hildesheimensem dat literas, quibus voluntatem ipsius exploret. Respondebatur verò eis, nihil esse periculi planè, modò quiescant ipsi. At hi parum fidentes his verbis, subditos suos omnes ad propulsandam vim paratos expeditosq́ue esse

XLVI. Bellum episcopi cum Brunsuicensibus ducibus.

iubent. Dum hæc ita geruntur, Cæsar Maximilianus I. apud quem in magna gratia erat dux Ericus, moritur. Quo cognito, episcopus Hildesheimensis abiecta omni cunctatione inuadit diœcesin Mindensis episcopi, eamq́ incendijs & rapinis vastat. Idq́ diebus ijs, qui proximi sunt paschatis festo, & quibus paßio domini meditanda est. Tum opinione citius etiam in Erici prouinciam impreßionem facit, obuia quæq́ prosternit, diripit, exurit. Ac tametsi ab imperij vicario Friderico Saxoniæ duce & electore vtriq́ parti, vt à vi tanta desistant, mandetur: tamen id episcopus pro nihilo putat. Ericus verò cum impetum tantum episcopi sustinere solus non posset, auxilia à vicinis principibus, à duce Saxoniæ Georgio, & à Landgrauio Haßiæ petit & accipit. Cum his oppidum Dassel capit, & episcopum Ioannem ab obsidione Calenbergi depellit. Tum arcem Vvaldensteinum iniecto igne perdit. Est autem orta tunc inter Saxones & Hessos dissensio quædam propter maledicta Heßis obiecta, ob leonem, quem ipsi

Dissensio inter Saxon. & Hessos.

ipsi in clypeo gerunt. Hunc enim canem appellabant reliqui milites. Quod cum ferre Heßi nollent, ex castris domum redibant.

Brunsuicenses verò duces nihilominus Peynam vrbem expugnant, arcem verò copijs omnibus circumsident. Hinc periculum sibi metuens episcopus Hildesheimensis de inducijs ad Brunsuicensem ducem mittit, donec nouus imperator creetur. Pactis inducijs, Peynæ obsidionem soluunt Brunsuicenses, & in ducatum Lunæpurgicum sese conferunt, vt Hildesheimensem impediant, ne vel ibi subsideat, vel copias suas augeat. Episcopus verò circumuenit illos, & pridie Petri & Pauli commisso prælio fundit: acerrimè quidem dimicantibus Saxonibus, Duringis, & Misnensibus, sed in acie tamen cæsis, cæteri verò abiectis armis hosti sese tradiderunt. Captisunt duo duces Brunsuicenses cum multis nobilibus, Ericus, qui Cellam ductus est, & Vuilhelmus frater Erici, quem Episcopus secum duxit Hildesheimum. Ac Ericus quidem, numeratis ter Fraus episcopi. Brunsuic. duces capti.

mille aureis, & tribus arcibus datis, secundum chronica nonnulla, liberatus est: Vvilhelmus verò ad exitum vsq; belli detentus. Ceciderunt in hoc prælio ter mille, trecenti, & amplius triginta viri. Dux Henricus conabatur quidem nouas copias ad liberandum fratrem suum comparare, sed trium electorum, Moguntini, Saxonici, & Brandepurgici autoritas grauißima interceßit.

Clades Brunsuic.

Anno C. 1521. Ericus Brunsuicensis de iniuria ac violatis inducijs querelam aduersus episcopum Hildesheimensem ad Carolum V. attulit. Is primùm vtriq; parti, vt quiescerent, imperauit, donec iudicio æquo controuersia dirimeretur. Et quoniam constabat episcopum Hildesheimensem violasse communem pacem, proscriptus est cum omnibus subditis. Estq; eadem proscriptio paulò pòst iterata. Nihilominus tamen Hildesheimenses eam eludebant, & per iocum hoc Germanicum iactabant, acht vnd oberacht seind sechzehen / octo addita alijs octo faciunt sedecim. Quamobrem duces Brunsuicenses suis

Episcopus ob uiolatam pacem proscriptus.

suis copijs pedestribus & equestribus diœcesin episcopi adorti sunt, arcesq́ sex expugnarunt, quæ à nobilibus, quibus oppignoratæ essent, tenebantur. Hac seueritate territi nobiles in reliquis arcibus ab episcopo consilium & opem petunt. Is verò rebus suis desperans diœcesin deserit. Quocirca nobiles cum principibus sic transigunt, vt tredecim arces quæ oppignoratæ nobilibus essent, principibus tradantur: ipsi verò in ijs quidem remaneant, sed in fidem clientelamq́ Brunsuicensium sese dent, & 28000. florinos illis exoluant. His transactis reliquæ arces ab ijsdem ducibus occupantur. Tum Hildesheimum ipsum & arx Peyna oppugnantur, sed expugnari tamen nequeunt. Habuit ante bellum episcopatus septem comitatus siue ditiones, Vvinzenbergam, Sladem, Poppenpurgum, Peynam, Oldenpurgum, Levvensteinum, & Hunsruccum, tantumq́ valuit, vt spacio vnius diei naturalis, exigente necessitate, quingentos equites armatos cogere potuerit. Sed de his post bellum duntaxat Hildesheimum, Peynam, & Sturvval-

Episcopus fugit.

Septem comitatus Hildesheim.

dum retinuit. Episcopus verò, amissis tot arcibus, cum, capto præsertim Romæ pontifice, nullum recuperandi modum prospiceret, vicinorum insuper odia acerba sentiret, abdicauit sese magistratu, & priuatim transegit reliquum vitæ tempus, apud Magnum ducem Lunæpurgensem fratrem.

Balthasar Merckelius 47. episc.

Electus est igitur à Canonicis Balthasar Merckelius, Caroli V. Cæsaris orator an. C. 1527. qui tamen vix semel in diœcesin Hildesheimensem, propter molem aulicarum occupationum venit.

Otho III. 48.

Anno Christi 1531. Otho III. comes Schompurgius designatus præsul, sex annos rebus sine confirmatione pontificis Rom. præfuit. Cum autem palàm probare doctrinam Augustanæ confessionis videretur, iussit pontifex intra sex menses alium eligi.

Valentin. à Tetleben. 49.

Creatus est igitur Valentinus à Tetleben, Iuris vtriusq; doctor, an. C. 1537. Hic pendentem in curia Romana inter episcopatum Hildesheimensem, & ducem Brunsuigi litem persecutus est, & restitutionem capituli in integrum petiuit. Pontifex Henricum ac Ericum

Brun-

Brunſuigi duces legitimè citat. Hi verò in hunc modum ſeſe excuſant: primum quod quæcunq; Hildesheimenſis capituli bona poßideant, ea legitimo bello proſcriptis adempta acquiſierint. Deinde ex tranſactione Quedlinpurgenſi eadem retineant, tum eorundem feuda à Cæſare acceperint. At epiſcopus hæc argumenta ducum refellit, & triennio pòſt pontifex per ſententiam definitiuam non ſolùm adempta bona epiſcopatui iubet reſtitui, ſed etiam fructuum per annos octodecim perceptorum nomine duces condemnat. Cui tamen ſententiæ duces, quamuis pontificiam religionem profiterentur, minimè paruerunt, & defuit etiam executio. Anno Chriſti 1551. Fridericus Holſatiæ dux Friderici I. Daniæ regis filius præſul factus eſt, qui Peynenſem arcem & præfecturam ciuitati Hildesheimenſi oppignoratam, numeratis 18000. Ioachimicis redemit, quam etiam poſt mortem eius Adolphus frater retinuit. Anno C. 1556. Burcardus ab Obergen ad epiſcopatum euectus oppida & arces à ducibus Brunſuicenſibus

Fridericus Holſ. dux 50.

Burcardus ab Oberg. 51.

bello

bello occupatas repetiuit. Sed cum inter partes de reddendis præfecturis non conueniret, nulla potuit fieri conciliatio. An-

Ernestus Bauariæ dux ep. episc.

no C. 1573. designatus est præsul Ernestus Bauariæ dux, episcopus Frisingensis, & Leodiensis, archiepiscopus verò Coloniensis. Etsi autem episcopi, & Canonici reformatam religionem à se & ciuibus repellere conati sunt: tamen senatus tandem an. C. 1543. accersito D. Ioanne Bugenhagio, Antonio Coruino, & Henrico Vvinkelio, Augustanam confessionem recepit, sitimq; diuturnam ciuium suorum expleuit.

EPISCOPATVS PADEBORNENSIS.

PAdebornensis diœcesis ad Lippiæ & Amasi fontes à Carolo Magno, qui statiua sæpe ibi habuit, fundata est circa annum C. 794. Oppida 24. arces & præfecturas 20. monasteria 16. parochias 54. tenuit. Præsules verò ex ordine, inde vsq; ab Harimaro habuit potentes, duces, comites, & alios, qui pro religione & ritibus ecclesiæ Rom. propugnarunt: quamuis ci-

ues

nes tempore religionis reformatæ abusus pontificios detestati sint, & summis votis lucem puræ doctrinæ secundum Augustanam confeßionem expetiuerint. equidem anno C. 1532. extincto Erico Brunsuicensi duce Grubenhagio, electoq́ in eius locum Hermano comite à Vveda, Coloniensi archiepiscopo, offensi quidam ciues iuniores impuriore vita & inuerecunda saltatione quorundam ministrorum ecclesiasticorum cum ciuium vxoribus & filiabus, verbis primùm castigarunt eos, paulò pòst in templum progreßi, sacrificulorum more, in choro cecinerunt, & libros consciderunt. Ob quod facinus ab episcopo ciuitas non solùm bis mille aureis multata est, sed etiam immunitatibus quibusdam priuata: tum in eas angustias adducta, vt se nunquam Lutheri doctrinam admissuram esse fidem dare cogeretur. Sed sublato per mortem Erico episcopo, nihilominus ciues duo templa euangelicis concionatoribus aperuerunt. Quam violentiam repressuri atq́ vindicaturi canonici, elegerunt Hermannum Coloniensem archiepiscopum, qui vt osten- Tumultus Hermannus.

ostenderet sibi satis esse virium atq; opum ad comprimendos omnes euangelicorum motus, cum mille equitibus & aliquot ducibus atq; comitibus Padebornam ingressus est, & statim concionatores euangelicos abduci in custodiam iussit: qui tamen aberrante auriga in itinere, Susatum peruenerunt, & à senatu illic defensi, vt non nisi in ea vrbe conueniri aut accusari possent. Quo pacto incolumes euaserunt. Episcopus verò discessurum sese simulans, ciues inermes in hortum benè munitum, & præsidijs septum conuocauit, quasi erga eos clementiam suam declaraturus. Quò cum venissent, Lutheranos grauiter obiurgauit tanquam rebelles, & præcipuos ex ijs, sedecim in forum produci, ac supplicio vltimo affici iussit. Carnifex verò atrocitate rei exhorrescens, disertè dixit, se vindicem esse sceleratorum, non innocentium. Itaq; dilatum est supplicium. Interim mulieres multis lacrymis episcopo supplices fiunt, & deprecantur etiam quidam consiliarij pro damnatis. Motus hoc lugubri spectaculo episcopus vitam damnatis

Persecutio Lutheranorum.

natu

natis quidem donat, sed captiuos esse in suis ædibus per annum integrum iubet, tum religionem Rom. ecclesiæ solam ciuitati imperat. Sed hic ipse Hermannus tandem cognita pontificia idolatria, emendare ecclesiæ doctrinam & ritus voluit: de quo conatu depulsus est, vt suprà in Coloniensi archiepiscopatu dictum fuit. Hermanno an. C. 1552. successit in episcopi munere Rembertus à Kersenbruch: Remberto autem Ioannes ab Hoya, qui & Osnabrugensis ecclesiæ præsul erat. Ioannem secutus est, anno C. 1574. Salentinus comes Isenpergius, qui comitatum mille equitum in primo ingressu habuit, nec in templum stola amictus, sed cataphractus venit, vt ostenderet, se armis defendere ecclesiam in animo habere. Post Salentinum, anno C. 1577. episcopus creatus est Henricus Saxoniæ dux Lauenburgensis, Francisci filius; Bremensis archiepiscopus, & Osnabrugensis episcopus. Henricum excepit Theodorus à Furstenberg anno C. 1585. qui noua iurisiurandi formula sese obstrinxit Rom. pontifici.

Salentinus cataphractus episc.

VER-

VERDENSIS EPISCOPATVS.

DIœcesis Verdensis ad Alleræ & Visurgis confluentem à Carolo Magno circa annum C. 776. primùm quidem Bardeuici fundata, posteà verò Verdam translata est. Huius episcopus primus an.
S. Suibertus. C. 787. fuit S. Suibertus Anglus, cuius memoria ibi adhuc anniuersario festo repetitur, mortuus est an. C. 807. Carolus autem multis prædijs & opibus hanc diœcesin donauit, episcopiq́ primi magna cura ecclesiam rexerunt, idola exterminarunt, & religionem Christianam propagarunt. Sed eorum complures ab infidelibus vel occisi vel expulsi sunt. Qui hos secuti sunt, maiori præsidio muniti fuerunt. Nam XII. præsul Vvigpertus ex Vvitikindi ducis Saxoniæ familia fuit. XVI. verò Bruno dux Saxoniæ extitit. Qui hunc secutus est Erpo senectute iam delirus, in iuuentute verò diligens, ab Othone III. imperatore priuilegia de Venationibus ferarum flagitauit & obtinuit. Hermannus

autem

autem præſul, imperante Friderico I. tantam opinionem integr.tatis populo attulit, vt prudentiſsimus inter imperij principes haberetur. Itaq; ab imperatore illo in intimis eſt habitus. Succeſſerunt illi comites & duces. Nam an. C. 1270. Cunradus Brunſuicenſis dux epiſcopatum rexit: & iterum an. C. 1388. Otho Brunſuigi dux eidem præfuit. Anno C. 1398. Cunradus Saltouer theologiæ doctor, epiſcopus XLVI. electus, de Trinitate librum ſcripſit, in quo ſacerdotum errores perſtrinxit. Quamobrem accerſitus Romam in ſenatu pontificis & Cardinalium ſeſe purgare coactus eſt. Nec ſolùm doctrina hic præſul excelluit, ſed doctrinam etiam ſanctitate vitæ & morum integritate præclarè ornauit: tum præter eccleſiaſtica negocia curare nihil voluit. Eandem fidem & diligentiam in eodem officij munere præſtitit Ioannes de Atzel canonum doctor an. C. 1426. qui operam in primis dedit, vt eccleſiæ conuulſæ & labefactatæ pacem reſtitueret, & iuſta ſeueritate eccleſiaſticos in officio contineret. Laceſsitus

Cunradus errores pótificiæ eccleſiæ perſtrinxit.

tus autem à Bremensi præsule, qui aliena inuadebat, & vim inferebat, vi illum repulit. Successit ei Bertholdus à Landsberg an. C. 1470. qui non solùm pacis diligens custos fuit, sed bibliothecam etiam parauit, vt ad legendi & discendi curam sacerdotes incitaret. Bertholdum excepit Christophorus dux Brunsuicensis anno C. 1502. qui incensus ambitione, in canonicos inhumanum & fastidiosum sese præbuit; potestatemq́ ac iura eorum in ciues minuit. Canonici verò, quæ à maioribus accepissent, ea sarta tecta conseruare studebant. Hinc ad arma ventum, & episcopus vrbem nihil tale metuentem inuasit, ciuesq́ in timorem & fugam coniecit. Canonici quoq́ periculi tempestate territi, nocte intempesta discedebant. Mox ex ærario sacro vasa aurea & argentea, pecunia item, & priuilegia omnia auferebantur, ac domus quædam diruebantur, & noua munitio ad terrendos ciues extruebatur. Census præterea canonicorum per triennium intercepit præsul, vt eo pacto ad modestiam & obedientiam, quam ipse

Bibliotheca.

Attrox dissidium inter episcopum, & canonicos.

ipse flagitabat, flecterentur. Canonici verò ad Carolum V. veniunt questum iniurias, tandemque post quadriennium autoritate imperij in integrum restituuntur, nouaque munitio funditus tollitur. Episcopus de conatu & spe tanta deiectus, quod apertè præsensque minus audet, id clanculum & absens molitur, & incommodis quibuscunque potest Verdenses afficit. Christophoro in hoc episcopatu successit frater Georgius an. C. 1558. Georgio Eberhardus ab Holl, qui etiam Lubecensis episcopus erat an. C. 1567. Hic abrogata missa, profligatisque abusibus pontificijs, Augustanæ confessionis doctrinam & ritus, approbantibus canonicis in omnes ecclesias diœceseos anno C. 1568. inuexit. Eberhardo successit Philippus Sigismundus Brunsuicensis & Luneburgensis dux, Iulij filius anno C. 1586. Augustana confessio.

OSNABRVGENSIS EPISCOPATVS.

EPiscopatus Osnabrugensis anno C. 780 primus à Carolo Magno victore Saxo-

num in ea prouincia fundatus est, vt vbi quondam nemus fuit, ibi deinceps scholæ græcæ & latinæ in perpetuum essent, nec vnquam clerici vtriusq; linguæ gnari deessent, vt in Caroli Magni priuilegio, quod Crantzius recitat in metropoli, legitur. Præfecit autem Carolus huic collegio siue gymnasio S. Vvihonem, Anglum natione ex S. Bonifacij disciplina profectum. Septimus eius præsul, vel vt Crantzius loquitur, pontifex Dodo an. C. 918. impetrauit ab Othone I. priuilegium insigne, quod eximit ecclesiam ab omni onere, quod à præfectis aut dominicis nuncijs possit imponi, datq; in speciē huic ecclesiæ, quod longo antè tempore superiores imperatores vniuersali ecclesiæ dederant. XX. præsul Vvido, cuius temporibus hoc memorabile pariter & miserabile accidit, vt vetus templum Osnabrugense incendio conflagraret, & disiectæ sanctorum reliquiæ postea inueniri non possent, donec diuino miraculo monstrarentur, vt ait Cranzius. XLI. Cunradus comes à Ritberg anno C. 1482. implicatus infelici bello, quod inferioris

Scholæ græcæ, & latinæ.

rioris, Saxoniæ ciuitates decem cum Vuilhelmo & Henrico Brunsuigi ducibus, Bertholdoq́; Hildesheimensi præsule gerebant, amisit quadringentos equites, & insuper fratrem, & alios captos magno redimere coactus est. Exhaustus igitur talibus impensis gubernationem episcopatus reliquit, & in aula Brandepurgica Ioannis electoris tantisper seruiuit, donec ad munus pristinum rediit, & commoda multa episc. patui attulit. Successit ei Ericus Brunsuigi dux de Grubenhagen, qui pacis iustitiæq́; custos fuit. Questi sunt eius tempore ciues, duce quodam Iarimaro ab Oberg, de senatus & canonicorum iniuria, quod agros emerent, & ciuium victum minuerent, nec euangelij præconium admittere vellent. Quanquam autem senatus omni cura compescere motum illum studuit: tamen in suspicionem episcopo venit, & multa grauis ei irrogata est. In cuius solutione cum mora aliqua interponeretur, episcopus copias militares ad obsidendam vrbem adduxit. Et obsedisset etiam omninò, nisi Brunsuigi duces, & co-

Dissidium inter ciues & canonicos.

mes Vvaldeccius sese interposuissent, & pacem, persolutis à ciuitate 6000. aureis Rhenensibus, confecissent. Post Ericum præsul factus est Franciscus comes de Vvaldeck anno C. 1532. qui passus est à senatu Augustanæ confeßionis doctrinam & ceremonias in ecclesiam inuehi, per Hermannum Bonnum Lubeca accersitum: cuius doctrinæ profeßio libera propter vicinas anabaptistarum turbas non parum ibi impedita fuerat. Franciscum excepit Ioannes comes ab Hoya anno C. 1553. Ioannem Henricus Saxoniæ dux, Bremensis archiepiscopus anno C. 1574. Henricum Vvilhelmus Schencking, Vvilhelmum eodem anno Bernhardus comes à Vvaldeck: Bernhardum Philippus Brunsuigi dux anno C. 1591.

Augustana confessio.

MINDENSIS EPISCOPATVS.

Minda quasi Mindin, meum & tuum, hoc est, communis duorum sci-

ANno C. 780. Vvitikindus Saxonum dux hortatu Caroli Magni fundauit episcopatum Mindensem, in oppido ducatus sui hæreditarij Angariæ, ad Visurgim,

eiq;

eiq; Herimbertum præfecit, adiunctis multis alijs, vt haberet ecclesia defensores suos. Illi verò, vt ait Crantzius, quia ex imo gradu in nobilitatem excreuerant, vt partim comites, partim duces fierent, spreuisse matrem videntur. Secuti sunt Heribertum ordine præsules, quorum acta ferè non sunt consignata in historijs. Anno C. 1478. electus est præsul L I. Henricus comes Schavvenpurgius, pietatis integritatisq; laude conspicuus. Huic successit an. C. 1504. Franciscus Brunsuigi dux: Francisco Brunsuicensi successit Franciscus comes Vvaldeccius an. C. 1530. æquus in Augustanæ confessionis ministros atq; æmulos. Huius temporibus, anno scilicet C. 1538. ciuitas Mindensis propter litem, quam habebat cum ecclesiasticis, publicè in omnium conspectu, sub aperto cælo proscripta est. Nihil tamen incommodi tunc passa propter societatem fœderis Smalcaldici, anno demum 1547. imperata facere coacta est. Anno C. 1553. antistes postulatus est Iulius Brunsuicensis dux, qui tamen ob fratrum suorum in prælio inter

licet Caroli Magni & Vvitikindi possessio, vt ait Crantzius.

Proscriptio Mindensis ciuitatis.

Mauritium Saxonem & Albertum Brandepurgicum, interitum eodem anno deposuit gubernationem, & in locum eius electus est Georgius Brunsuigi dux. Post eum an. 1566. Hermannus comes Schavvenpurgius, post Hermannum Henricus Iulius Brunsuigi dux an. C. 1582. qui cum propter initum coniugium sese ex pacto abdicasset, pater Iulius, vt Philippus Sigismundus filius eligeretur, contendit. Sed cum, ob latas à capitulo quasdam conditiones, tempus electionis à canonibus præscriptum præteriisset, legatus pontificius per Ernestum Bauariæ ducem prospici capitulo de idoneo episcopo voluit. Capitulum verò de libertate electionis suæ nihil remittens Antoniũ Comitem Schavvenpurgicum præsulem anno Christi 1587. designat.

TRAIECTENSIS SVFFRAGANEVS COLONIENSIS.

Traiectum ein paß / quod vndique commeantes ve-

DIœcesis Traiectensis à Dagoberto Francorum rege inuestituram suam accepit, primusq́ præsul eius fuit S. Vvilibrodus

brodus Anglus, qui à pontifice Rom. Sergio dictus est Clemens, & secundum Bedæ narrationem an. C. 1636. Romæ è vita cessit. Huic successit S. Bonifacius, per quem archiepiscopatus titulum Traiectensis diœcesis consecutus est, eundemq́ post martyrium illius iterum amisit. Vastata enim à Normannis, passa est eam dignitatẽ ad episcopos Colonienses transferri. Nihilominus verò à Pipino & Carolo Magno instaurata, non solùm episcopalem dignitatem recepit, sed politicam etiam potestatem adepta est, adeoq́ ampliata, vt propemodum totam Bataviam complectatur. Multa quidem à Frisiis, Danis, & Normannis passa est, sed sua tamen identidem ferè recuperauit, vt ait Guicciardinus in descriptione Belgij. Memorabile est maximè quod Fridericus Traiecti episcopus VIII. fecit, cum à Ludouico pio imperatore admonitus est in quodam conuiuio, vt se in officij commissi munere integrum, castum, constantemq́ præberet. Sic enim ei respondit episcopus: Bene mones, optime imperator, idq́ curæ

&igal ibi p nsitent, situm ad Molam.

Traiectum inferius Vtrich.

 mihi

mihi magnæ erit. At dic mihi, in capite ne an in cauda prehendendus piſcis, qui fortè appoſitus erat, tibi videtur: à capite ait imperator. Rectè inquit epiſcopus. Primùm igitur moneo, vt ab inceſtu cum Iudith Bauariæ ducis filia cognata tua deſiſtas. Non enim licet tibi habere eam pro vxore. Haud fuit offenſus hac libertate imperator, ſed de dimittenda cognata ſtatim conſilium iniȷt. Iudith verò odium in epiſcopum conceptum tantiſper continuit, donec conductis duobus ſatellitibus eum in ſacrario orantem crudeliſſimè obtruncandum curauit. Ob hoc immane facinus Cæſar Ludouicus à pontifice Rom. Gregorio IV. in Monaſterium Sueßionenſe, vt pœnitentiam ageret, ire iuſſus eſt: Iudith verò, impoſito velo monialis facta eſt anno C. 838. Chronicon Hirſaugienſe.

Anno C. 1559. Georgius comitis ab Egmunda filius à Carolo V. conſtitutus præſul è vita exceßit, cui ſurrogatus Fridericus à Tautenburg, ſiue Schenck. à Philippo, Hiſpaniarum rege, archiepiſcopatus dignitate ornari debuit.

LEODIENSIS EPISCOPATVS.

Leodienses olim Eburones syluæ Arduennæ vicini, inter Mosam & Rhenum. Traiectum superius Mastrich.

Circa annum C. 710. Hagbertus, vel Hubertus Traiectensis episcopus, sedem episcopalem Traiecto Leodium transtulit, ibiq́ ecclesiam cathedralem constituit. Fit mentio paßim in historijs Leodiensium episcoporum; vt in Alberti Argentinensis chronico narratur pugna infelix præsulis Leodiensis contra ciues ipsius. Cum enim pro tribunali sedere episcopus ad condemnandum quosdam ciues propter homicidia & iniurias clero illatas vellet, etiamsi circiter septem millia galeatorum secum haberet, à consanguineis & adiutoribus missa: tamen populus Leodiensis, qui habebat septem millia peditum armatorum, ei restitit, & ne præsideret prohibuit. Promisit tamen populus se satisfacturum esse episcopo de iniuria ad arbitrium meliorum episcoporum. Sed episcopus noluit. Ventum est igitur ad manus, & episcopi acies tota confusa receßit. Nauclerus etiam scribit Henricum

cum V I. imperatorem episcopum quendam Leodiensem occidendum curasse, eo quod præter decretum ipsius confirmatus esset.

Anno Christi 1544. Georgius Austriacus autoritate Caroli V. imperatoris præsul Leodiensis designatus in bona pace & tranquillitate suum munus obiuit, & an. C. 1557. è vita exijt. Huic successit Robustus Bergiacus, qui anno C. 1564. viuere desijt. Post eum antistes Leodiensis factus Gerardus à Groisbeck, Cardinalis à Gregorio XIII. Pontifice creatus est, an. C. 1578. mortuus verò anno C. 1580. Quo ipso anno electus est Ernestus Bauariæ dux, & Coloniensis archiepiscopus, qui adhuc rebus præest.

MERSEPVRGENSIS EPISCOPATVS.

Otho Magnus fundator episcopatus.

CArolus Magnus Mersepurgi primum fundauit ecclesiam collegiatam Canonicorum regularium, & S. Ioannis templum. Hæc initia diœcesis auxit Henricus Auceps: Otho autem Magnus episcopatum constituit.

I. Epi-

I. Episcopus Mersepurgensis Boso suffraganeus archiepiscopi Magdepurgensis, nobili loco natus in Bauaria, monachus S. Benedicti, ex cœnobio S. Emerani, quod est Ratisbonæ: doctus & religiosus, anno C. 968. ab Othone Magno fundatore accersitus, ab Alberto verò Magdepurgensi archiepiscopo ordinatus siue consecratus. Slauorum Soraborum multos ad Muldam, Elystrum, & Plissam considentes concionibus suis ad agnitionem & fidem Christi conuertit: licet molestiæ plurimum ex eorum peruicacia ceperit. Huic attribuit imperator pagos duos, Hilpericium & Meydebornum ad Plissam & Elystrum, item Martispurgum sedem suam Cæsaream. mortuus est hic præsul anno Christi 970. Boso. Mersburgum sedes imperatorum.

II. Giselarius vel Gisilerus anno C. 970. nobilis, prudens & facundus, aulico ingenio præditus, Othonis II. consiliarius, consecratus ab Alberto Magdepurgensi antistite, cui etiam post mortem illius successit, vt suprà dictum. Est autem adeptus illum archiepiscopatum per ambitionem Giselarius.

nem & largitiones. Nam bona multa Mersepurgensis ecclesiæ alienauit, quædam etiam ad Magdepurgensem transtulit, alia oppignorauit, episcopatumq́ adeò attenuauit atq; diminuit, vt in Abbatiam siue cœnobium S. Benedicti conuerterit, & episcopo Halberstadensi subiecerit. Hoc statu annos 22. stetit, donec ab Henrico II. Christi anno 1005. restitutio in integrum facta est. Cum etiam Ridacus comes Mersepurgius absq; hærede mortuus Othoni Magno imperatori Salinas in pago Dobrosoel, vbi nunc vrbs Hala est, tradidisset; ad episcopatum Mersepurgensem adiungi illæ potuissent, nisi Giselarius astu ad Magdepurgensem archiepiscopatum, cuius cupiditate ardebat, transtulisset. Quod factum esse apparet an. C. 945.

Salinæ Saxonicæ primum donatæ Vvitikindo ab imp. Carolo Magno, postea ad comitatū Mersepurgensem collatæ sunt.

Vvigbert9.

III. Vvigbertus vel Gilbertus nobilis Duringus ex ludimoderatore sacerdos, ex sacerdote diaconus seu Sacellanus Henrici II. imperatoris, ex Sacellano episcopus factus anno C. 1007. Canonicis primum συσσίτιον, vel mensam communem, & dormitorium præbuit. Solitiq́ sunt eo tempore

pore canonici vnà cum scholaribus in choro canere, & absq; vicarijs munera ecclesiastica obire. Deinde Slauis euangelium & fidem in Iesum Christum prædicauit, & a[illegible]or ad amplectendam religionem Christ[illegible]am multis extitit. Tum Zuttiberum i[illegible]lum in vicino luco demolitus est. Zuttiberus.

IV. Theodomarus vel Ditmarus comes in Saxonia, anno C. 1012. autor chronici, quod Ditmari nomine in multorum manibus est. Incipit ab Othone I. & desinit in Henrico II. siue in anno C. 1021. Hoc præsule Henricus imperator II. fundamenta cathedralis templi ad S. Laurentium sua manu iecit, & campanas duas magnas quoq; fundendas curauit. Et quod autographum in tabulario Merseburgensi ostendit, Lipsiam an. C. 1022. eidem donauit. Mortuus anno C. 1023. Quidam inter Dithmarum, & Brunonem intermedium ponunt Ericum, qui archiepiscopum Magdepurgensem inaugurauit. Cui quidem si non plures quàm duos aut tres annos tribuerimus, incidit eius mors & Ditmarus. Lipsia data.

Bruno-

Brunonis succeßio in annum C. 1025. vel 1026. Cum autem Henricus II. imperator anno C. 1024. è vita ceßerit, quomodo Brunoni episcopatum dare potuit?

Bruno. *V. Bruno comes à Vvalbeck, vel vt alij volunt, comes in Bauaria, agnatus Henrici II. Imperatoris de Vvitikindi familia: ab imperatore Henrico II. constitutus anno C. 1021. Incoatum cathedrale templum absoluit, & præsentibus imperatore, imperatrice, & archipræsule Magdepurgico consecrauit. Doctus, beneficusq́ fuit, & fide magna res ecclesiæ administrauit.*

Hunoldus. *VI. Hunoldus Duringus ab Henrico III. imperatore anno C. 1040. constitutus. Hoc præsule chorus cathedralis templi corruit, sed impensis Henrici III. imperatoris reparatus est. Paulò pòst viuo adhuc Henrico III. iterum collapsus ab Hunoldo episcopo restitutus, & vtrinq; duabus turribus firmatus est. Aedificauit idem præsul templum S. Sixti in colle situm.*

Albericus. *VII. Albericus primus à capitulo electus, ab imperatore verò Henrico III. confirmatus anno C. 1050.*

VIII. Ec-

VIII. Eckelinus dux Bauariæ ab Henrico III. constitutus an. C. 1060. Theologus eruditus, castus, pius, amans ciuium: conciones habuit, sæpe cum canonicis communem cibum sumsit, scholam capitulo iunctam benè constituit, & scholares cum canonicis ad canendum in choro ordinauit. Ex quo etiam chorales scholastici cœperunt nominari. Eckelinus. Chorales.

IX. Offo vel Onofrius item Eppo Bauarus ab Henrico IV. imp. postulatus, an. C. 1065. castitatis, modestiæ, beneficentiæq́ perstudiosus, subditis carus, & disciplinæ inter canonicos custos. Offo.

X. Vvintherus Francus nobilis ab Henrico IV. imperatore constitutus, voluptati deditus, ambitione ardens, in nobiles & ciues fastidiosus, in sceleribus hominum conniuens, largitor & prodigus. Iccirco bona diœcesis oppignorauit, & ære alieno obstrinxit. Mortuus an. C. 1071. Vvintherus.

XI. Vvernerus comes Duringiæ postulatus à capitulo circa annum C. 1073. confirmatus verò ab Henrico IV. imperatore: autoritate grauis, temperatis moribus, Vvernerus.

doctrina perpolitus, nec subditis inuisus. Captus est ab Henrico IV. in prælio ad Vnstrutum cum alijs præsulibus. In pugna verò Rudolphi Sueui cum Henrico IV. vix Mersepurgum cum eo euasit. Autor est Monasterij S. Petri ordinis S. Benedicti, anno C. 1091 extructi in loco veteris castri, quod Drusus Cæsaris Augusti dux expugnasse dicitur.

Eppo. *XII. Eppo vel Hippolytus ab Henrico V. imperatore surrogatus in locum Vverneri, quem imperator munere ecclesiastico orbauit; Iccirco quia pontifici contra Cæsarem Henricum IV. obsecutus erat. Sed cum Henricus V. in sylua Catularia à Saxonibus victus esset, depulso Eppone, Vvernerus in pristinam dignitatem restitutus est.*

Albinus. *XIII. Albinus vel Albuinus dux Bauariæ an. C. 1101. à Rudolpho imperatore constitutus, religiosus, beneficus, humilis, patiens, acutus tamen & multum prouidens, amauit subditos & iuris iustitiæq; custos extitit.*

Gerardus. *XIV. Gerardus absq; electione legitima per*

ma per Adelgotum Magdepurgensem archiepiscopum, & Theodoricum Cizensem præsulem illatus atque intrusus: qui miser, posteaquã rem habere cœpit, mortuus est.

XV. Arnoldus de familia nobili, disertus, prudens, sanctitatis exemplum, subditorum amantissimus. Zuencauiam fossis muniјt, Sceleratè interfectus est à suis propinquis an. C. 1133. Martinus Polonus ait, eum occubuisse in prælio imperatoris Lotharij Saxonis cum Boiemis. Arnoldus.

XVI. Meingotus à capitulo electus an. C. 1126. confirmatus verò à Cæsare Lothario. Meingotus.

XVII. Eckelinus electus à capitulo, confirmatus à Cunrado III. an. C. 1143. Eckelinus.

XVIII. Reinardus comes Quernfurdensis ab imperatore Cunrado constitutus sine electione capituli. Donauit ecclesiæ Mersepurgensi, consentiente fratre Christophoro, duo prædia cum duodecim mansis, item alios duodecim mansos. Vitam castè pieque traduxit, & in caritate suorum acquieuit. Secutus est Cunradum imperatorem in Syriam, vbi à Saracenis fusus Reinardus.

est imperator, Reinerus verò incolumis ab omni calamitate rediit.

Ioannes. *XIX. Ioannes ab imperatore Friderico I. constitutus an. C. 1176.*

Euerardus. *XX. Euerardus comes Seburgi in Bauaria constitutus à Friderico I. imperatore.*

Theodoricus. *XXI. Theodoricus Marchio Misniæ à capitulo electus, bonus, commodus, castus, rem ecclesiasticam auxit, & subditos fouit, mortuus an. C. 1184.*

Eckardus. *XXII. Eckardus ex equestri ordine, probus, & curæ habens subditos, Elisabetæ S. Ludouici Duringiæ Landgrauij coniugis curator animæ. Impensis suis refecit muros Mersepurgi passim collapsos an. C. 1181. Quod tametsi episcopus Misnensis improbauit, & in fraudem Misnensis prouinciæ factum esse dixit: tamen Eckardus id, quod fecerat, iure omni factum esse probauit, ac cuiuis licere sua reparare demonstrauit.*

Rudolphus. *XXIII. Rudolphus nobilis à Vvebau an. C. 1194. conditor templi in nouo foro ante vrbem, quod à Thoma Cantuariensi*

episco-

episcopo, cuius socius hic Rudolphus fuit, nomen habet.

XXIV. Henricus nobilis à Vuarin à Capitulo electus, benè rem gessit. Vetus castrum Romanorum quadam ex parte demolitus est, & nouam arcem extruere cœpit, quæ episcopi sedes facta est. Captus à duobus nobilibus de Cotzen, vasallis suis tantisper detentus est, donec sexcentas marcas argenti persoluisset, iurassetq́ se iniuriam istam nunquam vindicaturum, neq; pecuniam illam repetiturum. Heinricus.

XXV. Albertus de Bornis, æmulus Friderici à Torgau. Suffragia quidem vterq; habuit paria, sed Fridericus ne videretur ambitioni deditus, cessit Alberto, qui tamen in quartum duntaxat mensem vixit: anno C. 1216. Albertus de Bornis.

XXVI Fridericus à Torgau à capitulo electus an. C. 1225. benè præfuit ecclesiæ, & senatui vrbis suam iurisdictionem, qua tanquam hæreditaria longo tempore vsus erat, reddidit. Fridericus à Torgau.

XXVII. Henricus ab Ammendorff à capitulo electus, & ab ijs quoq;, qui con- Heinricus ab Ammendorff.

spirarant & coniurarant, se nunquam illi suffragaturos esse, tandem comprobatus. Quidam enim ex illis subitò mortui sunt: reliqui eorum exemplo territi, sententiam mutarunt, & Henricum elegerunt. Cœpit hic Henricus ædificare arcem in oppido Lutzen. Zuencauiam item muro cinxit, & alia construxit.

Heinricus puer.

XXVIII. Henricus cognomento puer de familia nobili in diœcesi Mersepurgensi, prodigus, mille & quingentas marcas argenti ab antecessore relictas in vasa mensæ suæ, pocula, pateras, scyphos, phialas, patinas, cochlearia, annulos, & alias res preciosas impendit. Aes alienum contraxit, Ioanni Brandepurgico marchioni cœpit debere 2500. marcas, omnes denique fortunas capituli per luxuriam effudit & consumsit. Accersitus tandem Magdepurgum à Burcardo archiepiscopo contra fidem datam ibi detentus, & squalore, egestateque confectus est.

Geuehardus.

XXIX. Geuehardus dominus de Schrapelau à fratre suo Burcardo Magdepurgensi archiepiscopo inuitis capitularibus obtru-

obtrusus, animo firmo & magno diœcesin tutatus est, & locupletauit. Mortem fratris sui Burcardi voluit vlcisci, & Magdepurgenses persequi, in eamq́ue rem impensas magnas fecit. Templum S. Sixti in collegiatam ecclesiam conuertit anno C. 1327. Hoc præsule prima parœcia vel parochiale templum S. Maximi à ciuibus ædificatum, postea verò anno C. 1349. ab Henrico Stalburgio episcopo confirmatum est.

XXX. Sigismundus Duringiæ Landgrauius, Misniæq́ue Marchio, qui aulas principum obiuit, ecclesiæ verò curam abiecit. Sigismund. Landgraui.

XXXI. Henricus comes Stolbergensis an. C. 1327. Romæ pallium & confirmationem impetrauit. Primus igitur fuit, qui collationem & pallium à pontifice Rom. acceptum in Mersepurgensem episcopatum inuexit. Nam ante illum vel imperatores Rom. vel canonici potestatem eligendi aut postulandi habuerunt. Confirmatio verò ab archiepiscopo Magdepurgensi petita est. Emit arcem Libe- Henricus Stolberg. Pallium.

nauiam, aliaq; bona oppignorata redemit.

Fridericus ab Hoymo. *XXXII. Fridericus nobilis ab Hoymo de Saxonica familia mortuus anno C. 1382.*

Burcardus. *XXXIII. Burcardus comes à Querfurt à capitulo electus & confirmatus propterea quod Papa Vrbanus VI. episcopatum alij cuidam indocto Andreæ de Duba tradiderat. Mortuus anno C. 1384.*

XXXIV. Henricus comes à Stolburg anno C. 1384. præsedit 8. annis absq; confirmatione, iccirco quia Vvenceslaus imperator edicto confirmationem prohibuerat. Hinc certamen magnum inter Henricum episcopum, & Andream de Duba, quem Cæsar euectum ad episcopatum cupiebat, extitit, & vtrinq; datum & acceptum detrimenti non parum. Tandem tamen anno C. 1392. hic episcopus confirmationem à Bonifacio IX. pontifice impetrauit.

Henricus Schutzmeister. *XXXV. Henricus Schutzmeister ab Orlamunda an. C. 1393. à Canonicis electus est, & coadiutorem asciuit Othonem comi-*

comitem ab Honstein. Ipse verò quietioris vitæ cupidus Lipsiæ in cœnobium S. Thomæ sese abdidit.

XXXVI. Otho comes Honsteinensis anno C. 1402. postulatus, sequente verò anno consecratus, sumptus profusos fecit. Otho Honstein.

XXXVII. Vualterus de Kôkeritz anno C. 1407. Romæ confirmatus, bona oppignorata redemit, & moriens bis mille Vngaricos capitulo post se reliquit. Vualterus a Kokeritz.

XXXVIII. Nicolaus à Lubeca Friderici I. Ducis & electoris Saxon. Cancellarius, concilio Constantiensi interfuit an. C. 1414. missus eò à Friderico duce Saxoniæ, & episcopis quibusdam, Magdepurgico, Numburgico, & alijs. Magna prudentia episcopatum administrauit & locupletauit etiam. Scopauiam & Libenauiam arces emtione hæreditaria Capitulo adiunxit. Iura quædam ac priuilegia ciuitati attribuit & confirmauit. Nicolaus à Lubeca.

Incidit in hæc tempora Lipsensis Academiæ fundatio, à Friderico bellicoso duce & electore Saxon. facta an. C. 1411. Consentaneum igitur est hunc Nicolaum fu- Lipf. Academiæ Cancellarius.

iſſe primum cancellarium Lipſenſis Academiæ, cui à pontifice autoritas poteſtasq; inſtituendi examina, tribuendiq; titulos atq; honores Academicos, conceſſa ſit. Sequente anno 1412. querelæ graues ab Vniuerſitate ad pontificem delatæ ſunt, de quorundam iniuria & impetu in fortunas Academiæ. His permotus pontifex patronum & conſeruatorem Academiæ dedit epiſcopum Merſepurgenſem, eiq; adiunxit decanos duos, Merſepurgenſem & Mumpurgenſem, quorum munus eſſet prouidere, nequid detrimenti caperet uniuerſitas.

Conſeruator.

Ab hoc igitur tempore cancellarius & conſeruator Academiæ Lipſicæ fuit Merſepurgenſis antiſtes, quem ob id Fridericus & Vuilhelmus Saxoniæ duces, conſeruatorem iurium, priuilegiorum, libertatum, bonorum, ac rerum eius appellarunt. Sunt etiam cura & beneficentia pontificis & Merſepurgici epiſcopi ſex caconicatus donati Academiæ, quibus theologiæ & iuris profeſſores aliqui alerentur: duo quidem à Ioanne XXII. ex Numburgenſi: duo ex Cizenſi, & totidem ex Miſnenſi epiſcopatu.

Canonicatus in Academ. Lipſ.

ſcopatu. Quæ tamen ratio poſtea à ſuceſſore iſtius pontificis Martino V. ſic commutata eſt, vt duo canonicatus ex Merſeburgenſi, duo ex Miſnenſi, vnus ex Numpurgenſi, ſextus ex Cizenſi eccleſia Academiæ in omne tempus præbeantur.

XXXIX. Ioannes à Boſen an. C. 1431. ſub quo templum. S. Maximi deſtructum, & ſequentibus aliquot annis de integro conſtructum eſt. Ioan. à Boſen.

XL. Ioannes Vverderus nobilis in diœceſi Merſepurgica an. 1463. Ioan. Vverderus.

XLI. Tilo à Trotta nobilis an. C. 1468. vir grauis, & ducum Saxoniæ conſiliarius, prudens, amans ciuium, magnificus, & liberalis. Acceſſionem magnam redituum & ædificiorum adiunxit diœceſi, Templum S. Laurentÿ conſtruendum curauit. Moriens ſexaginta millia florinorum, & copiam magnam frumenti poſt ſe reliquit. Tilo à Trotta.

XLII. Adolphus princeps Anhaldinus, comes Aſcanienſis, dominus Bernburgi & Serueſti an. C. 1514. autoritate grauis, ſanctitate conſpicuus, beneficentia, comitate, & pietate commemorabili Adolphus Anhald.

præditus, theologus eximius, castitatis & iustitiæ custos diligens, concordiæ & pacis conciliator felix. Iudæos Mersepurgo eiecit, qui inde ab vrbis Hierosolymæ excidio illic sedem fortunarum suarum habuerant.

Vincentius à Schleinitz.

XLIII. Vincentius à Schleinitz an. C. 1526. æquus, commodus, & bonus pater familias, frugalis, sed sine tenacitate, mortuus 33000. florinorum cum copia frumenti & aliarum rerum necessariarum post se reliquit.

Sigismunds à Lindenau.

XLIV. Sigismundus à Lindenau an. C. 1535. benignus & grauis, arcem Luzensem renouauit.

Augustus.

XLV. Augustus Saxoniæ dux an. C. 1544. à Capitulo electus, administrator diœceseos in ciuilibus siue secularibus à vi ac tempestatibus, quæ tunc impendebant, defendendis. In spiritualibus verò siue ecclesiasticis coadiutorem asciuit Georgium Anhaldinum principem, qui sacra curauit, oues verbo diuino pauit & erudiuit. Conciones habuit, nec vllum munus boni & fidelis pastoris prætermisit. Est hoc administra-

ministratore institutum ecclesiasticum iudicium siue consistorium Mersepurgi, cui omnis iurisdictio spiritualis commissa est.

XLVI. Michael Heldingus Sidonius an. C. 1549. Belga. Literas & theologiam cùm in alijs Academijs Germaniæ, tum Tubingæ etiam didicit, tantumq; profecit, vt archipræsulis Moguntini suffraganeus siue vicarius sit factus. In comitijs Augustæ an. C. 1548. religionem catholicam professus Carolo V. sic commendatus fuit, vt ad scribendam inter religionis formulam, vnà cum Pflugio & Islebio adhiberetur. Quam formulam etiam Francofurti primus promulgauit: & tanquam benè de ecclesia Romana meritus, episcopatu Mersepurgensi, quasi quodam præmio ornatus est. Functus est hoc munere ad annum vsq; 1561. Et tametsi à reformatæ ecclesiæ doctrina animum alienum habuit: tamen liberè nihilominus passim in diœcesi Mersepurgense præconium euangelij factum est, & ritè administrata cœna dominica. Anno C. 1557. Vvormaciæ in colloquio de religione inter catho- Sidonius.

catholicos & euangelicos vnà cum Canisio & Staphylo pontificiam religionem defendit. In Tridentino concilio assedit, in cameræ autem imperialis iudicio præsedit.

Alexander. *XLVII. Alexander Saxoniæ dux anno 1562.*

Augustus. *XLVIII. Augustus Saxoniæ elector anno C. 1566.*

Christianus. *XLIX. Christianus elector Saxoniæ anno 1586.*

Ioan. Georg. *L. Ioannes Georgius Saxoniæ dux anno 1592.*

CICENSIS ET NVMBVRGENSIS ECCLESIA cathedralis.

ECclesia Cicensis anno Christi 968. ab Othone I. fundata est ad Elystrum primusq́; præsul ei datus Hugo, quem Adelbertus Magdepurgensis antistes ordinauit. Ioannes verò XIII. papa episcopatum confirmauit.

II. Episcopus Fridericus anno C. 980. inauguratus ab Alberto Magdepurgico præsule.

III. Hugo

III. Hugo II. anno C. 1000. pulſus à Dedone Budſetio Vvetini comite, qui etiam diœceſin vaſtauit. Etſi autem maturè imperante adhuc Henrico II. deliberatio de translatione huius ſedis ab Elyſtro ad Salam ſuſcepta eſt: tamen remanſit ea Citÿ vſq; ad Cunradi II. imperium. Tum demum à Ioanne Papa conceſſa eſt mutatio, ſed multò pòſt à Gregorio IX. confirmatus eſt Numburgenſis epiſcopatus, circa annum C. 1228. Cicenſis verò eccleſia retinuit collegiatæ eccleſiæ titulum, quem in hodiernum diem vſurpat. Habet enim integrum Canonicorum collegium, & eccleſiæ collegiatæ munera, præpoſiti, Decani, Cuſtodis & Scholaſtici. Reſeruauit quoq; ſibi hoc ius perpetuum in Numburgenſi eccleſia, vt electione epiſcopi eius ſedis primum ſuffragium habeat præpoſitus Cizenſis, & ſenior in eadem habeatur tum Canonicatum etiam obtineat. Contulerunt ad hanc ſedem commoda ampla etiam ſequentes imperatores, Henricus III. & IV. Fridericus I. & Eckardus Landgrauius Duringiæ

ringiæ & Marchio de Landsberg & aliȷ̈.

Numburgenses episcopi.

IV. Hildevvardus, vel Hildebertus.

V. Burcardus vel Eberardus anno. C. 1040. accepit ab imperatore Henrico III. villam Kizerin in pago Vvitau.

VI. Kadelohus, Mediolanensis, Rom. palatiȷ̈ cancellarius an. C. 1048. Accepit ab Henrico III. imperatore villam Kusenci in pago Zurba.

VII. Heberardus, vel Eppo, vel Hippolytus, Coætaneus Bennonis Misnensis episcopi. Accepit ab Henrico III. & IV. imperatoribus duo oppida Grimmi, & Oszechs, item Kochcdez, Lisenig, Strele, & Boruz in pago Talmenca. Periȷ̈t in flumine, sepultus Numburgi in choro.

VIII. Guntherus I. imperatoris Henrici IV. cognatus, attribuit ecclesiæ Numburgensi bona quædam in Petersberg, Numleben, Schaffstet, & Holfeld.

IX. Valramus, vel Vvaldramus circa an. C. 1109. Scripsit tractatum de inuestitura episcoporum, vt est in libro vindiciarum secundum libertatem ecclesiæ Gallicanæ. *Dite-*

X. Ditericus an. C. 1111. fundator cœnobij Bosnani, in quo monachus fuit laicus quidam Sorabus nobilis, qui episcopum ad aram orantem sica confodit: quod ab eo propter morum & vitæ prauitatem obiurgatus esset, an. C. 1123.

XI. Richuinus. XII. Vdo I. Duringiæ comes vel Landgrauius anno Christi 1124. fundator cœnobij virginum ad Elystrum prope Cizium, quod postea in vrbem translatum est ad S. Michaëlem. Frequens fuit cum Lothario imperatore, & cum Meingoto Mersepurgensi præsule in Palæstinam profectus est.

XIII. Guntherus II. Geronis comitis Brenensis filius, integritatis & iustitiæ laude conspicuus.

XIV. Vuichmannus filius sororis Conradi III. Marchionis Misniæ, comes Bauaricus, vel secundum alios, Geronis comitis Seburgici filius anno C. 1150. autore Friderico I. imperatore euectus ad Magdepurgensis ecclesiæ episcopatum, à quo etiam regalia eius ecclesiæ, quamuis reclamante pontifice Romano Eugenio, accepit.

Non multò pòst tamen Romam profectus confirmationem à pontifice Anastasio consecutus est.

XV. Bertoldus frater Vvichmanni an. C. 1154. socius fuit expeditionis Friderici I. imperatoris in Italiam anno C. 1158.

XVI. Vdo II. nepos Vdonis I. ex sorore an. C. 1160. Auxit reditus monasterij S. Mauritij, quod est Numburgi.

XVII. Bertoldus II. anno C. 1185. socius fuit profectionis Henrici VI. in Palæstinam anno C. 1196.

XVIII. Engelhardus anno C. 1206. Accepit ab Henrico Marchione Misniæ & Duringiæ Landgrauio, qui cognominabatur Hammer, multa priuilegia anno C. 1238. Vicißim verò contulit Marchioni feuda Haini, Ortrantij, Strelæ, Dalæ, Oschatij, Grimmæ, Smolini, Rutleitzbergij, & aliorum oppidorum, & arcium, item decimam. Quamobrem primus hic Marchio patronus siue defensor ecclesiæ Numburgensis extitit.

Marchio Misniæ primus defensor ecclesiæ Numburg.

XIX. Ditericus II. Brenensis & Vvetinensis comes an. C. 1243. propter schisma quod

ma quod inter ipsum & quendam Petrum exarserat, grandi ære alieno oppressus est, sed à Marchione tamen Theodorico II. protectore Numpurgensis ecclesiæ immunitatem omnium exactionum consecutus est. Consecrauit campanam magnam, quæ Erfurdiæ in templo D. Mariæ reliqua est. Campana magna Erfurdiæ.

XX. Meinerus ex Burggrauiorum de nouo castro, vel Misnensium familia anno C. 1272. Qui tametsi beneficia multa accepit à marchionibus Misniæ, tamen ære magno ecclesiam obstrinxit, & arces oppidaq́; pro eo oppignorauit.

XXI. Ludolphus circa an. C. 1281. vendidit Salesin ad Strelam.

XXII. Bruno nobilis dominus à Quernfurt an. C. 1285. Contulit Alberto Duringiæ Landgrauio feuda arcium & oppidorum complurium, Eckhardsbergi, Botensteti, Raspinbergi, & aliorum.

XXIII. Vlricus I. an. C. 1304. comes Ilenpurgicus, vel secundum alios nobilis de Vuolckenberg contulit feuda Friderico Marchioni, & vendidit Dalam ac

Strelam dominis de Ilenpurg marcis 50. argenti Fribergensis.

XXIV. Henricus I. comes Stalbergensis, vel de Grûnenberg, secundum alios, an. C. 1315. gubernator sapiens & commodus ecclesiæ, vtpote, quam impetratis priuilegijs auxit, & parœciam Langendorffensem decanatui Cizensi adiunxit.

XXV. Vvitko I. de Meldingiorum familia circa annum C. 1347. fundauit ecclesiam collegiatam beatæ Mariæ Numburgi, & emit arcem ac oppidum Salck sexagenis 700.

XXVI. Ioannes I. ex eadem familia an. 1348. saltans inter choreas in S. Ioannis Euangelistæ natali repentè concidit & expirauit.

XXVII. Rudolphus ex Schenckiorum gente de Nebra, anno C. 1352. tradidit capitulo Schonbergam, Regis, & Breitingam pro pignore 600. sexagenarum grossorum Pragensium.

XXVIII. Gerardus I. comes Schvvarzeburgius, & paulò pòst præsul Vvurzepurgius alienauit ab ecclesia Strelam, &

non-

nonnulla alia quæ trans Myldam habuit, excepta iurisdictione ecclesiastica, Saten, & Frauenhaino, eaq; vendidit duci Bolken in Suuidenitz Lusatiæ Landgrauio sexagenis 4600.

XXIX. Vvitko II. an. C. 1373. Capitulo Numburgensi dedit priuilegia in libertatibus & terminis iudiciorum, Cizensi verò decanatui partem in Foresto ad Breitenbuchum.

XXX. Christianus è Vvitzlebiorum gente an. C. 1382. confirmatus à Magdepurgico archipræsule, renouauit antiquam iurisiurandi formulam, quam consules Numburgenses in hoc vsq; tempus iurant.

XXXI. Vlricus ex Rhodenfeldiorum familia, mortuus an. C. 1410.

XXXII. Gerardus II. ex familia Goch in Iuliacensi ducatu mortuus an. C. 1428.

XXXIII. Ioannes II. ex gente Sleinitzia, Bononiensis doctor, patruelem habuit Petrum, qui & ipse doctor fuit Bononiensis, & præpositus Numburgensis. Muniuit arcem Cizensem turribus &

fossa, vt esset præsidium aduersus Hussitas. Sepultus Numburgi an. C. 1434.

XXXIV. *Petrus ex Haubiciorum familia, iuris licentiatus, cognomento Balbus, transtulit cœnobium montalium S. Stephani in vrbem Cizensem. Extat adhuc Cizij in tabula quadam ænea nomen Petri Schleinicij doctoris & antistitis sub annum C. 1447.*

XXXV. *Georgius ex Haubiziorum gente Friderici II. imperatoris Cancellarius, cuius monumentum Cizij ad annum C. 1463. refertur.*

XXXVI. *Theodoricus III. de Buckensdorff nobili genere in Silesijs natus, Lipsensis Academiæ Ordinarius. Fundauit stipendium 40. florinorum in Academia Lipsica ad alendum studiosum. Tum libros nonnullos in curia Lipsensi ad eiusdem vsus reposuit, mortuus anno Christi 1466.*

XXXVII. *Henricus II. ex familia Stammerorum in Saxonia an. C. 1466. inauguratus ab episcopo Misnensi. Volu-*

ptatem

ptatem in primis cœpit ex ſtudio & ludis equeſtribus.

XXXVIII. Theodoricus IV. ex Schonbergia gente an. C. 1492.

XXXIX. Ioannes III. ex familia eadem, an. C. 1493. Inaugurauit Erneſtum Magdepurgicum antiſtitem, & Adolphum Merſepurgenſem epiſcopum. Reparauit arcem Hainsburgum, & muniit. Conſtruxit molam ad Elyſtrum, Craſſus & obeſus fuit ſupra modum. Coadiutorem aſciuit Philippum Bauariæ ducem.

XL. Philippus Palatinus Rheni, dux Bauariæ, epiſcopus Friſingenſis, autoribus Friderico electore Saxoniæ, & Ioanne fratre eius epiſcopatum adeptus eſt anno C. 1516. Sed valetudine impeditus per officialem & conſiliarios epiſcopatum gubernauit.

XLI. Iulius è Pflugiorum gente Miſnica, Canonicus Moguntinus, decanus Miſnenſis, vir liberali doctrina politiſſimus, in quo eluxit ſingularis prudentia, multarum rerum memoria, & complurium negociorum vſus. Itaq; ad conſilia

intima ab vtroq; imperatore Carolo V. & Ferdinando I. adhibitus est, & in oratorum Germaniæ numero habitus. Anno 1541. à Cæsare Carolo V. ad colloquium Ratisbonense designatus est. Anno verò 1542. à Capitulo Numburgensi electus episcopus, ab electore Saxoniæ verò repudiatus, & Nicolaus Amsdorfius theologus Vvitebergensis nobilis in episcopalem sedem per Martinum Lutherum 20. Ianuarij introductus est. Motus verò loco Iulius ad imperatorem Carolum V. profugit, in eiusq; aula tanquam in exilio, honestè tamen liberaliterq; sex annis hæsit. At an. C. 1547. Cæsar missò Augusto Saxone, & Petro de Columna cum viginti quatuor signis peditum, ac septem turmis equitum Iulium in suam pristinam dignitatem restituit. Ab eo tempore Iulius annis fermè octodecim episcopatum tranquillè rexit, & consiliorum plerorumq; omnium de religione socius fuit. In comitijs Augustanis an. C. 1548. à Cæsare victore habitis, vnà cum Sidonio, & Islebio formulam Interreligionis siue Interimisticam

sticam composuit, quæ concionatoribus euangelicis paßim periculi multum, fugam & exilium creauit. Anno C. 1557. præses colloquij fuit, quod Vvormaciæ institutum est inter theologos catholicos & euangelicos de controuersijs ecclesiasticis. Ac ipse quidem cum Catholicis, Sidonio, Delphio, Canisio, Staphylo normam iudicij in ecclesia voluit esse consensum perpetuum: euangelici verò Melanchthon, & cæteri, normam euangelici iudicij nullam aliam admittendam censuerunt, præter scripta prophetica & apostolica, & symbola, sed interruptum est colloquium, nec nauari & effici quicquam potuit. Mortuus est an. C. 1564. ætatis verò 65. & sepultus Cizij.

XLII. Augustus Saxon. dux & elector 1564.

XLIII. Christianus Saxon. dux & elector an. C. 1586.

XLIV. Augustus Sax. dux. an. C. 1592. Fateor autem seriem episcoporum Cizensis & Numburgensis ecclesiæ ab alijs aliter recenseri, atq; adeò numerum

ipsum variare: hoc tamen affirmo, hanc recensionem meam ex originalibus capituli bona fide decerptam esse.

EPISCOPATVS BRANDEBVRGENSIS, ET HAuelbergensis.

BRandeburgensis episcopatus ab imperatore Henrico aucupe fundatus est an. C. 927. Brandeburgi vrbe Marchiæ ad Hauelum sita, vt sedes esset veræ ecclesiæ, ex qua religio Christiana longè lateq́; ad populos Henetorum propagaretur. Primus huius sedis custos aduersus Vandalos fuit Sigefridus comes Ringelheimensis. Secundus Gero ab Othone I. imperatore constitutus, qui collegium ecclesiæ nouum in monte Hauelberg condidit. Hauelbergum. *Præsules habuit ecclesia vtraq́; omnibus ætatibus. Quorum recentiores sunt, Ioachimus de Bredau an. C. 1487. in Brandeburgensi ecclesia, Otho Königsmarck verò an. C. 1501. in Hauelbergensi. Hieronymus Scultetus an. C. 1506 in Brandeburgensi, Ioannes Slaberndorff verò anno*

Chri-

Christi 1505. in Hauelbergensi. Theodoricus ab Hardenberg an. C. 1523. in Brandeburgensi, Busso autem ab Aluensleben I.V.D. an. 1523. in Hauelbergensi. Matthias de Iagouu an. C. 1527. qui primus administrauit cœnam Domini sub vtraq; specie Berlini in templo Cathedrali an. C. 1539. Fridericus verò Ioachimi II. Brandeburgensis filius an. C. 1548. in Hauelbergensi. Ioachimus dux Munsterbergensis an. C. 1546. in Brandeburgensi, Georgius verò à Blanckenberg an. 1553. in Hauelbergensi. Ioachimus Fridericus Marchio Brandeburgicus an. C. 1563. in Brandeburgensi, anno verò 1556. in Hauelbergensi. Huic successit Ioannes Georgius Marchio Brandepurgicus, qui hoc anno 1597. superest.

LEBVSIENSIS EPISCOPATVS.

Hic episcopatus ad Viadrum à Miecislao Poloniæ duce an. C. 965. fundatus est, sed circa an. C. 1260. à Boleslao Caluo, Silesiæ duce, diœcesis tota ad Marchio-

chiones Brandepurgicos Ioannem & Othonem per contractum translata, in marchionum fide ac tutela esse cœpit. Ac post longam episcoporum successionem an. C. 1499. ad Theodorum Bulou deuenit, qui an. C. 1506. primus cancellarius Academiæ Francofurdianæ ad Oderam extitit. Hunc secutus est Georgius à Blumendal I. V. D. tum Ioannes ab Hornburg & tandem an. C. 1556. Ioachimus Fridericus Marchio Brandepurgicus.

RACEBVRGENSIS EPISCOPATVS.

FVndator Raceburgensis ecclesiæ in oppido Saxon. Raceburgo est Adelbertus Bremensis archiepiscopus. Hæc ab Henetis vastata, autoritate & opibus Henrici Leonis, opera verò Euermodi reparata est. Ab eo tempore præsules habuit continuos & florentes. Anno C. 1510. Henricum Bergmeierum, Magni ducis Saxon. Lauenburgensis Cancellarium. Anno C. 1524. Georgium Blumendalium I. V. D. Anno C. 1551. Christophorum Schulen-

purgi-

purgium, & post eum Christophorum Megapolitanum ducem an. C. 1554. Tandem Carolum Megapolitanum ducem anno C. 1592.

PATAVIENSIS EPISCOPATVS, SALISPVRgensis suffraganeus.

ANno C. 598. Erchenfridus Patauiensis episcopus est factus nonus in ordine. Huic enim Theod. III. Bauariæ dux, imperante Heraclio, Patauium donauit, vt ad fidem Christi ab eo conuerteretur. Fuit autem Erchenfridus decanus Laureaci, vel Aurelianæ Laureacensis, quæ vrbs est Norici, ad confluentem Danubij & Anasis, quæ nunc vocatur Ens. Ibi enim episcopatus fuit multò vetustior. Episcopi eius numerantur inde à S. Petro apostolo, S. Laurentius, S. Florianus, Gerardus, Eucharius, Quirinus, Maximilianus, qui imperante Numeriano supplicio affectus est. Cum enim ab Eiulesio præside prouinciæ idolis sacrificare cum alijs multis iuberetur: ardentibus preci-

Patauium ad confluentem Oeni & Danubij.

Laureacum.

Maximilianus martyr.

precibus à Deo contendit, vt populi sui misereretur, ne gentes dicerent, vbi est Deus eorum? Finitis precibus, in medio sacrificantium idolis, stans, tyrannum iniustitiæ insimulat: Tu, inquiens, quos tueri debebas, eos exilijs & morte multas. Quid est? inquit præses, tunc garrulus ille es, quem episcopum Christiani vocant? Sum, ait Maximilianus, minister Iesu Christi, faxitq́ Deus, vt dignus sim tanto ministerio. Quid? Præses ait, deseris tu immortales Deos, & crucifixum colis. Respondit episcopus: Verè immortales sunt dij tui, quia nunquam vixerunt, nullo igitur tempore possunt mori. Plura loqui cupientem prohibuit tyrannus, & in templum Martis ire iussit, ibiq́ Martem, quem offendisset, vel sacrificio placare, vel sanguine. Hoc cum facere renueret episcopus, iussu tyranni gladio necatus est an. C. 289. S. Maximiliano successit in episcopatu S. Constantius, Constantio Theodorus, Christianæ religionis contra Arianos acerrimus propugnator, qui etiam pallium à Symmacho papa Romano accepit.

S. Constantius. Theodorus.

Post

Post hunc Theodorum nominatur Erchenfridus ille, de quo antè dictum. Erchenfrido successit Othogarus, Othogaro Viphilo, Viphiloni Bruno circa an. C. 634. Hoc præsule Laureacensis episcopatus propter penuriam cum Patauiensi coniunctus est. Othogarus. Viphilo. Bruno.

Anno C. 722. episcopatum gubernauit Viuilo vel Biphilo, qui delcto ab Hunnis & Auaris anno C. 899. Laureaco, cum clericis & monialibus Patauium sese contulit, ibiq́ sedem episcopalem fixit. Ex quo episcopi Patauienses etiam archiepiscopi Laureacenses dicti sunt. Etsi autem duces Bauariæ Thaßilo & filius eius Vtilo Patauium sibi vendicarunt: tamen comprobante Arnolpho imperatore, archiepiscopis illud donarunt anno C. 899. Hoc antistite visitata est Bauariæ ecclesia à S. Bonifacio iussuq́ pontificis Rom. Gregorij III. reformatio eius suscepta, in qua dissensiones de religionis doctrina compositæ sunt, & clericis siue ecclesiasticis personis vsu concubinarum interdictum, coniugiumq́ præceptum, ciborum delectus prohibitus, & fiducia meritorum propriorum

Viuilo. Episcopatus Laureacensis translatus Patauium. Visitatio ecclesiæ.

coram

coram Deo damnata: propterea quod tota vita Christiani hominis nihil aliud sit quàm pœnitentia & certamen cum infirmitate & peccato. Omnis verò iustitia & spes nostra in Dei misericordia propter Christum promissa vertatur. Mortuus est Viuilo anno C. 745. Viuilonem secutus est

Sidonius.

Sidonius anno C. 745. Cuius tempore indoctus quidam fuit sacerdos, qui baptismi verba corrupit, & sic pronunciauit: Ba-

Indoctus sacerdos.

ptizo te in nomine patria, & filia, & spiritu sancta. De qua formula certamen inter S. Bonifacium & Sidonium extitit. Ille enim irritum talem baptismum esse iudicauit, & denuo baptisandos hoc modo baptisatos censuit. Hic verò cum Salisburgensi antistite Virgilio non esse retractandum huiusmodi baptismum arbitratus est. Iudex autem controuersiæ delectus pontifex Romanus Zacharias Sidonij sententiam comprobauit. Anno C. 766.

Vvisericus.

Vvisericus vel Viscarius præsul interfuit

Synodi decretum piũ.

prouinciali synodo anno C. 768. Dingensini in inferiori Bauaria ad Isaram flumen indictæ, in qua inter alia decreta pia & vtilia

vtilia etiam hoc extat, vt diebus dominicis soli diuino cultui vacetur, omissis omnibus ciuilibus negocijs, & si quis eo die vel currum agat, vel in alio labore deprehendatur, eius pecus confiscetur. Si desistere nolit, Deumq́ʒ profanatione Sabbati offendere pergat, in seruitutem redigatur.

Vvaldericus anno C. 775. cui Carolus Magnus multa donauit, quibus episcopatus Patauiensis valdè locupletatus est. Vvaldericus.

Hatto anno Christi 807. Runharius vel Rimharinus Morauos ad Christum conuertit & baptizauit. Anno C. 894. Arnolphus imperator Vvinechindo vel Vvichindo præsuli Patauium cum omnibus prouentibus eius, vt dictum est, donauit. Fuitq́ʒ hic Vvichindus imperatoris cancellarius, à quo etiam ad episcopatum elatus est. Etsi autem Dithmarus Salispurgensis antistes mouere loco hunc Vvichindum conatus est, quasi non à clero, sed à seculari electum: tamen spes eum frustrata est, Cæsare Vvichindū defendente. Hatto. Vvichind⁹.

Adelbertus an. C. 945. qui autoritate pontificis Rom. Agapeti II. dißidium Adelbertus.

inter Salispurgensem & Pataviensem e-
Transactio. piscopos sic composuit, vt Salspurgensis
Austriæ, Patauiensis verò Vngariæ, Mo-
rauiæ, Slauoniæ & Mysiæ inspectionem
haberet.

Pilgrinus. Pilgrinus anno C. 971. ecclesiam curæ
habuit, eamq́ ab Hunnis vastatam repa-
rauit, ministros idoneos paßim ordinauit,
in Vngaria ad quinq́ millia hominum
conuertit ad Christum, episcopatumq́
multis rebus auxit & honestauit.

Altmannus. Altmannus Saxo siue Vvestphalus
anno C. 1165. absens in itinere Hieroso-
lymitano creatus rector fuit primum scho-
læ Padebornensis, inde coniugis Henrici
Nigri imperatoris sacellanus siue ecclesia-
stes aulicus, tum canonicus Coloniensis,
tandem præpositus, postremo episcopus est
factus. Pietatem suam multis rebus de-
clarauit, in primis verò liberalitatem in
pauperes exercuit, quorum aliquot millia
pauit. Quin cœnobium etiam ædificauit
Gotuici in Austria infra Oenum. Id enim
aliquando Parisijs, vbi literarum doctrinæ
operam dedit, promisit, cum in quodam
sympo-

symposio cum Gebhardo comite Helfensteinio, & Adelberone comite Lambachensi per iocum quidem, sed non sine animi diuinatione dixit, alium alio loco episcopum esse futurum, & cœnobium fundaturum. Quod postea euentus omnium trium comprobauit. Vnum in se admisit peccatum non leue, sed tantum, vt pœnam eius, quoad vixit, luere coactus sit. Cum enim Henricus IV. imperator cum pontifice Rom. Gregorio VII. acriter disceptaret de sacerdotum coniugio, pontifex misso diplomate omnes sacerdotes in coniugio viuentes excommunicari iußisset: obtemperauit huic impio edicto episcopus, & sacerdotes coniugium, in quo & ipsi essent nati, defendentes, eiecit. Cæsar verò eiectos restituit, & coniugium sacerdotum approbauit, dissentientes verò, aut secus facientes proscripsit. Atq; hæc quasi semina quædam fuerunt belli atrocis inter Henricum Cæsarem, & Rudolphum Sueuum. Papa enim Cæsarem reiecit, & autor episcopis quibusdam fuit, vt Rudolphum eligerent imperatorem. Inde bel-

Certamen de sacerdotum coniugio.

lum varia fortuna gestum ad annos tres, donec tandem Rudolphus, ingenti vi sanguinis per Germaniam profusa, in prælio victus dextram amisit, & cum gemitu magno pontificis & episcoporum incitationem deplorauit. Hinc profugus factus Altmannus Romæ aliquandiu in præsidio & tutela pontificis latuit. Sed inde reuersus in Germaniam in monasterio Gotuico à se condito mortuus est anno C. 1092.

Theobaldus. *Theobaldus an. C. 1165. multa decreta pontificum Romanorum, scripturæ sanctæ aduersantia reiecit.* Vuolfgerus. *Vuolfgerus an. C. 1189. in Asiam, cum imperatore Friderico Barbarossa profectus, domi interim dum abfuit, multum detrimenti cepit. Nam comes de Ortenberg aliiq; dynastæ Bauariæ Patauium igne & gladio vastarunt. Hanc iniuriam reuersus episcopus sic vltus est, vt comitum ab Ortenberg arces expugnarit & solo æquarit. Autor etiam fuit patruo suo Baboni, vt bona amplissima episcopatui donaret.*

Vlricus. *Vlricus comes à Discheim anno C. 1216. electus*

electus præter cætera constituit, vt Canonici singulis diebus dominicis in communi συσσιτίῳ, vel cœnaculo simul cibum caperent.

Rudingerus an. C. 1233. à legato pontificis Romani ad episcopatum euectus est, sed postea iterum abdicatus propter suspicionem conspirationis cum Cæsare Friderico II. Erat enim missus in Germaniam iste legatus, vt obseruaret, & ad pontificem deferret nomina episcoporum, qui cum Cæsare sentirent. Hos papa omnes loco mouebat, & inimicè insectabatur. Rudinger9.

Bertholdus XLIX. episcopus bellicosus, qui cum aduersos haberet ciues, ope regis Boiemorum in Bauariam penetrauit. Deinde astu quorundam ciuium per portam angustam tempore nocturno intromissus est. Clericos & ciues malè tractauit. Feudum Austriæ & Styriæ à diœcesi Pataujensi alienauit, & Othogaro Boiemorum regi 4000. marcis argenti vendidit. Berthold9: Feudum Austriæ.

Otho à Lomsdorff L. anno C. 1254. dissidium inter antecessorem suum & ducem Bauariæ composuit, animaduersoq́; Otho.

seuerus fuit vitiorum ordinis ecclesiastici.

Petrus. *Petrus, Magister artium liberalium, LI. episcopus, anno C. 1266. precibus Vladislai ducis Silesiæ, qui episcopus Patauiensis quidem electus erat, sed ad archiepiscopatum Salispurgensem vocabatur, ad hanc dignitatem euectus, interfuit concilio Viennensi an. C. 1267.*

Bicardus. *Bicardus à Polheim LII. an. C. 1280.*
Gotfridus. *Gotfridus LIII. an. C. 1283.* Bernardus. *Bernardus à Prombach LIV. an. C. 1285. fundauit cœnobium Cistertiense Angelocellam ad alendos Bernardinos monachos, & alios iter facientes ab Euerdinga ad vrbem Patauium, per periculosa loca, vt ibi hospitium, cibum, & potum inuenirent. Post huius mortem vacauit diœcesis ad annos septem ob inuidiam & ambitionem Canonicorum.*

Albertus. *Albertus Sax. dux, LV. an. C. 1322. gubernauit diœcesin more principis politici.*

Gotfridus. *Gotfridus LVI. Baro à Vvisenecк in Styria, multa reparauit & muniuit.*

Albertus. *Albertus LVII.. Baro à Vvinckel in*

Austria

Austria, an. C. 1362. bellum gessit cum ciuitate Patauiensi, in quo multi ab vtraque parte occubuerunt.

Georgius comes ab Hohenlohe anno C. 1388. contra quem electus à maiori parte fuit Rupertus Bergensis dux. Ex quo cum bellum exortum esset, & Patauium obsideretur, pontifex partes dissidentes sic reconciliauit, vt comes ab Hohenlohe Patauij, Rupertus verò Padeborni antistes esset. Fuit autem Georgius in magna gratia apud Cæsarem Sigismundum, & imperij cancellarius. Georg.

Leonhardus à Layning Bauarus LX. episcopus, æmulum habuit Henricum Flôkel iuris Canonici Doctorem. Cum autem audita controuersia, arbiter ab vtraq; parte deligeretur archiepiscopus Salispurgensis: Leonhardus non tam precibus, quàm muneribus episcopatum retinuit. Certamen deinde habuit cum Canonicis, qui etiam Viennam commigrarunt, & census capituli omnes interceperunt, tum apud Pontificem quoq; episcopum accusarunt. Tandem archipræsul Salispurgensis auto- Leonhard9.

ritatem suam interposuit, & exulceratos animos reconciliauit.

Vlricus à Nusdorff.

Vlricus à Nusdorff L X I. an. C. 1451. missus à Ladislao Vngariæ & Boiemiæ rege cum equis quingentis, & quatuor deauratis curribus ad Carolum Galliæ regem, petere Ladislao filiam eius Magdalenam in vxorem debuit. Sed dum Romæ tractabatur de dotalibus pactis, & de delendis in Boiemia Hußitis: Ladislaus sponsus Pragæ à consiliarijs suis occidebatur: itaq; infecta re episcopus domum redijt.

Hostiæ à Iudeis confossæ.

Euenit etiam hoc ipso præsule, vt quidam octo hostijs ex templo surripuerit, & Iudæis aureo florino vendiderit. Has cum Iudæi cultris configerent, sanguis exijt. Quare mox duas ex ijs Pragam, alias duas Salispurgum, & totidem Neapolim ad gentiles suos Iudæos miserunt, vt & ipsi sanguinem ex ijs confoßis elicerent. Reliquas duas in fornacem coniecerunt, vt exurerentur. Sed exuri non potuerunt, quod in fornace angeli duo conspicerentur, & columbæ duæ inde euolarent. Sequente an-

te anno 1477. fur comprehenſus unà cum Iudæis ad ſupplicium raptus eſt; ipſe quidem forcipibus candentibus diſcerptus, tandemq́ combuſtus eſt. Iudæi verò, præſertim Rabini duo, qui confoderant hoſtias, & in fornacem incenſam coniecerant, ſimili pœna affecti ſunt: reliqui cremati.

Fridericus LXII. comes ab Oetingen an. C. 1486. Chriſtophorus Schachnerus LXIII. an. C. 1490. multa oppignorata redemit, & collapſa reparauit. Fridericus. Chriſtoph.

Vigilerus LXIV. an. C. 1500. cui pontifex Alexander VI. hoc priuilegium attribuit, vt quicunq; intereſſet primæ illius miſſæ, vereq́; pœnitentiam ageret, remiſſionem omnium peccatorum conſequeretur. Reformare quidem conatus eſt Clericos, ſed fruſtra. Vigilerus.

Erneſtus dux Bauariæ LXV. anno C. 1517. multis rebus epiſcopatum auxit & ornauit. Erneſtus.

Vvolfgangus comes à Salen LXVI. an. C. 1540. latinè & græcè doctus, artium & religionis peritus, viris eruditis admo- Vvolfgangus.

dum delectatus est, arces muniuit, aliaq́; ædificia deformata reformauit, bibliothecam auxit, & alia prædicatione digna fecit.

Frisingens.

FRISINGENSIS episcopatus Salispurgensis suffraganeus circa annum C. 710. constitutus est. Huius episcopus primus fuit S. Corbinianus per annos viginti, Grimealdo Bauariæ duce. Eum secutus est Erimbertus S. Corbiniani frater, post quem nominatim recensentur episcopi L. vsq; ad Ernestum Bauariæ ducem, qui hoc tempore diœcesin administrat. Inter hos verò decimus à S. Corbiniano Vualtho fuit, anno C. 883. cuius ætate historia euangelica rythmis Francicis conscripta fuit, quod indicant hi versus, quos Vviguleus Hund recitat : Nun wil ich schreiben vnser heil.

Euangelion so wir nun hier begunnen zu Franckisga zungen. *Asseruaturq́; hic liber fortuito in quadam cista repertus adhuc apud principem Ernestum.*

Monasteriensis ecclesia à monasterio fun-

Monasteriensis episcopatus in Vvestvalia, qui à Carolo Magno institutus Memigrodi,

migrodi, tandem Monasteriensis cœpit dici propter templum insigne, quod ibi extructum est. Primus præsul huius diœceseos fuit S. Ludgerus Frisius, an. C. 794. quem secuti ordine Gerfridus, Alfridus & alij viri docti & quidam etiam magno loco nati, amplissimum hunc episcopatum gubernarunt vsq; ad Fridericum XXII. præsulem an. C. 1180. quo Vvestvalia Coloniensi archiepiscopo subiecta est à Friderico Barbarossa, quando Leonem Saxoniæ ducem proscripsit. Ex quo Coloniensi diœcesi adhuc paret: licet postea etiam Henricus episcopus XXV. comes de Cattenelnbogen Monasteriensium princeps sit dictus. Fit quoq; mentio in historijs belli cuiusdam Monasteriensis, quod in annum C. 1121. inciderit, quando dux Lotharius episcopum à ciuibus eiectum restituit. Circa annum C. 1400. Henricus Vvolff Monasteriensis præsul non solùm incommoda multa à diœcesi propulsauit, sed eandem etiam multis rebus auxit & honestauit. Sed huius successor Otho comes ab Hoya curam ecclesiasticæ gubernationis abiecit, & ar-

dato & magnificato dicta, ante Memigardeuordensis, vt Cranzius ait: Coloniensis archiepiscopatus suffraganeus episcopatus.

Bellum.

& armis, quàm libris vacare maluit. Anno C. 1454. iterum exarſit bellum inter capitulum & archipræſulem Colonienſem, in quo Fridericus Brunſuicenſis dux Monaſterienſibus ſubſidio venit, & in prælio captus Coloniam abductus eſt, nec niſi ſoluto magno precio liberatus. XLVI. præſul fuit Conradus comes à Ritberg, cuius ætate ſchola Monaſterienſis liberalibus ſtudijs affluxit, & latinæ linguæ elegantia coli magis cœpit, autoribus Rudolpho Langio, Timanno Camenero, Ioanne Murmelio, & Ioanne Hegemanno. Langius enim dux ad aperiendum gymnaſium fuit, reliqui verò ſcholæ præfecti docendis literis tantum effecerunt, vt inde ad omnes partes Germaniæ propagari cura emendati ſermonis cœperit. Cunrado ſucceſsit Ericus Saxoniæ inferioris dux an. C. 1508. Erico Fridericus de Vveida an. C. 1532. Friderico ſucceſsit eodem anno Ericus Brunſuicenſis dux de Grubenhagen. Erico Franciſcus comes à Vvaldeck anno eodem. In huius gubernationem incidit anabaptiſticum bellum. Anno enim

Schola Monaſterienſis.

Bellum Anabaptiſticum.

enim C. 1532. confluxerunt in vrbem Monasterium Ioannes à Leiden sartor, Hermannus Stapreda, Bernhardus Knopperdollingus, cum quibus sese coniunxit etiam Bernhardus Rotmannus. Hi sectæ suæ socios ex omnibus oppidis & vicis accersunt, vt libidinem furoremq́ue animi sui explere poßint. Anno 1534. in Februario, senatu vrbis reiecto, nouum ex sua voluntate eligunt, & Knopperdollingum consulem faciunt. His ducibus templum oppugnant, & maiori ex parte diruunt. Omnes item à se dissentientes expellunt, deinde regem creant Ioannem à Leiden sartorem, rempub. in potestatem suam redigunt, nouam politiam instituunt, vxores, quotquot vnusquisq́ue velit, ducunt, communia habent bona, & alia horrenda flagitia specie cuiusdam effrenati Zeli, & mandati diuini admittunt. Hoc atrocißimum, & quo sol vix vidit indignius facinus, iusta arma episcopo & vicinis principibus induit. Obsidetur igitur vrbs, premitur, vrgetur, & in tantas angustias adducitur, vt à commemoratione mens

pia

pia abhorreat. Tandem verò capitur vi media nocte, 25. Iunij, ac Ioannes quidem à Leiden rex, Knipperdollingus & cæteri eius factionis principes candentibus forcipibus lacerantur in foro: Rex in primis alligatur palo, paranturq́ à binis carnificibus forcipes igniti, quibus mordetur, & carpitur eius corpus. Ac tribus quidem morsibus is dolorem dißimulat, postea verò misericordiam Dei implorat. Repetuntur morsus ad horam & amplius: tum demum mucro per corpus adigitur. Eadem pœna exercet socios. Trucidata hoc modo corpora ferreis caueis illigantur, quæ in vrbe ad summitatem turris suspenduntur: rege medium inter eos locum tenente, & statura etiam alios superante. Anno C. 1553. electus est episcopus Vvilhelmus Ketler pietate & prudentia commemorabili præditus, qui ob amorem studiumq́ repurgatæ cœlestis doctrinæ à gubernatione sese remouit. Successit ei an. C. 1557. Bernardus Raßfeld, qui & ipse factus inuisus suis canonicis propter promulgatum pontificis Romani de amouendis concubi-

um

nis edictum, se magistratu abdicauit. Surrogatus est igitur Iohannes ab Hoya anno C. 1566. post quem an. C. 1574. designatus est Ioannes Vuilhelmus Iuliacensis dux, qui tamen ecclesiastica gubernatione sese abdicauit, & uxorem duxit. Post eum igitur electus est Ernestus Bauariæ dux, Coloniensis archiepiscopus, qui in viuis est.

LVBECENSIS.

ANno C. 970. fundauit Otho I. imperator ecclesiam Aldenburgi in Vuagria, quæ nunc Holsatia est, subiecitq́; ei polabos & obotritos à terminis Holsatorum vsq; ad flumen Penim, & vrbem Dimin. Primus autem episcopus huic ecclesiæ datus est Marcus II. Eckuuardus. III. Vuago. IV. Ezike. V. Folchardus. VI. Reinbertus. VII. Benno. VIII. Meinerus. IX. Abelinus. X. Ezo. Huius autem Ezonis tempore magnus Adelbertus in ecclesia Hamburgensi diuisit Aldenburgensem sedem in tres episcopatus, Mecklinburgensem, Raceburgensem, & Aldenburgensem. Ac Mecklinburgensi quidem

præfe-

præfecit Ioannem, Raceburgensi verò Aristonem, postea vacauerunt sedes istæ in Slauia, propter peccata hominum, vt Helmoldus ait, annis octoginta quatuor, vsque ad Hartuici archiepiscopi Bremensis tempora, qui conatus est ope pontificis Rom. & Cæsaris deletos iam olim episcopatus Slauiæ instaurare. Iccirco Vicelinum Aldenburgensi sedi præfecit, Mecklinburgensi verò Emmehardum. Sed Mecklinburgensis postea Suerinum est translatus. Cum autem Vicelinus episcopalem inuestituram de manu Adolphi comitis & Henrici Leonis Sax. ducis accipere nollet, propterea quod episcopos inuestire solius imperatoriæ maiestatis esse existimaret: diu dilata est inuestitura: sed tandem tamen ab Henrico Leone huic Aldenburgensi episcopo suppeditata: reditusque ecclesiastici eidem ecclesiæ restituti sunt. Vicelino successit in hac sede Geroldus, sub quo Aldenburgensis sedes anno C. 1064. per Henricum Leonem Lubecam translata est, vbi etiam nunc manet. Mecklinburgensis verò sedes Suerini collocata est, circa an-

circa annum C. 1178. Helmoldus cap. 70. Crantzius lib. 6. Sax. cap. 23. Vandaliæ lib. 4. cap. 36. A Geroldo autem vicesimus quartus in ordine numeratur Theodericus Arndes, anno C. 1500. episcopatui Lubecensi præfectus. Hunc ordine secuti sunt Vvilhelmus Vvestvalus, Ioannes Grimholdus, Henricus Bocholt, Detleuus Keuentlouu Daniæ regis Friderici Cancellarius, Balthasar Ranzouius, Iodocus Hutfilter, Theodericus Resius, Andreas Barby regis Daniæ Christiani III. cancellarius, Ioannes Tideman, Eberardus ab Holl, Ioannes Adolphus Noruegiæ hæres, Slesuici, Holsatiæq; dux, qui anno C. 1586. electus, anno C. 1596. ducta in matrimonium filia regis Daniæ Friderici II. episcopatum fratri suo Ioanni Friderico à capitulo legitimè designato tradidit. Est autem memoria dignum, quod Cranzius lib. 4. Vandaliæ cap. 36. narrat, Fridericum imperatorem potestatem dedisse Henrico Leoni, suo arbitratu de nouis episcopatibus disponendi. Ex quo episcopatuum translatio illa, de qua dictum,

per Henricum Leonem ſecuta eſt. Religio euangelica anno C. 1530. tam in ſummum, quàm in alia eiuſdem ciuitatis templa introducta eſt, & ex præſcripto D. Ioannis Bugenhagij certus ordo concionum & rituum inſtitutus: cum alioqui ciues ad contribuendam pecuniam, qua debita reipub. ſoluerentur, adigi non poſſent.

SVERINENSIS.

E Piſcopatum Suerinenſem in ducatu Megapolitano fundauit S. Godeſcalcus Chriſtianus princeps gentis Henetæ, imperante Henrico IV. primùm quidem Meckelpurgi per Ioannem Scotum, qui primus eccleſiæ illius antiſtes fuit, & à Vvendis ad ethnicam religionem à Chriſtiana reuerſis crudeli morte affectus eſt. Poſtquam verò Meckelburgum bellis Vandalicis vaſtatum fuit, Henricus Leo Sax. dux ſedem epiſcopalem Suerinum tranſtulit circa an. C. 1168. vbi primus antiſtes Benno fuit, à quo numerantur 33. præſules, vſq; ad Magnum Megapolitanum

num ducem, qui an. C. 1516. diœcesin gubernare cœpit. & vsq; ad annum 1550. administrauit. Hunc secutus est Vlricus Megapolitanus dux an. C. 1550. Vlrici Megapolitani successor designatus est, Vlricus regis Daniæ Friderici II. filius, anno C. 1590.

CATHEDRALIS ECCLESIA ERFVRDIAE.

S. *Bonifacius, qui circa annum C. 720. in Germaniam venit, Erffurdiæ ecclesiam Cathedralem fundare instituit. Iccirco templum Beatæ Mariæ magnis sumtibus ædificandum curauit, & sedem episcopi ibi esse voluit. Sed papalibus literis ab instituto, susceptoq; consilio reuocatus, episcopatum Moguntiam transtulit: Remansit tamen cathedrale templum beatæ Mariæ, cui adiunctum est alterum templum S. Seueri, quorum vtrunq; suos canonicos habet, archipræsuli Moguntino subiectos. Suffridus præsbyter epitomes lib. 2. Historia in vrbium descriptione copiosius enarrabitur.*

TRES LVDI ILLVSTRES IN MISNIA.

Misnensis, Grimensis, & Portensis.

Misnæ ad Albim cœnobium monachorum, quos canonicos irregulares vocant, ad S. Afram fundauit Reinerus in ordine episcopus septimus, an. C. 1060. principatum Misniæ tenente Dedone Diterici Marchionis filio. Confirmationis verò robur Nicolaus II. pontifex Rom. accommodauit. Reditus & accessiones adiunxerunt sequentes nonnulli episcopi Burggrauij, & præpositi, quemadmodum supra in Misnensium episcoporum historia dictum. Monachi autem huius cœnobij etiam templum siue parœciam, quæ in oppido est, curarunt concionibus in eo habitis, & sacramentis administratis.

Anno C. 1263. præpositus in hoc monasterio fuit, cui salutis veræ ratio magnæ curæ fuit. Itaq; à canonico quodam multis precibus contendit, vt sibi in mortis agone tria inculcaret: primùm, mortis Christi acerbitatem, sudoremq́; cruentum

in mon-

in monte olueti erumpentem. Secundò vim dolorum & cruciatuum Christi in cruce. tertiò, verba Christi de cruce pronunciata. Ex his enim se consolationem certam percepturum esse, & aditum ad paradisum non minùs quàm latronem alterum habiturum arbitratus est.

Anno C. 1503. monachus quidam eiusdem cœnobij hostis muliebris sexus valdè acerbus, cum fœmellam baptisauit, in oppidi templo, in hæc verba erupit: Baptisetur, & continuò suffocetur. Huius diræ imprecationis pœnas non ita multò pòst Deo persoluit. Stans enim aliquando in ponte sublicio, quo vrbs Albi iungitur, & perticæ innixus, improuiso in Albim decidit, & suffocatus est.

Maturè in hoc cœnobio schola aperta est duodecim puerorum, qui ad latinam linguam, & Musicam adsuefacti sunt. remansitq; ea vsq; ad tempus illud, quo reformari religio cepit. Reformata autem religione, cum Mauritius, & Augustus fratres Saxoniæ duces mortuo patri Henrico in gubernatione ducatus successissent,

 consi-

consilium pium, & salutare ceperunt de conuertendis reditibus monasterij ad vsum verum, ecclesiæ, & Reipub. necessarium. Itaq; anno C.1544. vt in diplomate fundationis est, ludum literarium aperuerunt, in hoc ipso cœnobio, in quo pueri centum, partim nobili genere, partim ciuibus honestis nati alerentur, & tam veræ religionis quàm literarum, & artium dicendi doctrina imbuerentur: collatis ad eam rem complurib. reditibus ex cœnobio S. Crucis, & vicinis pagis: remanentibus nihilominus eleemosynis solennibus, pauperibus distribuendis.

Præceptores ordinati sunt quatuor, vnus magister seu moderator scholæ, duo collegæ, & vnus Cantor. Quibus & victus, & habitatio in, & extra scholam, & pannus præbetur. Pueris verò maxima ex parte victus gratis suppeditatur. Minima eorum pars precium exiguum persoluit. Et his quidem, qui gratis aluntur, etiam pannus datur quotannis, item papyrus, & calcei annis sex.

Oeconomus non solùm ædificia curat,

sed

ſed rem familiarem omnem etiam administrat, & vt ſecundum ordinem præſcriptum omnia gerantur prouidet. Tota ſchola legibus bonis, & ordine certo regitur. Eſtq́ communis totius ducatus officina pietatis, morum, & eruditionis. Ex qua prodeunt identidem adoleſcentes literis inſtructi in Academias. Quidam etiam ad alia munia ciuilia, & honeſta adhibentur. Additi tandem ſunt perpetui inſpectores nobiles, quorum prudentia & induſtria præter cæteros explorata eſt. Hi quando vſus eſt, tam Præceptores, quàm Oeconomum conſilio, & re iuuant. Accedit viſitatio annua, delectis ad eam certis profeſſoribus ex Lipſica & Vvitembergica Academia: quorum munus eſt accuratè ſtatum ſcholæ explorare, & quomodo vnusquiſq; tam præceptorum quàm diſcipulorum, tum Oeconomus etiam officium faciat, perquirere: omniaq́, quo ad eius facere poſſunt, vnà cum inſpectoribus ad ordinis rationem in fundatione præſcriptam dirigere. Diſtribuunt hi etiam libros καθ' ἀξίαν, ſecundum cuiuſq; pueri

adolescentisúe ingenium, industriam, & progressum in literis factum: vt qui naui sunt, in cursu diligentiæ retineantur: Ignaui verò pudore quodam suffusi ab inertia ad curam studij maioris reuocentur. De toto autem visitationis actu ad principem explicatio iusta perscribitur.

GRimæ ad Muldam cœnobium prædicantium monachorum, ordini S. Augustini fuit, ædificijs, syluis, & bonis multis locupletatum. Serius aliquanto, nempe anno 1550. in scholam, à Mauritio Electore, & fratre Augusto duce Saxoniæ conuersum. Vt enim schola Misnensis, & Portensis ad ducatum pertinent: Sic hæc Grimensis causa electoratus instituta est, vt videlicet puerorum in electorali ditione, & vrbibus receptaculum esset. Adiunctum est ei amœnißimo loco ad Muldam situm cœnobium Nimitsch, ex quo bona pars rerum ad victum necessariarum prouenit. Aluntur in hoc ludo pueri æquè centum, atq; in Misnensi, nec alia ferè est forma gubernationis, doctrinæ, disciplinæ, & victus. Habet eodem modo suos inspectores,

ctores, & visitatur pari diligentia, & fide. Vineas duntaxat desiderat, & ob hanc penuriam aliunde copiolam aliquam annuatim acquirit.

Portæ schola ad Salam, centum & quinquaginta puerorum altrix, monasterium fuit virginum, fundatum à Brunone comite Plissensi, & Smolensi, an. C. 1127. postquam vnicus ipsius filiús ex Garburga susceptus in venatione ab apro interemtus est. Postea verò propter impuram virginum vitam in cœnobium Cistertiensium monachorum ab Vdone Numburgensi episcopo, de sententia & autoritate Brunonis conuersum est, cui ex Vvalkenrodensi monasterio euocatus Adelbertus abbas primus datus est. Cum autem locus neq; opportunus esset monachis, neq; à Sorabis Slauis tutus: permutatio facta est cum Vdone episcopo Numburgensi, qui pro bonis in Smolensi ditione Cusam, seu Cosen villam ad Salam Cistertiensibus monachis tradidit. Estq; hæc permutatio à Cæsare Cunrado Sueuo, pontifice Innocentio, & principibus imperij confirmata

priuilegium extat in chronico Cizensi. Hoc modo ad Salam translati monachi agris, syluis, mola, & piscinis mirum in modum locupletati sunt, & nouum cœnobium Portæ ædificarunt, cui hoc nomen ab aditu ad cœlum salutemq́ æternam indiderunt, anno sc. C. 1134. Tandem Henricus Saxoniæ dux curam eius suscepit, filius verò ipsius Mauritius anno C. 1543. ludum literarium in eo aperuit, qui pari ratione cum cæteris duabus scholis prouincialibus curatur, & administratur In hac recensione bene longa episcopatuum Germaniæ florentium, & opibus fortunisq́ præstantium venit in mentem miserrimi & afflictissimi status regni Vngariæ, in quo, secundum Cuspinianum, quoq́ episcopales sedes 617. fuerunt, quæ nunc iacent multò maxima ex parte dirutæ, excisæ, squalore & sordibus Mahometicis oppressæ.

DE COMITE PALATINO RHENI, S. ROMANI IMPERII archidapifero & electore.

Pala-

PAlatinatus, qui ad Rhenum est, ab Ammiano Marcellino vocatur Palas & Capellatium: ex quo Palatinorum nomen absq; dubio in regione seu tractu circa Heidelbergam natum est. Palas verò ex palatio est, quod domum Cæsaris aut præsidis, siue aulam vel curiam denotat, Germanicè Pfaltz: *quod ibi sedes fuerit præsidum Romanorum, qualis fuit Iulianus Didius, Antonini imperatoris vicesimæ secundæ legionis præfectus. Vnde comes Palatinus est aulæ Cæsareæ iudex: qualis nunc ferè est præses iudicij imperialis Cameræ. Capellatium verò à sacello dictum videtur, quæ Germanis capella, hoc est, paruum templum est, cuiusmodi Didius in monte sancto prope Heidelbergam, vbi Mercurius est cultus, condidit. Id enim sacellum Romani, capellam verò Germani, paucis literis mutatis, appellarunt. ex quo capellatium tota regio appellari cœpit.*

Bonis autem initijs orsus Palatinatus, incrementa & successus insignes habuit. Palatini enim comites seu principes ab

Arnol-

Arnolpho imperatore orti sunt, qui ex coniuge sua Agnete Græci imperatoris filia suscepit filium Arnolphum comitem in Schiren, qui Palatinorum Rheni & ducum Bauariæ pater est. Ab hoc igitur anno C. 899. Palatinorum Rheni familia incepit, cuius tanta fuit potentia, vt Eberardus Palatinus cum Giselberto Lotharingiæ duce conatus sit imperatoriam dignitatem à Saxonibus ad se, vtpote ex familia Caroli Magni natum, transferre. Idq; factum est anno C. 937. quo Otho I. imperator electus est. Quidam numerant familias quinq; Electorum Palatinorum ad Rhenum, primam Lotharingorum, secundam Cattorum & Francorum, tertiam Sueuicam, quartam Guelphorum, quintam Vvitelsbachiam. Variæ autem commutationes vicißitudinesq́; fortunæ in palatinatu acciderunt. Nam anno C. 1168. mortuo Cunrado Palatino, Cæsaris Friderici I. fratre, ab imperatore duci Bauariæ, & Saxoniæ Henrico ille tributus est, vt Nauclerus scribit: & anno 1180. Bauariæ ducatus à Friderico imperatore in co-

in comitijs Vuurcepurgi ad Othonem Vuittelsbachium ex veteri Palatinorum Schirensium gente natum translatus est, vt Auentinus & Crantzius memorant.

Anno C. 1231. Otho, cognomento illustris Othonis Vuitelsbachij nepos, patri Ludouico Palatino Rheni à morione suo in ponte confosso successit, & à Cæsare vtrumq; ducatum Boiorum & Rheni in fidem suam accepit. Othoni mortuo successerunt filij, Ludouicus Seuerus, qui Palatinatum, & Henricus qui Bauariam nactus est an. C. 1253. Diuisa est hoc tempore Bauaria in superiorem & inferiorem, cœperuntq; principes Bauariæ etiam Rheni palatini vocari.

Frideric. II. imperator an. C. 1215. Ludouico Boiariæ rectori Rhenanum ducatū propter merita ipsius in se, patrem Henricum, & auum Fridericum, dedit, Auentinus lib. 7. Diuisio Bauariæ.

Othonis ætate perturbatissimus erat imperij status ob dissidium atrox & funestum inter Cæsares & Pontifices, nec in tantis turbis iustitia administrari, animaduersioq; in sceleratos vsurpari poterat. Itaq; multa flagitia relinquebantur impunita. Hinc rusticus quidam in somno vidit imaginem Dei pro tribunali sedentis, & capitis sententiam in Papam & Otho-

Rustici visum.

& Othonem tanquam pacis turbatores, & ingentium calamitatum autores, ferentis. Visum hoc principi reuelare quidem rusticus voluit, sed admissus ab eo non est. Tandem verò à sacerdotibus quibusdam adiutus eum adijt, & vt iustitiæ seuerior custos esset, monuit, nisi euentum somnij tristem experiri vellet. Sed contemta est homuncionis admonitio, & pro nihilo visum eius habitum. Itaq; fatalis exitus Othonem in vestigio secutus est. Eodem enim mense, quo visum rustico oblatum est, Otho noctu extinctus est, cum animo hilari cubitum iuisset. Idem penè Tritenhemius de Othone, Bauariæ duce, & palatino comite Rheni commemorat. Cum enim excommunicatus ille esset vnà cum imperatore Friderico, cœpit odio pontificis persequi Clerum. Itaq; subitò extinctus est noctu. Sed memoria dignius est, quod Auentinus narrat. Cum episcopi iussu pontificis Rom. voluerunt Othonem è communitate Christiana eijcere, nisi imperatorem excommunicatum desereret: oratione graui eos insectatus est: Quæ

est

est ista, inquiens, inconstantia vestra? Fui aduersarius imperatoris: vobis autoribus ad eum redij, Romanum episcopum antichristum esse dictitantibus. Nunc me rursum auellere ab Augusto conamini. Quod modò fas erat, modò nefas est. Qui sitis, vestra opera ostendunt. Opes, potentiam, honores, voluptates, munera concupiscitis, & adamatis: De hisce victi cupiditate, armis peius Turcis & Saracenis dimicatis. Discordia creuistis, oues non pascitis, gregem discissum deuoratis. A vobis condemnamur, à Christo absoluimur. Ideo Thiesteas vestras preces, dirasque detestationes nauci facio. Ad Christum seruatorem nostrum prouoco, qui nobis tales Pharisæos vitandos prædixit. Sacerdotes cognita Othonis innocentia, & constantia ab execratione pontificia eum liberarunt. Filios reliquit duos, Henricum, & Ludouicum. Ex Henrico Bauariæ duce natus est Ludouicus V. imperator, à quo reliqui sunt Bauariæ duces in hunc vsque diem. Ex Ludouico autem Rheni palatino natus est Rudolphus Rheni palatinus elector, mor- Ludouicus imperator.

tuus

tuus an. C. 1319. Rudolphum ſecutus eſt Adolphus, Adolphum Rupertus, qui Academiam Heidelbergenſem anno C. 1385. fundauit. Etſi autem dignitas VIIuiralis multò antè ad palatinos Rheni translata fuit: tamen an. C. 1356. per auream bullam Caroli IV. non in hac ſolùm Palatina, ſed etiam in Saxonica, & Brandeburgica familia multum autoritatis & roboris accepit.

Academia Heidelbergenſis.

Dignitas VIIuiralis.

Anno C. 1400. Rupertus Palatinus elector deſignatus eſt Romanorum imperator. Ex quo natus eſt Ludouicus II. cognomento Barbatus, elector Palatinus: item Stephanus dux Bipontinus, à quo Palatini Bipontini & Simmerenſes orti ſunt. Ludouicus II. elector, genuit Ludouicum III. electorem palatinum Manſuetum, & Fridericum Victorioſum, cuius Sarcophago hoc elogium Heidelbergæ inſcriptum fuit: Fridericus Bauariæ dux comes palatinus, elector, ſalus patriæ, prædonum fulmen, tres illuſtres hoſtes vicit, principatum auxit, & piè viuis exceſſit. Fuit eius vitæ ſocia virtus, gloria mortis comes. Vuimfeling.

Rupertus Imperator.

Duces Bipontini, & Simmerenſes.

ling. Ex Ludouico Mansueto natus est Philippus ingenuus elector palatinus, contra quem Maximilianus imperator primus bellum gessit, quod Bauaricum nominatur, an. C. 1504. Causa belli erat, quod Georgius diues, Bauariæ dux hæredem suum fecerat ducem Rupertum, Philippi Palatini filium. Huic enim Ruperto filiam suam in matrimonio collocarat Georgius diues, & ex pacto dotis omnia bona sua cum parte Bauariæ, quam tenebat, legauit. At imperator irritum hoc testamentum fecit, quod contra leges imperij, & fraudi etiam Alberto Bauariæ duci esset. Mortuo igitur Georgio, cum hæreditatem Rupertus adiret, Albertus verò eam iure sibi vendicaret; Maximilianus æquo iure controuersiam componere studuit. Philippus verò conditiones à Cæsare latas respuit, armisq́ue se ac ditionem suam tueri instituit. Itaque à Cæsare proscriptus est, & Palatina ditio multis difficultatibus afflicta. Quin ad manum etiam & pugnam ventum est, acerrimè dimicante Ruperto, & Boiemis, quorum præsidio is

Bellum Bauaricum.

nitebatur. Sed clade affectus dare manus tandem coactus est; Interponente se se Friderico Saxoniæ electore: qui vt iratum Cæsarem Palatino placaret, supplicem eum fieri voluit. Sed parum abfuit, quin ex officio illo pio erga victum Palatinum in offensionem Cæsaris cecidisset. Ipse tamen Cæsar in victoria adeo benignum sese præstitit, vt supplicem factum Palatinum in gratiam receperit, & filijs mærore mortui Ruperti partem regionis, quæ est inter Danubium & Nabum, attribuerit, quæ Neoburgensi ducatu hoc tempore comprehenditur. Factum est hoc an. C. 1505. Coloniæ in comitijs. Non multò pòst anno scilicet 1508. Philippus Palatinus Rheni è vita exijt, cui in electoratus dignitate successit filius natu maximus Ludouicus cognomento pacificus.

Ludouicus pacificus.

Dux Monaci.

In Bauaria verò eodem anno è viuis sublatus est Albertus dux Monaci, qui ex coniuge sua, sorore Maximiliani imperatoris susceptos reliquit filios tres, Vuilhelmum, Ludouicum, & Ernestum.

Anno C. 1513. Ludouicus pacificus, & Fri-

& Fridericus pius Palatini, fratres, Philippi filij cum Vlrico Vuirtenbergensi duce fœdus perpetuum & hæreditarium fecerunt: idq́ à Maximiliano imperatore comprobatum est. Anno C. 1519. cum Carolus V. Romanorum imperator electus esset Augustæ, missus in Hispaniam Fridericus Rheni Palatinus, decretum & electionem ei nunciauit. Eluxit in hoc Friderico virtus eximia, industriaq́ singularis. Vnde permotus Carolus V. Cameræ imperialis iudicio eum præfecit, & Spiræ in conuentu imperiali legatum sibi fecit. Gessit multa domi militiæq́ ex dignitate & vsu imperij. Anno 1528. Sueuici fœderis socios cum Landgrauio Hassiæ Philippo in gratiam reduxit atq́ restituit: postquam is episcopos Moguntinum, Vuurzeburgicum, Bambergensem, & alios nonnullos 120000. florinis multârat, quod dissipatis à D. Paccio Iurisconsulto falsis literis arma contra euangelicos comparasse dicebantur. Idem cauit, ne fœdus Argentinensium cum quibusdam pagis Heluetícis factum, imperio fraudi esset. In conuentu

Fœdus Sueuicum.

Fridericus.

uentu Augustano autoritatem magnam tenuit & de religionis concordia cum protestantibus egit. Anno C. 1529. in Spirensibus comitijs omnium principum atque ordinum consensu dux belli contra Turcam electus est: sed exclusus repentino hostium aduentu, Cremsij substitit. Quinquennio post Ferdinandi regis copias aduersus Philippum Hassiæ Landgrauium, qui Vuirtembergensem ducem Vlricum restituebat, duxit. Sed fusus est & captus. Anno C. 1532. fuit ductor copiarum germanicarum contra Solymannum Turcorum imperatorem, cum ad Viennam obsidendam reuerteretur. In primis verò ducem Turcarum Cosonum, qui cum 15000. equitibus oram Danubij ferro & igni vastabat, & iam præda onustus ex itinere reuertebatur, adortus est, & militem suum germanum in Turcos incitans, me, inquit, sequimini, vt hostes patriæ nostræ deleamus. Mox in hostes irruens, ita eos fudit & prostrauit, vt ipse etiam Cosonus interierit, & pauci elapsi sint.

Dux belli contra Turcos.

Anno C. 1541. colloquij theologorum,

quod

quod Ratiſponæ habitum eſt, dux atq; moderator à Carolo V. conſtitutus fuit. Anno Chriſti 1543. Ludouico electori in VIIvirali dignitate ſucceſsit, & reformatam religionem, non ipſe ſolùm profeſſus eſt, ſed eandem etiam in totum Palatinatum importauit. Nam Argentorato acciuit Paulum Fagium theologum, eiusq; opera doctrinæ & rituum in eccleſia emendationem inſtituit. Mox integer cœnæ dominicæ vſus permiſſus, coniugium ſacerdotibus conceſſum, & ſacrum Heidelbergæ in primario templo populari lingua peractum eſt, anno ſcilicet C. 1546. Eodem anno cum bellum in Germania exardeſceret inter Cæſarem & proteſtantes, percontatus eſt Fridericus, quare Cæſar arma contra Germaniæ principes caperet? Reſpondit Cæſar, ſe, cum conſilio & ratione hactenus nihil profeciſſet, armata manu deinceps rem tentaturum, & bello ad faciendum officium principes ac ciuitates adacturum eſſe. Cognita hac ſeueritate Cæſaris, hortatus eſt Fridericus principes ad quærendum & perſequendum omnes

Elector.

Religio reformata

vias, quibus placari Cæsar posset. Modos autem reconciliationis tres monstrauit. Primùm, si veniam sibi dari petant. Deinde si quid minùs rectè factum sit, id corrigant. Tum alieni si quid poßideant, dimittant. Propter fœdus autem quod Palatini cum Vuirtenbergensi duce fecerant, 400. equites auxilio misit protestantibus, cum castra ad Ingolstadium haberent. Qua re offensus est Cæsar. Iccirco cum Halam Sueuiæ oppidum cum exercitu is venisset, obuiam ei profectus Fridericus, veniam offensionis petijt. Cæsar tametsi grauiter illum incusauit, tamen placari se passus est, monuitq́ue vt in posterum caueret accuratius.

Mutatio religionis.

Quæ autem religionis reformatio paulò antè in Palatinatu incoata erat, ea tunc metu Cæsaris relinquebatur. Cum enim religionis formulam, quam Interim vocabant, Cæsar promulgasset, eamq́ue cunctis ordinibus obtrudere vellet: applicuit sese ad arbitrium illius Fridericus, & susceptum reformationis opus intermisit. Venit aliquando ad eum Carolus V. imperator,

rator, cui significauit Palatinus habere se quod ab eius maiestate peteret. Respondit imperator, se facturum id, si modò ferat facultas. Tunc, nihil aliud, inquit Palatinus, peto, clementissime imperator, quam vt nihil mihi maiestas tua eripiat de ijs, quæ dedit mihi Deus, Meminerat scilicet, quàm multa à Maximiliano I. Philippo Palatino in bello Bauarico, ad quod à Gallis incitatus fuerat, anno C. 1504. ademta essent.

Philippus Bellicosus, comes Palatinus, dux Boiariæ, natus an. C. 1503. Carolo V. primùm militauit in Italia contra Gallos. Deinde anno C. 1529. in obsidione Viennensi in acerrimas dimicationes, atque in crudelissimorum hostium impetus sese pro patria obiecit, Solymannumque vicies vrbem oppugnantem repressit, tandemque soluere obsidionem coëgit. Philippus bellicosus.

Friderico Palatino successit anno C. 1556. Otho Henricus, fratris Ruperti Virtuosi filius, qui quicquid reliquum fuit ex religione pontificia, id penitus aboleuit, missaque & alijs ceremonijs siue abusibus Elector.

vniuersæ ditionis suæ subditis interdixit. Cæsar omnem eius agrum occupauerat: sed fœderati principes Mauricius & Albertus, anno C. 1552. mortuo eidem restituerunt. Othoni Henrico sine sobole mortuo successit Fridericus III. elector & archidapifer, Ioannis II. Palatini, ducis Simmeriæ filius, ex collateralibus, anno C. 1559. Ab hoc in conuentu Augustano, an. C. 1566. postulauit Maximilianus II. imperator, vt vel Augustanam confessionem amplecteretur, vel à pace religioni data segregaretur, atq; excluderetur. Verùm interposuit sese Augustus Saxoniæ Septemuir, operam se daturum pollicens, vt ad Augustanæ confessionis normam sese accommodaret Palatinus. Hac pollicitatione acquieuit imperator. Palatinus verò metu quodam impulsus Bernæ in Heluetia ius ciuitatis petijt, vt eò profugeret, si fortè vis aliqua adhiberetur.

Fridericus III.

Vuolfgangus.

Vuolfgangus Palatinus Bipontinus, patre Ludouico Palatino Rheni & comite Veldentiæ, auo Alexandro, proauo Ludouico Nigro, abauo Stephano Bipontino,

atauo

atauo Ruperto Romanorum imperatore natus, tametsi in bello germanico ab armis abstinuit: tamen anno C. 1548. à Carolo V. ad recipiendam formulam religionis Augustæ à pontificijs compositam accersitus, constantia magna respondit, se quidem facere imperata Cæsaris omninò paratum esse: sed cum formula ista non per omnia doctrinæ Augustanæ confeßionis congrueret, nec à ministris ecclesiæ suæ approbaretur, rogare se, ne quid contrarium verbo Dei, & conscientiæ suæ cogeretur admittere. Quanquam verò ministros ecclesiæ se dimissurum esse pollicitus est: tamen flectente Deo animum Cæsaris, in profeßione religionis suæ non solùm ipse, sed etiam ministri ecclesiæ permanserunt. Deinde Friderici electoris vicarius in superiori Palatinatu constitutus est: & ducatum Neopurgicum adeptus, ecclesias & scholas in eo accuratè emendauit. Anno C. 1566. suis impensis copias in Vngariam duxit, vt Cæsari Maximiliano II. contra Turcas præstò esset. Dicendi facultate magna excelluit, & literas

Scholæ. *amauit atq; fouit. Scholas duas aperuit, Hornbachianam in Bipontino ducatu, & Laugingianam in Neopurgico. Rebus domi compositis, testamentoq; facto, militares copias in Galliam adduxit, opem laturus Condæis, causa religionis bellum cum rege gerentibus. Causam expeditionis, literis ad regem datis exposuit, non vllius scilicet priuati commodi causa, illam susceptam esse ostendens: sed vt socijs religionis suæ in regno Galliæ, Nauarræo, & Condæo, tum infimis etiam hominibus religionem reformatam profitentibus subueniret. Ab armis tamen sese discessurum pollicens, simul atq; religionis, facultatum, ac dignitatum vsum liberum rex permitteret doctrinam reformatam profitentibus. Exercitus illius erat 7074. equitum cum 26. tormentis maioribus, peditum verò 7046. Cum his in fines Galliæ progressus, Caritæam Burgundiæ vrbem ad Ligerim expugnauit. Postea à principibus Galliæ vix summa gratulatione acceptus in febrim ardentem incidit, qua etiam extinctus est, anno C. 1571. die 8. Iunij.*

Fride-

Friderico III. in VIIuiratu successit Ludouicus IV. Palatinus Rheni, dux Bauariæ, comes Simmerensis & Spanheimensis, natus anno C. 1531. mortuus verò an. C. 1583. Reliquit impuberem filium Fridericum IV. natum anno C. 1574. cuius tutor fuit Ioan. Casimirus. Ludouicus II.

Ioannes Casimirus Rheni Palatinus, Friderici III. electoris filius militaris indolis princeps, anno Christi 1567. dissuadente Cæsare, copias ad iuuandum Condæum in Galliam, extremo Decembri duxit, nempe 7500. equites, & 3000. pedites. Consilij sui rationem eam reddidit, quod non repugnandi causa regiæ maiestati aut voluntati expeditionem suscepisset, sed vt vim iniustè illatam, ab euangelicis propulsaret. Verùm data pace religionem reformatam profitentibus à rege, cum bona gratia in Germaniam reuersus est. An. C. 1578. exercitum equitum ac peditum fermè 12000. ex Aquitanis præsertim comparatum in Belgium duxit, contra vim à Ioanne de Austria, præside Hispanico euangelicis illatam. Rationem sui consilij Ioan. Casimirus.

scripto

ſcripto publico reddidit. Ioannes de Auſtria nihil eius aduentu conterritus, id vnum ſe optare oſtendit, vt cernere ſibi exercitum Palatini, & congredi cum eo liceret. Sed interuenit lues magna, quæ non ſolùm copias Hiſpanicas imminuit, ſed ipſum etiam ducem Ioannem de Auſtria è medio ſuſtulit. Idem periculum etiam imminebat Palatino & exercitui eius. Accedebat eodem difficultas ſolutionis ſtipendiorum, quæ animum Palatini non parum ab ordinibus Belgicis alienabat. Nihilominus Bruxellam perueniebat, & euangelij præconium liberè illic faciendum curabat. Eandem libertatem etiam Gandaui in Flandria moliebatur. Sed exorti malecontenti, qui neutrius partis ſocij eſſe volebat, inſtitutum hoc impediebant. Ad hos ergo domandos dabant Gandauenſes Palatino magnam pecuniæ ſummam. Sed irritus erat omnis conatus, itaq; ad abitum ex Belgio ſeſe Palatinus parabat.

Malecontenti.

Anno 1583. Ioan. Caſimirus Palatinus, in bello Colonienſi ſuppetias tulit Gebhardo Truchſeſio archiepiſcopo Colonienſi aduer-

aduersus Ernestum Bauariæ ducem, contra ipsum archiepiscopum electum. Exercitum habuit ex Heluetijs, Gallis, & Rhenanis equitum & peditum veteranorum. Monebatur quidem à Cæsare, vt à proposito susceptoq́ consilio desisteret: sed per literas se publicè excusabat. At cum vix exercitum promouere cœpisset, adsunt Cæsaris & Iuliacensis ducis legati, qui præfectos omnes ab armis discedere iubent: idq́ nisi faciant, periculum bonorum, famæ, & vitæ deniq́ ipsius minantur. Hoc edicto deterriti præfecti recusant progredi, & stipendium sibi persolui, deq́ futuro periculo proscriptionis caueri postulant. Ob hanc subitam animorum mutationem in castris, Palatinus in summum discrimen vocatus est. Incidit autem in hoc ipsum tempus Ludouici electoris Palatini obitus, de quo cum nuncium in castra allatum esset, placuit omnibus discessionem ab armis faciendam esse, & Cæsaris edicto parendum. Quod etiam factum est. Sic Palatinus infecta re ad suos rediјt, ac tutelæ administrationis munus in ditionibus

bus Palatini electoris Friderici IV. impuberis an. C. 1588. suscepit, religionemq́; cum ceremoniys ecclesiasticis ad eum modum, qui à patre ipsius Friderico III. secundum Caluini dogmata inuectus erat, reduxit.

Anno 1592. Ioannes Casimirus Palatini comes ad Rhenum vitam hanc mortalem deseruit, ditionesq́; suas Friderico Fridericus IV. *IV. electori reliquit. Is anno ætatis XVIII. gubernationem electoratus adyt. Et quãquam Richardus Palatinus administrationem sibi deberi ex aurea bulla, & constitutionibus Sigismundi imperatoris dictitauit, tamen ea in huius Friderici IV. iam puberis facti potestate remansit.*

BAVARIA.

B*Auaria siue Boiaria regio, Norici pars est, ab antiquis Boÿs dicta. Regnum olim fuit peculiare antequam in prouinciæ formam redacta est. Habuit enim reges, quos incolæ Cacannos appellarunt. Initium autem duxit Bauariæ regnum ab anno C. 456. quo Hunni immanem sæui-*

tiam

tiam in præcipuis partibus Europæ exercuerunt. Primus rex eius fuit Adalgerius, post quem reges habuit continua serie per annos 332. vsq; ad annum C. 788. quo Boiorum rex Taßilo bellum non necessarium Carolo fecit. Sed ab eo circumfusus ac territus pacem petiuit. Hanc verò impetratam paulò pòst violauit, fretus Hunnorum & Auarum auxilijs. Captus itaq; à Carolo sic punitus est, vt regno abdicare se cogeretur, & monasterium cum filio Dedone ingredi.

Caroli autem posteritas Bauariam diu retinuit, nempe ad Othonem I. vsq;. Nam anno C. 825. imperator Ludouicus filio suo Ludouico regnum Bauariæ tribuit: qui cum coniuge sua Hema illud occupauit, & Ratispona magna ex parte sedem habuit. Cumq; rumor esset Bulgaros, traiectos Sauo, in Bauariam esse irrupturos, aulæ præfectum Gerderichum cum Marchione Geroldo, & Vualderico contra eos misit. Separabat enim tunc Sauus Bulgariam à Bauaria. Postea anno C. 876. Ludouicus II. imperator declinare cupiens Fines Bauariæ.

piens

piens discordiam filiorum suorum, regna & ducatus suos sic viuus distribuit. Carolomanno natu maximo dedit Bauariam & Illyridem, vel Liburniam: Ludouico medio Franciam, Saxoniam, Frisiam, Duringiam, & Rheni tractum: Carolo minimo Sueuiam, Heluetiam, Alsatiam, Charitinos, Brisgoiam, & Marchionatum Badensem. Carolomannus ad vitæ exitum vocatus, sobolesq́ legitima destitutus, Bauariam fratri Ludouico reliquit. Anno C. 912. mortuo Ludouico, ordines Bauarici regem elegerunt Arnoldum Luidpoldi filium, qui cum Alemannis ad Oenum fluuium Austriæ, Vngaros fudit atq; deleuit, reliquos ad petendum pacem compulit. Opposuit etiam sese cum Burcardo Sueuiæ duce, Eberhardo Franciæ comite, Gisilberto Lotaringiæ duce, Henrico Saxonum & Duringorum duce, Conrado imperatori. Sed superatus est cum omnibus socijs ab imperatore, non tam fortitudinis quàm sapientiæ robore, & in fidem eius redactus Vrspergensis.

Anno C. 920. mortuo imperatore Cunra-

Cunrado, Arnolphus rex Bauariam recepit,& ab Henrico imperatore inuasus quidem est, sed sine pugna bellum ita compositum est, vt Arnolphus, deposito regio titulo ducem duntaxat Bauariæ sese nominaret. Despondit quoq; Arnolphus filiam suam Iuditham Henrico imperatoris filio. Otho autem I. Bauariam Henrico fratri tradidit, anno C. 946. Inde ad Henricum sanctum deuenit. Is quia sobolem non habebat, Henricum Hazelonem coniugis suæ Cunegundæ fratrem Bauariæ præfecit an. C. 1002. vt scribit Auentinus. Post Henricum Cunradus imperator Bauariam Henrico filio suo dedit, an. C. 1022.

Religionem quidem Christianam maturè amplexa est Bauaria, autore Ruperto, qui ex Gallia venit, & Bauaris Christum annunciauit an. C. 537. vt Auentinus scribit. Sed anno C. 739. penitus ad Christum conuersa est, vel certè reformata per S. Bonifacium, Moguntinensem archiepiscopum: quod docet diploma pontificis Gregorij III. ad S. Bonifacium, in quo gratias Deo pro conuersione Bauaro- Religio Christiana.

rum agit, vt habet Nauclerus, volumine 2. generatione 25. & Marianus Scotus. Vices variæ Bauariæ. *Longum esset vices commutationesq́; varias Bauariæ persequi. Anno C. 1057. Agnes, Henrici III. vidua, Bauariam sibi vendicauit: postea Othoni de Vveser Saxoni eam concessit. Sed anno C. 1071. Henricus IV. Guelpho duci Azonis Italiæ Marchionis filio tradidit. Cum verò Guelphus cum Rudolpho Sueuiæ duce & alijs principib. atq; episcopis ab imperatore defecisset, & ad eligendum alium Cæsarem animum appulisset, deiectus est ducatu ab imperatore, & post annos 20. demum ei reconciliatus, & in integrum restitutus, anno C. 1096. Vrsperg.*

Anno C. 1139. Henricus Bauariæ dux, & Saxones rebellarunt Cunrado imperatori designato. Ac Saxones quidem Bambergæ in comitijs in gratiam à Cæsare recepti sunt: Henricus verò Bauarus insignia imperialia reddere coactus, etiam proscriptus est, & ducatu Norico deiectus: Non multò pòst è vita exijt. Tribuerat autem Cæsar ducatum Bauariæ Leopoldo fratri

fratri suo, ex parte matris, vt Vrspergensis loquitur. At Guelphus Henrici mortui frater Bauariam ad se pertinere existimans, Leopoldum armis profligauit. Cæsar ergo arma pro Leopoldo capiens, Guelphum in arce Vveinspergo circumsedit. Cum verò obsessi in arce diutius se defendere non possent: matronæ oppidi, vt sibi discedere liceret cum rebus suis, quas gestare possent, ab imperatore petiuerunt. Hanc potestatem cum Cæsar dedisset, ipsæ neglectis rebus omnibus, maritos suos humeris susceptos extulerunt. Cæsar permotus hoc spectaculo, non solùm edixit, ne quis impetum in mulieres faceret, sed & pietatem ac fidem illarum collaudauit, & Guelphum ipsum in amicitiam recepit. Mortuo autem Leopoldo, Cæsar Noricum ducatum fratri suo Henrico XI. concessit, & Gertruden Henrici expulsi & mortui viduam, vxorem ei dedit. Auentinus.

Matronæ honestæ.

Anno C. 1165. de Bauariæ ducatu concertarunt duo Henrici, alter vitricus, alter priuignus, sed litem Fridericus Barbarossa sic diremit, vt pars orientalis supra

Anisum fluuium Austriæ aßignata, & in ducatum liberum conuersa Henrico XI. vitrico attribueretur, pars verò occidentalis, quæ hodie vocatur Bauaria, Henrico XII. priuigno concederetur, Auentinus lib. 6. Anno C. 1180. Fridericus imperator comiti Othoni Vuittelsbachio è veteri Palatinorum Schirensium gente prognato propter res præclarè gestas, Palatinatum tribuit, abdicato Henrico Leone. Fuit autem Schiren arx ab Arnolpho duce Bauariæ condita an. C. 937. Vnde Landgrauij & Palatini Schirenses orti sunt. Vuittelsbachius verò cognominatus est à Vuittelsbach, quæ sedes Landgrauiorum & Palatinorum fuit. Hoc modo Bauaria post annos 232. ad veteres hæredes rediјt. Nam Otho I. maiores huius Othonis Vuittelsbachij Bauaria eiecit, Fridericus verò imperator tandem Bauariam & Palatinatum ad Rhenum eidem Othoni verò hæredi ac domino restituit. Ab eo igitur duces Bauariæ orti sunt: Ipse verò à Carolo Magno initium duxit secundum Auentinum.

Otho Vvittelsbachius.

Schiren.

Duces Bauariæ ab Othone Vvittelsbachio.

Anno

Anno C. 1215. Fridericus Barbarossa imperator Ludouico I. Bauaro Palatinatum Rheni concessit, Ratisbonæ in comitijs. Cum autem occupare is Palatinatum vellet, nihilq́; insidiarum pertimesceret, ab incolis siue prouincialibus captus, vix dato ære magno, in fidem suam eos redegit. Anno deinde 1231. Kellheimi in ponte deambulans à morione confossus est cultello. Successit illi filius Otho illustris, in vtroq; ducatu Rheni & Bauariæ. Othoni successit Ludouicus in Palatinatu, Henricus verò in Bauaria anno C. 1235. Anno C. 1266. dux Sueuiæ Cunradus, rex Hierosolymorum, Neapolis, & Siciliæ, vendidit Ludouico II. Palatino, Bauariæ duci Vverdam, Laugingam, Hochstetum, Moringam, Pittengam, Schongam, Suabecum, Ambergam, Fiessam, firmatusq́; est contractus ab episcopis, abbatibus, & principibus compluribus Auentinus lib. 7.

Anno C. 1274. Odoacer Boiemiæ rex & Henricus Bauariæ dux fœdus contra Rudolphum imperatorem designatum fecerunt. His adiunxerũt sese Sueuici duces,

Marchiones Badenses, & comites Vuirtenbergenses. Rudolphus verò imperator à Ludouico Palatino Rheni, Bauariaeq; duce adiutus hostium conatus facilè fregit atq; elisit. Extitit eodem tempore dissidium graue inter fratres, Bauariae duces, Henricum & Ludouicum. Henricus enim fratri concedere nolebat, vt Noricus dux appellaretur, sed titulum Palatini comitis duntaxat ad eum pertinere dicebat. Hoc dissidium annos duos & menses sex durauit, plurimumq; detrimenti rebus Bauariae importauit. Conuentum quidem indixit imperator, sed neq; Henricus Bauarus neq; Odoacer obedire imperatori voluerunt, sed missis legatis electionem eius reprobarunt, itaq; proscripti sunt ambo. Ac Henrici quidem Bauari ditionem imperator designatus hostiliter inuasit: verùm Henricus sentiens se parem tanto hosti non esse, in gratiam sese recipi petijt: quam etiam intercedente Ludouico fratre, impetrauit, ea conditione, vt imperatori mutuos daret florinos 40000. Controuersiam autem de titulo Bauariae,

quem

quem sibi vendicabat Rudolphus Palatinus Rheni, pater Ludouicus Palatinus diremit: prouinciam siue regionem quidem diuisam esse, inquiens, dignitatem verò & titulum minimè. Iccirco etiam Palatino conuenire titulum Bauariæ statuit.

Dignitas communis, prouincia diuisa.

Anno C. 1304. Otho Bauariæ dux, Vngariæ rex factus est. Imperante verò Vvenceslao bellum ciuile in imperio exarsit. Austriaci enim duces Helueticas, Vvirtembergenses verò comites Sueuicas urbes inuaserunt, inde Helueticum & Sueuicum fœdus ortum est. Hoc bello etiam Bauarici duces implicati sunt. Cæso enim ab Heluetijs Leopoldo, & exercitu eius, Ambergæ conuenerunt Palatini, tres Ruperti, senior, medius, & natu minimus, decreueruntque nihil deinceps in Palatinatu sese alienare aut vendere velle: tum fœdus fecerunt cum agnatis suis ducibus Bauaricis, Ludouici imperatoris nepotibus, Stephano, Friderico, & Ioanne. Quo fœdere etiam comprehensus fuit Albertus Straubingæ & Hollandiæ dux contra Romanum imperatorem, cui fidem & obe-

Helueticum & Sueuicum fœdus.

dientiam renunciarunt, oppidaq́ & arces, quas ante à Ruperto Palatino seniore Carolus IV. emerat, recuperarunt, & inter se distribuerunt. Vuenceslaus contra fœdus icit cum ciuitatibus imperialibus & liberis, Ratisbona, Vlma, Augusta Vindelicorum, Argentorato, quod appellatum est fœdus Rhenanum. Bello autem contra Bauaros præfecit Cæsar episcopum Salispurgensem Pilgramum, qui Palatinatum adortus cum socijs multa incendijs perdidit. Sed Palatinus Rupertus iunior, princeps bellicosus ad Spiram hostibus occurrit cum copijs suis, ducentos cecidit, trecentos cepit, reliquos fugauit, quadraginta qui crudelem in modum incendia fecerant, in fornacem succensum coniecit. Vos, inquiens, clam nocturno tempore me vßistis, ego vos luce palàm comburam. Comparauit etiam copias Rupertus natu minimus, qui postea contra Vuenceslaum imperator electus est: item Stephanus, Fridericus, & Ioannes, Palatini, quibus Ratisbonam inuaserunt, & bellum cum ea ancipiti fortuna gesserunt. Postquam verò

Fœdus Rhenanum.

Hostes incendiarij in fornace combusti.

verò multum damni vtrinq; datum & acceptum fuit, conatus est Albertus Austriæ dux hoc horribile dißidium in imperio componere. Inprimis ergo pacem conciliauit inter regem & Bauariæ principes, firmabaturq́; ista pax coniugio inter regem, & Sophiam Ioannis Bauarici ducis filiam, Ernestiq́; sororem, quæ forma & specie liberali omnes principes superabat. Deinde soluto fœdere, ciuitates summa pecuniæ magna multabantur, Augusta Vindelicorum 60000. florinis, aliæ alijs summis.

Anno C. 1403. duces Bauariæ, Ernestus & Vvilhelmus fratres Monacum vrbem, ex qua ante annos quinq; pulsi erant, oppugnarunt, dißidentibus inter se ciuibus & senatu. Ciues enim cum principibus sentiebant, eisq́; aduenientibus portam aperuerunt. Ingreßi ergo sunt principes cum copijs suis, senatores verò diffugerunt, alij in vestibus sacerdotalibus, alij in plaustris fimo onustis, reliqui capti sunt: quatuor verò primarij capitis pœna affecti: cæteri in gratiam recepti Monacum.

toto anno laqueos in collis gestare coacti sunt. Anno C. 1438. Ernestus dux Bauariæ mortuus est Monaci, qui primus hæc verba in literis præposuit: Dei gratia Ernestus Dux, &c. *Successit ei filius Albertus, qui anno C. 1439. Boiemiæ rex designatus est, sed honorem ad se allatum non acceptauit.*

Dissidium inter patrẽ & filium.

Anno 1441. dissidium atrox inter Ludouicum Barbatum patrem, & Ludouicum Gibbosum filium extitit. Filius enim patrem suum venerandum, & autoritate insignem, qui quondam Franciæ regnum gubernarat, vt Syluius scribit, in arce Neopurgo circumsedit, non quidem ob crimen aliquod, sed quod propter ætatem repuerasceret. Est autem adiutus ab Alberto Marchione Brandeburgico, cuius adminiculo arcem post 18. Hebdomadum obsidionem expugnauit. Ac Albertus quidem Marchio captiuum ducem Ludouicum in arcem suam Onolsbachium duxit, multaq́ bona ex Bauaria secum abstulit. Impius verò filius Ludouicus Gibbosus non multò pòst sine hærede vita expulsus est.

Sed

Sed pater diu in custodia retentus est, quamuis seriò deprecantibus ipsius subditis & intercedentibus principibus, & Cæsare ipso, donec è vita sine liberis cessit, anno C. 1447. Anno C. 1448. mortuus est Christophorus Palatinus Rheni & Boiariæ Dux, Danorum rex electus, anno regni sui nono. Ludouico successit Henricus XV. proximus agnatus. Henrico successit filius Ludouicus cognomento Diues, qui à patre parcè nimis & tenuiter habitus, nihilominus eum piè recteq́ coluit, & tam natura, quàm exercitatione & vsu fortis & bellicosus, pacis tamen studiosus euasit. Quin liberalis etiam & opulentus adeò factus est, vt cognomen Diuitis deportarit. In gubernatione sua Iudæos vrbibus & oppidis eiecit, & venandi potestatem, quam pater ademerat, subditis restituit, dissidentes conciliauit, & in gratiam reduxit, exijt è vita an. C. 1479. Ludouicus diues.

Anno C. 1451. Ludouicus IV. Rheni Palatinus & elector, Vvormaciæ mortuus post se reliquit coniugem grauidam. Hanc commendauit fratri suo Friderico, ea conditio-

ditione, vt si masculum pareret, ipse tutor illius esset, sin fœmellam, hæres prouinciæ esset. Natus est masculus, cui Philippi nomen inditum est, sed Fridericus contra vltimam fratris voluntatem hunc Philippum adoptauit, ipse verò prouinciam in fidem suam adegit. Hoc institutum Friderici Palatini improbabat Fridericus imperator, nec fidem ei dare Ambergenses volebant. Iccirco quatuor senatores capite plectebantur. Fridericus verò Palatinus Cæsari per omnem vitam suam aduersabatur, nec feudum ab eo accipiebat. Contrà Cæsar occultè & apertè illum oppugnabat. Iam eidem Friderico etiam aduersus erat Albertus Marchio Brandepurgensis, qui se cum Cæsare coniunxerat. Deficiebat quoq; à Friderico ad imperium Vverda ad Danubium. Is ergo cum Ludouico Lanshuti Vverdam armis recuperabat. Et cum eo nomine reprehenderetur, exemplo Adolphi archiepiscopi Moguntini sese defendit, qui & ipse imperialem vrbem in ditionem redegisset.

Conabatur etiam Albertus Marchio

Brande-

Brandeburgensis episcopatum Eistadensem occupare. Iccirco Ludouicus cum hoc ipso etiam inimicitias suscipiebat. Cæsar verò Vverdam ad imperium reducturus, bello contra Ludouicum præficiebat Albertum Marchionem. Tum aduersus Fridericum Palatinum incitabat comitem Vvirtenbergensem, Marchionem Badensem, episcopum Metensem, & alios. Palatino autem opem ferebat Ludouicus Diues Lanshuti. Ita bellum exardescebat, annosq́ sex durabat. Ductor copiarum supremus imperij nomine erat episcopus Eistadenses, Ioannes ab Aich, qui se cum Alberto Marchione coniunxit. Ludouicus verò Eistadium omni ope & opere oppugnabat in die parasceues, in easq́ angustias episcopum adigebat, vt sese cum capitulo dedere coactus sit, per omneq́ tempus Eistadium Bauariæ ducatui tradiderit. Postea Marchionis ditionem adortus cum exercitu, viginti quatuor oppida & arces ei ademit.

Anno C. 1462. Fridericus imperator, Albertus Marchio Brandeburgicus, ciuitatesq́

tatesq́; triginta tres bellum indicebant Ludouico duci Lanshuti, Norimbergenses verò pecunia sese redimere, quàm Bauaris opponere malebant. Dux huius expeditionis iterum creatus est Albertus Marchio. Hic cum copijs ciuitatum imperialium in Bauariam irruit, multa cepit & vastauit, sed occurrit ei cum exercitu Ludouicus, damni plurimum ciuitatibus dedit, & tandem in castris hostes aggressus, in fugam eos vertit: in qua multi in flumine proximo suffocati, non pauci etiam capti sunt. Venit in hac victoria etiam imperij vexillum cum aquila in Ludouici potestatem, qui illud ad Cæsarem remisit. Eodem anno Carolus Marchio Badensis, episcopus Metensis, Vlricus comes Vuirtenbergensis, Friderici Palatini Victoriosi prouinciam vastare incendijs & direptionibus cœperunt. Caussa belli erat, quod pontifex Dietherum comitem Isenbergensem archiepiscopatu Moguntinensi mouerat, cum iniustis ipsius exactionibus in imperio aduersaretur, nec promittere vellet se non conuocaturum esse senatum

Fridericus victoriosus.

impe-

imperij, nisi consulto prius pontifice Rom. In locum verò illius Adolphum comitem Nassouiensem surrogarat. In hos ergo hostes iuit Fridericus cum paucis equis, sed ita tamen instructis, vt singuli equites singulos pedites à tergo sedentes haberent. Cum his oppressit hostes & cepit tres principes, quingentosq; equites, quos omnes Heidelbergam duxit, & menses vndecim captiuos tenuit. Ac episcopus quidem 8000. florinis, reliqui duo 100000. singuli sese redimere cogebantur. Accepta clade tanta, Cæsar & Marchio Albertus cum Ludouico conciliabantur, restituitq; Ludouicus Vverdam imperio, & captiuos omnes dimisit. In gratiam verò Cæsaris & Papæ, quoad vixit, reduci penitus non potuit. Auentinus.

Victoria Palatini.

Memorabile est, quod fecit Fridericus his à se deuictis hostibus. Excepit enim eos conuiuio principibus digno: sed panem apponi prohibuit. Hunc verò cum poscerent conuiuæ, responderi iussit: Non esse iustum illis panem præbere, qui segetes contra belli iura crudeliter vastassent, & frumen-

Conuiuium sine pane.

frumentum in horreis combußissent. Ludouicis tribus in ducatu Bauariæ successerunt Stephanus, Ioannes, Ernestus, Albertus primus & secundus, Guilelmus, Albertus tertius. Ernestus verò Alberti tertij filius cum Leodiensi episcopatu etiam Coloniensem archipræsulatum adeptus est, & adhuc obtinet.

Ex Vuolffgango Palatino natus est Philippus Ludouicus, Palatinus Rheni, dux Bauariæ, comes Veldentiæ, & Spanhæmi; decus Palatinæ gentis, pietatisq́ue, religionis sinceræ, & omnium virtutum patronus insignis: cuius filiam Annam Mariam, Fridericus Vuilhelmus Saxoniæ dux, & Proseptemuir hoc tempore in matrimonio habet.

ARCHIDVCES AVSTRIAE.

NOmen Austriæ ex Germanica appellatione, Osterreich/factum est, vt sit Austria quasi orientale regnum, sicut Westerreich/occidentale regnum. Carolus enim Magnus, Germaniam in duo regna

gna distinxit, quorum vnum ad Galliam directum Westerreich/ *alterum verò ad orientem spectans* Osterreich *nominauit. Fuit autem Austria primùm Marchia, deinde in ducatum conuersa est. Et quidem initium marchionatus Austriæ ad an. C. 928. refertur à Cuspiniano, primusq́ marchio Austriæ fuit Leopoldus cognomento illustris, natus patre Alberto comite Bapenbergensi, qui ex Sueuiæ ducum stirpe ortus fuit. Cum enim Vngari Austriam crebris incursionibus & direptionibus vexarent, Henricus I. imperator huic Leopoldo eius curam & defensionem commendauit, ex quo primus Marchio Austriæ dictus est, qui repulsis profligatisq́ Vngaris imperij fines in illa parte fortiter tutatus est. Ob hanc fortitudinem Cæsar Henricus filiam suam Richardem in vxorem illi dedit, cuius ope tributum sibi marchionatum non parùm ampliauit, & annis 55. administrauit. Successit ei filius Henricus anno C. 988. Henrico successit Ernestus, Ernesto Leopoldus II. Leopoldo filius Leopoldus III. Leopoldo*

Marchia primum, deinde ducatus.

Leopoldus primus Austriæ marchio.

III. Henricus II. quem Fridericus Barbarossa primum ducem Austriæ creauit, an. C. 1156. Ratisbonæ XVII. Septembris, quod ex priuilegio Cæsareo cognoscitur, in quo Henricus ille primus Austriæ dux dilectissimus patruus imperatoris, terra verò Austriæ clypeus & cor sacri Rom. imperij appellatur. Henrico II. successit Leopoldus IV. Leopoldo IV. Leopoldus V. Leopoldo V. Fridericus ille, cui imperator Fridericus II. datum à Friderico I. imp. priuilegium innouauit, ad priora quoq; insignia addidit crucem auream, qualem in coronis gestant imperatores anno C. 1245. Huius morte intercidit familia ducum Austriæ, & inuaserunt prouinciam ex parte inferiore Vngari, ex superiore verò Bauari. Quamobrem decreuerunt prouinciales ad gubernationem ducatus vocare Henricum Misniæ Marchionem, qui ducis Austriæ postremi Friderici sororem habebat in matrimonio: vel si is recusaret, alterum ex filijs ipsius, Theodoricum, vel Albertum. Sed Othogarus, Venceslai Boiemiæ regis filius, ducta in vxo-

Primus dux Austriæ.

Austria Clypeus & cor Rom. imperij.

Familia Austriaca intercidit.

in uxorem Margareta, Henrici imperatoris Friderici filij, vidua, Austriam sibi vendicat, Misnensesq́ omni aditu prohibet. Cum autem fidem & obedientiam Rudolpho imperatori debitam abnueret, primum officij sui ab eo admonitus est: deinde verò imperij decreto Austria tota eiectus, cùm propter insolentiam, tum propter fœdera cum Vngaris contra imperium facta. Hinc extitit bellum illud, de quo in historia Rudolphi I. dictum, & in quo Othogarus occubuit. Sublato Othogaro, Othogarus. *Rudolphus decreto imperij in comitijs Norimbergæ facto, Austriam, tanquam iure belli captam, filio suo Alberto tradit, anno C. 1282. Sic ad Rudolphi imperatoris posteros Austria deuenit. Electus est hic Albertus Romanorum imperator anno C. 1298. Albertum secutus filius Fridericus cognomento Pulcer, exarchus Austriæ, & imperator Rom. à quibusdam creatus contra Ludouicum Bauarum anno Christi 1314.*

Leopoldus I. Austriæ archidux, Alsatiæ & Brisgoiæ dux, cognominatus Gloriosus,

vel gloria militum, decertauit armis cum Vnderuualdensibus Heluetijs, qui defecerant, & parere Austriacis recusabant. Sed fusus ab illis, florem nobilitatis amisit, & vix è manibus eorum elapsus est. Iuuit etiam fratrem Fridericum in bello contra Ludouicum Bauarum, in quo tandem atroci prælio victus & captus est Fridericus an. C. 1323. Leopoldus verò frater melancholia extinctus est Argentorati. Otho iucundus seu venustus, Austriæ exarchus, monasterij Bernhardinorum Klosternewburg *fundator, mortuus an. C. 1345. Henricus Placidus archidux Austriæ. Albertus II. Austriæ archidux, comes Habspurgius, cognomine Sapiens, mortuus an. C. 1358. Rudolphus cognomento Magnanimus & Ingenuus, archidux Austriæ mortuus an. C. 1363. Albertus cum trica exarchus Austriæ, mortuus an. C. 1395. Albertus Patiens archidux Austriæ, mortuus an. C. 1404. Albertus V. archidux Austriæ, dux Lucelpurgius, Marchio Morauiæ, rex Vngariæ, & Romanorum imperator, mortuus anno C. 1439.*

C. 1439. Huius filius Ladislaus rex Vngariæ designatus in cunis adhuc vagiens. Leopoldus II. Probus & militiæ decus cognominatus, Austriæ archidux, Alberti frater, cui in diuisione cessit Austria vtraque, Styria, & Carinthia, Carniola, & Marchio Vandalica, & Taruisiana. Albertus verò adeptus est Tyrolim, Thurgouiam, Sueuiam, Heluetiam, Sundgouiam, comitatum Phyretarum, seu Pfirtensium Brisgoiam, & Alsatiam. Diuisio Austriæ.

Guilhelmus Leopoldi II. filius, dictus Ambitiosus, quod solus gubernationem sibi vendicaret, mortuus an. C. 1407. Leopoldus Crassus & Superbus, archidux Austriæ, mortuus an. C. 1412. Ernestus archidux Austriæ mortuus an. C. 1435. pietatis iustitiæq́ studiosissimus. Fridericus III. Austriæ exarchus, Styriæ & Carinthiæ dux, Habspurgi & Tyrolis comes, imperatorq́ Roman. anno C. 1452. inauguratus. Viennæ sex senatores in custodiam dederat. Quam ob rem tumultuantes ciues in arce Viennensi eum cum filio Maximiliano & vxore menses duos obsederunt. Fridericus III.

runt. In qua quidem obsidione cum Maximilianus puer matrem rogasset, vt perdicem aliquam sibi daret, respondit mater mœsta, vtinam mi fili panis nos non deficiat. Pluribus enim diebus præter hordeum nihil habuerant, vt supra in historia Friderici imperatoris dictum. Fridericus obsessus auxilium à Podiebracio Boiemorum rege petijt, à quo etiam liberatus est tanta solertia, vt neq; periret neq; vinceret Podiebracius. Huic ergo vt gratiam referret Fridericus, filios illius comitum Münsterbergensium titulo ornauit. Hoc imperatore Matthias Vngariæ rex Austriam inuasit, exercitum Friderici fudit, totumq; ducatum occupauit, vt Vngariæ chronicon habet. Maximilianus I. archidux Austriæ, Landgrauius Alsatiæ, &c. Rom. imperator an. C. 1486. Huic desponsata est vnica Caroli Burgundi filia Maria, an. C. 1475. quam anno C. 1478. defuncto iam patre Carolo in matrimonium duxit, & vnà ducatum Burgundiæ adeptus est. Volaterranus. Mortua autem Maria Gandauenses Maximilianum

Maximilianus I.

Burgundia.

num in eas angustias adduxerunt, vt pacem cum Gallis facere coactus sit, Delphino filiam suam triennem desponderit, in Galliamq́ duxerit, & ditionibus compluribus cesserit, an. C. 1482. Cranzius. Anno C. 1486. Romanorum rex electus est Francofurti. Sequente anno captus est à Brugensibus, & in custodiam traditus, vnde liberari non potuit, nisi iureiurando prius cauisset, se illatam iniuriam nunquam esse vlturum. Paulò pòst Fridericus pater bellum Flandrensibus intulit.

Maximilianum secutus est Philippus, archidux Austriæ & Burgundiæ, comes Tyrolis & Habspurgi. Hic ducta in vxorem Ioanna Ferdinandi Catholici Hispaniarum regis filia, dote amplissimorum regnorum Hispaniæ, Siciliæ, & Neapolis locupletatus & auctus est. Sed morte immatura præuentus, diu haud frui tantis commodis potuit, anno ætatis 28. extinctus, an. C. 1506. Ex hoc nati Carolus V. & Ferdinandus, quorum ille Rom. imperator, rex Hispaniæ, vtriusq; Siciliæ, Hierosoly-

Philippus.

Hispania. Sicilia. Neapolis.

Carolus V.

rosolymorum, Dalmatiæ, & Croatiæ, archidux Austriæ, & dux Burgundiæ & Brabantiæ, comes Habspurgi, Tyrolis, Flandriæ: hic verò Rom. imperator, Vngariæ & Boiemiæ rex, archidux Austriæ, infans Hispaniæ, dux Burgundiæ, Styriæ & Carinthiæ, Landgrauius Alsatiæ, comes Tyrolis & Habspurgi, dux Vuirtembergæ fuit. Ex Ferdinando natus Maximilianus II. Rom. imperator, Vngariæ, Boiemiæ, Dalmatiæ, & Slauoniæ rex, exarchus Austriæ, dux Burgundiæ, comes Habspurgi: & Ferdinandus archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Styriæ, & Carinthiæ, Carniolæ, & Vuirtembergæ, Landgrauius Alsatiæ, Marchio Morauiæ, comes Tyrolis & Habspurgi, mortuus anno C. 1594. Filium reliquit ex Philippina Vuelseriana Carolum Marchionem Burgauiæ, & Andream Cardinalem. Ex eodem Ferdinando natus Carolus archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ, comes Tyrolis, & Goricij, mortuus an. C. 1590. Filium reliquit Ferdinandum, filias verò Annam, Catharinam,

Ferdinandus.

Maximilianus II.

nam, Mariam, Elisabetam, & Carolum posthumum. Ex Maximiliano natus est Rudolphus II. imperator Rom. Vngariæ, Boiemiæq; rex, &c. custos pacis in imperio, defensor Vngariæ & finitimarum prouinciarum à furore Turcico. Rudolphus II.

SVEVIAE DVCES.

SVeui antiquißimi populi, & quasi soli Germani olim habiti, genuiniq; Alemanni. Vnde αὐτόχθονες, indigenæ in Germania vocantur: à Iapheto & Sueuo Germanorum rege orti, ac longè lateq; diffusi. Tenuerunt enim maiorem partem Germaniæ, quæ est inter Danubium, Albim, Vistulam, fluuios, & Hercyniam syluam, sinumq; Codanum, vbi Saxones, Venedi, Boiemi, Moraui, Lusatij, aliæq; gentes Slauicæ consident. Strabo in tres partes Sueuiam distribuit, quarum vna intra Rhenum ac Danubium est, altera intra Hercyniam syluam, Lycum, Rhenum, Danubium. Tertia in Gallia Celtica complectitur Suitones & Heluetios. Distinguuntur etiam Sueui secundum lo- Partes Sueuiæ.

ca quæ incoluerunt, & Aquilonares dicuntur Semnones, Longobardi, Reudigni, Auiones, Angli, Varini, Eridoses, Suardones, Nuithones. Australes verò Hermunduri, Narisci, Marcomanni, Quadi. Orientales porrò vocantur, qui Pannoniam & Sarmatiam spectant: cuiusmodi sunt Ligij, Arij, Heluecones, Manimi, Elysij, Nabaruali. Nonnulli etiam in ipso Oceano, aut littore eius habitarunt; vt Gothones, Rugij, Lemouij, Suiones, Aestij, Sitones & alij. Orosius enim quinquaginta gentes Sueuicas recenset. Ac vetus quidem Sueuia totam Saxoniam veterem & nouam comprehendit, noua verò, quæ hodie sic appellatur, veteres sedes Vindelicorum & Rheticorum complectitur. Sedes suas sæpe commutarunt Sueui. Quidam ab Albi seu Borea in Austrum migrarunt, & tractus ad Mœnum, Danubium, Nicrum, & Rhenum occuparunt. Nonnulli à Stilicone contra Romanos excitati in Hispanias progressi sunt, & Galliciæ regnum tenuerunt ab Hermerico rege, siue ab anno C. 410. vsq; ad Euricum, quem

Vetus & noua.

Regnum in Hispania.

quem Leouigildus Gothus circa annum C. 586. loco mouit, & regnum eius sibi subiecit.

Conuersi ad Christum sunt Sueui ab Ansgario episcopo, de quo in millenario quinto. olim regnum Sueuicum fuit dictum Alemannicum, quod à Clodouæo versum est in ducatum: numeranturque duces continua serie à Burcardo, qui Sueuiæ ducatum rexit anno C. 916. usque ad Fridericum Sueuum, Baronem de Hohenstauffen, qui floruit an. C. 1081. Ex quo natus est Fridericus Barbarossa, familiaque imperatoria Sueuica, Conradus Sueuiæ dux, & posteri eius. Conuersi ad Christum. Alemannicũ regnum. Duces Sueuiæ.

Vltimus in Sueuiæ ducum familia ex nobilissima stirpe Barbarossæ fuit Cunradinus Cunradi IV. imperatoris filius, qui in Italiam crebris legationibus vocatus ad repetenda auita regna, adolescens cum Friderico Austriaco, & copijs magnis primùm Siciliæ partem bonam in potestatem suam redegit: deinde congressus cum Carolo Ludouici Gallorum regis fratre in Marsis, victus in prælio est, & captus ab eo con- Cunradinus.

eo contumeliosè primùm habitus, deinde pontificis Rom. Clementis IV. consilio vnà cum Friderico Austriaco securi in publico percussus. Sic enim pontifex à Carolo consultus rescripserat: Vita Cunradini mors Caroli: Mors Cunradini vita Caroli. Perinde quasi viuere ac florere Carolus non posset, nisi vita Cunradinum expulisset. Inscriptum est etiam tumulo epitaphium, quod insultationem acerbam atque superbam continet:

Asturis vngue leo pullum rapiens aquilinum,
Hic deplumauit, acephalumq́; dedit.

Se comparauit victor ille superbus leoni Asturi, hoc est, orto ex Asturia siue Tarraconensi Hispania: victum verò Cunradinum pullum aquilinum, hoc est, Rom. imperatoris filium vocauit, quem ipse capite priuasset. Fuit tantus furor in hoc victore, vt etiam carnificem coëgerit sibi manus afferre violentas: ne de tantis principibus à se occisis gloriari posset, an. C. 1268. Nec contentus supplicio Cunradini & Friderici fuit Carolus, sed insuper etiam fratrem Cunradini Carolum Antiochiæ

princi-

principem, qui solus ex stirpe & sanguine Sueuico reliquus erat, classe persecutus est, nec prius quieuit, quàm oculorum effoßione & suspendio eum necasset. Hic miserabilis fuit exitus vetustißimæ & nobilißimæ familiæ ducum Sueuiæ, ex qua tot principes & imperatores prodierunt, vt eorum res gestæ toto terrarum orbe celebrentur. Nec verò Caroli tanta insolentia potuit esse impunita atq; inulta. Non enim multò pòst Petrus Arragonum rex Siciliam inuasit, cuius posteri ducentis & quinquaginta annis bella cum Gallis gesserunt, eosq́; ex agris & finibus illis eiecerunt. Sublato ad hunc modum Cunradino, Sueuia à finitimis principibus occupata est. Austria verò in Habspurgensium comitum potestatem venit. Auentinus lib. 7.

Exitus Sueuicæ familiæ.

PRINCIPES SAXONIAE ET ELECTORES IMPERII.

SAxonia vetus continetur mari Balthico, & Oceano ad Septentrionem, attingit Hercynia iuga à meridie, ab ortu habet

Fines siue termini Sax.

habet Albim fluuium, ab occasu verò Rheni, Oceaniq́ partes. Diuisa autem fuit in Vvestvalos & Ostvalos. Ac Vvestuali quidem occidentalem partem ad Rhenum, ex qua etiam nominantur, tenent: Ostvali verò, orientales, vnde nomen etiam habent, ad Albin incolunt. Melanchthon in Chronico sic terminos Saxoniæ describit: limites, inquit, veteris Saxoniæ fuerunt, ad occasum Amasus, ad ortum Albis, ad meridiem Boiemia & Francia, ad Septentrionem Cimbrica Chersonesus, & in vicino littore Heneti.

Amasus die Ems / in Hassia. Cimbrica Chersones9 Denemarck Heneti Wenden.

Floruisse autem gentem Saxonicam ante & post natum Christum, veterum monumenta declarant. Henetorum & Vandalorum armis diu vexati sunt: sed tandem illis deuictis, terram eorum omnē occuparunt. Forma quidem gubernationis, qua vsi sunt Saxones, Aristocratica, hoc est, ex optimatibus constituta fuit. Elegit enim principes 12. qui cæteros ætate, consilio, vsu, & authoritate anteiuerunt, ijsq́ curam & administrationem totius reipubl. commisit. Ex ijsdem quoq́ ducem

Vetustas gentis Sax.

Forma gubernationis per duodecim viros, siue senatū duodecimviralem.

ducem exercitus, quoties bellum exarsit, excerpsit, cui imperium, data potestate regia, mandauit. Sed rex non nisi belli tempore designatus & appellatus fuit. Rex Sax.

De nomine autem etsi variant opiniones: tamen non est dubium, esse germanicum illud. Germanis enim Sassen *incolæ sunt, &* Waltsassen/ *quasi syluæ accolæ. Iccirco indigenæ prorsus sunt Saxones, & Cimbrorum aliarumq́ gentium patres, vt Theodoricus à Niem appellat.* Nomen Sax.

Series ducum ac regum Saxoniæ longa recensetur à Ioanne Gotho, Saxone grammatico, & Cranzio. Iutho quidem Saxonum dux circa annum mundi 2720. Iuthiæ insulæ nomen indidit. Hunc secuti alij reges ac duces vsq; ad Christum natum, Saxonicam gentem rexerunt. Annò autem Christi 106. Vvidekindus, Saxonum rex, imperante Traiano, viginti millia Gothorum fudit, & Saxoniæ finibus eiecit, à Richimero Francorum ac Duringorum rege adiutus. Anno C. 258. Marbodus, seu Merobaudes Saxonum Rex factus est, imperante Valeriano. Post eum Series ducum & regum Sax.

Luthe-

Lutherus Saxonum dux electus circa annum C. 266. contra Galliam exercitum duxit, & Hispaniam populatus est. Anno Christi 300. Vecto vel Vvichtus rex Saxonum passim vrbes & arces condidit, legibus rempub. muniuit, & ad humanitatem dux omnibus subditis extitit. Circa annum C. 350. & sequentibus annis, imperante Valentiniano, Svitta siue Vitichius Saxones rexit, qui cum in mari prædarentur, à Theodosio imperatore compressi sunt, & ad bellum contra imperij hostes adhibiti. Anno C. 427. Saxones Vvittikindo Angriæ duce in Galliam inuaserunt. Anno 449. post lapsum imperium Romanum, Hengistus dux & rex Saxonum, rogatu Vortigerij regis Britannorum cum fratre Horsa vel Horsto in Britanniam armata manu venit, ac Pictos quidem in eo regno deleuit, Scotos verò in extremam partem Britanniæ, atque in Hyberniam reiecit, Britannos denique ipsos in continentem Galliæ, quæ Armorica nominatur, concedere coëgit. Hanc gratiam hospitibus, à quibus inuitatus erat, retu-

Sax. in Angliã migratio.

retulit, vt ijs partim deletis, partim expulsis, sedem & regnum illorum sibi vendicarit.

Anno C. 740. cum Bodicus Saxonum dux fuit, Saxones in Italiam, duce Theodeberto Austrasio, progressi sunt: sed iniquitate fortunæ fracti, Francorum tributarij sunt facti, quemadmodum & Duringi. Quod cum graue ipsis videretur, sæpius cùm Francis de libertate contenderunt, quandoque etiam in Italiam irruperunt, sed à Longobardis iniuriosius habiti, ad sedes pristinas redierunt. Bodicus.

Anno C. 633. Sighardus dux Saxoniæ & Angriuariæ vixit, qui Henetos Marchiam Brandeburgensem, & ducatum Luneburgensem vastantes, bello superauit, & ad internecionem redegit, paucis exceptis, qui adhuc reliqui sunt. Hac victoria placatus Dagobertus Francorum rex, tributum 500. iumentorum Saxonibus remisit. Quod indignè ferens filius eius Clodouæus, vel Ludouicus, tributum à Saxonibus iterum exegit. Hi verò imperata facere noluerunt. Itaque Sighardus. Sax. tributarij.

Beringerum Ballenſteti & Aſcaniæ dominum, regem fecerunt, & contra Francos cum exercitu miſerunt. Ludouicus Vnſtrato transſmiſſo, rectâ ad arcem Ballenſtetum contendit, vbi tamen Beringerum non inuenit, ſed filiam ipſius inuenit Bathildem forma præſtantem. Eam igitur ſecum abduxit, & in Galliam reuerſus in vxorem duxit. Erat autem Bathildis, vel Mechtildis ethnica, ſed cognita religionis Chriſtianæ veritate, Chriſtum profeſſa eſt, impetrauitq́ à rege marito, vt Saxonibus tributum 500. boum remitteret. Ad fidem tamen Chriſtianam conuertere populares ſuos Saxones nullo pacto potuit.

Bathildis.

Ditericus.

Anno C. 722. Ditericus Sighardi filius, dux Angriæ, deſignatus eſt Saxonum rex, cum à Carolo Martello ob denegatum tributum inuaderentur. Ventum eſt ad manus & pugnam, in qua tametſi vtrinq; multi ceciderunt, tandem tamen victoria potiti ſunt Franci. Saxones verò præter tributum priſtinum annuatim 300. equos pendere coacti ſunt. Sed non multò pòſt

iterum

iterum atq; iterum rebelles facti, ab eodem rege domiti atq; compreßi sunt.

Anno C. 742. Carolomannus Francus Saxones cum Duringis contendentes de finibus, & idolatriam suam ethnicam acerrimè defendentes copijs magnis inuasurus, prius Geroldum Vuormaciæ & Moguntiæ episcopum bello præfecit. Sed is in prælio occubuit. Iccirco ipse in Saxones tanto animi impetu inuasit, vt pacem petere coacti sint. Quam etiam, quo ad alia expeditior esset, illis conceßit, accepto obside Diterico. Firmata est hæc pax in vrbe Ossenprugo. Non multò pòst dimissus Dithericus ea conditione, vt pacis pacta inuiolatè seruaret, à fide data defecit, & ad rebellionem Saxones iterum incitauit. Qua re permoti Carolomannus & Pipinus, animo infesto adorti sunt Saxones, arcemq; eorum Hochpurgum vel Holtsbergum vnà cum Diterico ceperunt, imperataq; facere coëgerunt. His tot tantisq; cladibus affectus Ditericus, in mœrore iacuit, quo tandem etiã extinctus est.

Anno C. 744. Edelhardus Diterici filius, Edelhard.

filius, Saxonum rex, primum Carolomanno Francorum regi sese opposuit, vt iugum Francicum à ceruicibus Saxonum repelleret. Sed victus est ab eo, & Osnaprugum amisit. Deinde Pipinum oppugnauit, à Gryphone fratre Pipini incitatus. Iterum ergo à Pipino circumfusi Saxones Ascaniam amiserunt.

Tandem anno C. 751. iterum rebelles facti Saxones, à Pipino victi sunt prælio, in quo Hildegardus, Coloniensis archiepiscopus interiit.

Fœdus Sax. & Bauor.

Anno C. 756. Saxones fœdere cum Bauaris coniuncti, contra Francos, vt in libertatem sese vindicarent, cum Pipino congressi sunt, & prælio superati non modò Edelhardi, regis sui filium amiserunt, sed in eas etiam angustias adducti sunt, vt supplices facti annis singulis equos ad bellum aptos trecentos Francis pensitarint. Pacata ad hunc modum Saxonia annos 15. quieuit. Edelhardus verò ex vulnere, quod in prælio acceperat, triduo pòst, absque prole expirauit.

Edelhardi frater, filius verò Diterici

etiam fuit Bertholdus, qui in bello contra Francos anno C. 779. victus est, & à suis occisus. Tertius filius Diterici fuit Vvernekinus Angriæ dynasta, ac Rugiæ Iburgiq́ Princeps, qui ex pacis studio, quod coluit, pacificus fuit cognominatus. E vita migrauit anno C. 768. relictis duobus filijs ex Guntilda Rugiæ principe vxore susceptis, Brunone & Vvitikindo. Vvernekin.

Ex Brunone natus est Ludolphus, qui Saxoniæ dux ab Henrico pio designatus est. Ex Ludolpho natus est Otho Saxoniæ, Angriæ & Vvestvaliæ dux, conditor monasterij ordinis S. Benedicti, in monte qui Lunepurgi est à calce dictus, anno C. 904. Hic est qui mortuo Ludouico IV. imperatore, delatum ad se à Francis & Saxonibus imperium renuit propter ætatem. Mortuus est anno C. 916. Bruno.

Ex Othone natus est Henricus auceps, qui primus intulit imperij Romani dignitatem in domum Saxonicam, anno C. 919. Ex Henrico natus est Otho I. imperator, ex Othone I. Otho II. ex secundo tertius. Othoni III. successit Henricus Claudus Otho Magnus.

 siue

siue sanctus, Romanorum imperator quintus de stirpe Saxonica, quæ imperatores serie continua dedit ad annos 104.

Vvitikind⁹. *Vvitikindus Saxonum rex electus est contra Francos, cum quibus annos centum & amplius bellum gesserunt Saxones, vt iugum eorum à ceruicibus suis deÿcerent. Erant enim Saxones libertatis & idolomaniæ ethnicæ acerrimi propugnatores. Franci verò, vt vectigalis esset prouincia Saxonum, & ad fidem Christianam conuerteretur, enixè operam dabant. In eandem curam & cogitationem etiam incu-*

Carol. Magnus. *buit Carolus Magnus, nec quiescendum sibi arbitratus est, priusquam Saxones ab idolatria ad religionem Christianam traduxisset. Iccirco bellum diuturnum &*

Aliÿ ponunt annos 33. *difficile ad 35. annos contra eos gessit, & vicies quater cum illis conflixit. Etsi enim sæpius victi Saxones pacem petiuerunt, & impetrarunt etiam: tamen ad ingenium identidem redierunt, omnesq́; vias persecuti sunt, quibus libertatem suam recuperarent.*

Helmgutus. *Erat missus à Carolo Magno Helmgutus*

tus ad Nicephorum, Constantinopolitanum imperatorem, ab hoc percontatus est Nicephorus de Carolo multa, quomodo valeret, & num pacatum & tranquillum regnum haberet? Cui respondit Helmgutus, Imperium Caroli Magni satis esse tranquillum, nisi ab inquietis Saxonibus turbaretur. Qui fit, inquit Nicephorus, quod filius meus (sic enim appellabat Carolum Magnum) gentem tam minutam ac vilem domare non potest? ego quidem facilè eam sub iugum mitterem. Sed age, cæsar ego, inquit, sum, & dominus terrarum orbis, à Deo adhuc munus delectus, atque adeò in mea potestate est, te hominem etiam humili loco natum in altiore gradu dignitatis locare. Quamobrem Saxones tibi dono, terramque eorum omnem, atque ut Saxonum dux sis volo. Hunc sermonem postea Carolo Magno exposuit Helmgutus. Cui ridens respondit Carolus, malim tibi Helmgute, subligaculum à Nicephoro esse donatum, quo uti magis posses, quàm Saxonibus.

Ignorauit Nicephorus illud: nullus hostis hoste Saxone truculentior.

Initium huius belli, quod Carolus Ma-

Initium & causa belli.

gnus cum Saxonibus geßit, incidit in annum C. 772. quo Saxones cum Duringis finitimis non solùm de finibus contendebant, sed etiam religionis causa multum detrimenti illis afferebant. Hac iniuria laceßitus Carolus, arma iusta contra Saxones induit, eorumq́; ferociam sic compreßit, vt multa millia illorum cum vxoribus & liberis in Galliam & alias regiones disperserit, Vvitikindus verò aliją́; principes sese in fidem ipsius dederint, non tam armis & robore, quàm lenitate & mansuetudine Caroli Magni ac Henrici comitis Hennebergensis, qui Christianus erat, precibus permoti. Expeditiones autem Caroli in millenario quinto ordine expositæ sunt.

Sax. sese d.nt Carol. Magno & Christiani fiunt.

Facta deditione religionem Christianam amplexi sunt Vvitikindus & Beringerus Ballenstetensis, baptismiq́; sacris initiati in fide perstiterunt. Iccirco Beringerus, Ascaniæ & Ballensteti primus comes factus & confirmatus est. Vvitikindus verò prouincias hæreditarias omnes recepit, ducatum Angriuariæ, Vvestvaliæ ad Visur-

Beringerus.

Vvitikindus ex rege dux fit Saxonū.

Visurgim, ad Albim, Magdeburgum, Vuitebergam, Vuithinum ad Salam, Zorbecum, & tractum ad Elystrum & Plissam. Ita ex rege dux Magnus Saxoniæ creatus, pro equo nigro, quem in clypeo suo gerebat, equum album salientem sine freno, in clypeo rubro accepit, & deinceps vsurpauit. Conditor esse dicitur Vuitenbergæ, & episcopatus Engerani, qui tamen non diu durauit. Tandem occubuit in prælio à Geroldo Sueuorum duce cæsus, anno C. 807. Engræ sepultus in Basilica, quam ipse condidit, sed postea ab Henrico aucupe Padebornam cum tumba & corpore translatus est.

Alij ad filium ipsius origine huius vrbis referunt.

Vuigbertus filius Vuitikindi ex Geua Daniæ regina natus, filium habuit Vualtpertum, ex quo procreati sunt Vuitikindus IV. qui & Beitgungus dicitur, in Galliciam cum vxore profectus ad S. Iacobi compostellam, in itinere periit.

Vvigbertus.

Almarus vel Alram filius Vuitikindi IV. in Italia educatus, Othonis II. filiam Adelheidem abduxit: sed reconciliatus Cæsari ducatum Taurinacium & Eporre-

Almarus.

giæ nactus est, & primus Marchio montis Ferrati extitit. Ab eodem etiam orti sunt marchiones Finarij in Italia, ex quorum familia reliquus Alphonsus Carettus, qui ex aula Maximiliani Imperatoris II. & ex conuentu Ratisponensi, anno 1576. per literas latinè eleganterq́; scriptas me admonuit, vt in ducum Sax. historia intermortuam penè memoriam sui, & familiæ suæ renouarem.

Ditericus. *Ditericus secundus Vvalperti filius, comes Ringelheimij, filiam habuit Mechtildem, quæ Henrico imperatori primo nupta fuit.*

Regenbertus. *Regenbertus III. Vvigperti filius, Henrico aucupi in bello Danico operam dedit.*

Immodus. *Immodus vel Amadeus quartus Vvigberti filius, stirpis ducum Sabaudiæ vel Allobrogum author est.*

Vvitikindus iunior. *Vvitikindus iunior, vel secundus Vvitikindi magni filius ex Suatana Boiemiæ principe natus, ditionis inter Salam & Albim dominus, comes Vvetini, Burggrauius Sorbeci, & dynasta Butsetzij, duos filios reliquit, ex Iulanda Theodorici comitis*

mitis Rochlicensis filia, Vvitikindum III. & Ditgremum.

Vvitikindus III. fratri relicta ditione à patre accepta, in Galliam militatum abijt, cum Carolo Caluo imperatore, contra Normannos. Cumq; rem benè feliciterq; gessisset, Andium dux à Cæsare constitutus est, & ob animi magnitudinem insignemq; felicitatem Iudas Maccabæus fuit cognominatus. Successit ei filius Rupertus, cuius filius Otho, rex Franciæ designatus est. Alter verò filius Rupertus propter affectatum regnum Galliæ occisus est, filius verò eius, Hugo Magnus comes Parisiorum fuit, cuius nepos, Hugo Capetus, regnum Franciæ à Caroli Magni posteris in se & posteros suos transmouit. Hi ad hoc vsq; tempus in Gallia dominantur. Factum anno C. 987. Vvitik. III. Hugo Capetus.

Ditgremus vel Ditramus Vvitikindi II. filius, Zorbeci Burggrauius, ab Othone Magno patruele, Saxonum duce pulsus est Saxonia. Ditgremus.

Ditmarus filius Ditgremi, cuius eximia fuit fortitudo in periculis, singularis indu- Ditmarus.

industria in agendo, & consilium summum in prouidendo, Henricum Aucupem copijs Conradi imperatoris circumfusum arte magis, quàm armis liberauit. Quamobrem restitutus est ab eo imperatore in patriam ditionem, & comes Vvetini, Burggrauius Soraborum, & dominus Butsetzij factus est. Deinde arma in Henetos, qui Redarij appellantur, conuertit. Hos enim vnà cum Bernhardo Saxoniæ & Luneburgi duce ex omni Saxonia eiecit, partim in mari submersit, partim viuos cepit, partim capite truncauit, tanta multitudine, vt eorum ad 200000. perijsse dicantur an. C. 933.

Ditericus Marchionũ Misniæ pater.

Ditericus, Ditmari filius, Marchionum Misniæ, electorumq́ Saxoniæ pater est.

Dedo.

Dedo Diterici filius, ex Gutta comitis Mersburgensis filia natus, Sorbeci Burggrauius, comes Vvetini, & dominus Butsetzij, Burggrauius Soraborum, adiunxit ad ditiones suas comitatum Mersburgensem. Hunc enim Otho III. mortuo sine liberis Bione auo ipsius materno, iure clientelæ ei possidendum dedit. Implicatus

bello

bello difficili cum Vvernero vel Vvirinhario Marchione Vvolmerstadensi in prælio ad Tangermundam confossus occubuit an. C. 1009.

Ditericus Dedonis filius, ex Tetburga, Theodorici Brandeburgici Marchionis filia natus, Soraborum Burggrauius, comes Mersburgi, Vvetini & Ilenburgi, ab Henrico II. imperatore accepit Lansbergensem marchionatum, cum Cyllenburgensi & Seuselicensi comitatibus, intercessione Cunegundis imperatricis. Occisus est in cubiculo suo anno C. 1034. Ditericus.

Dedo Diterici filius ex Eckarti Marchionis Misnensis filia natus, Burggrauius Sorbeci, comes Vvetini, Cyllenburgi & Camburgi, factus est Lusatiæ Marchio, Othone vltimo ex Raueninoensi familia mortuo. Petijt Duringiam iure clientelæ ab Henrico IV. sed frustra. Quare impulsu coniugis suæ vi eam inuasit & vastauit, anno C. 1069. Sed à Cæsare captus est, tandemq́ etiam in exilium eiectus. Dedo III. Lusatiæ marchio.

Thimo Diterici filius, Dedonis frater, marchio Lansbergensis, & Vvetini comes, Thimo.

Henri-

Henrico IV. imperatori domi & militiæ fidem suam præstitit. Quocirca mortuo
Marchia Misn. *Dedone, primo Misniæ marchione, filioq; eius noctu in arce Beichlingensi à ministro confosso, Henricus imperator Thimoni marchiam Misnensem tradidit. Hoc modo Misnensis marchio factus est Thimo, & stirpi illustrissimæ Misnensium marchionum ortū & stabilitatem dedit, factumq; est adeò, vt qua laude familia hæc florere cepit, eandem omnes qui sunt eius stirpis cupidissimè persecuti sint. Translata est autem hæc dignitas ad Thimonem anno C. 1075. Cæterum vrbs Misna à Boiemis adhuc tenebatur, quippe quibus Cæsar Henricus eam tradiderat. Iccirco potiri illa non statim potuit Thimo. Fit enim plerumq;, vt quæ vetustatem habitura sunt, ad ea aditus ferè difficilior sit. Quin ne vestigium quidem in ea fecit Thimo, quoad in vita mansit. Occubuit autem in arcis cuiusdam oppugnatione, antequā in possessionem venit, anno C. 1091. Firmum tamen nihilominus fuit ius à Cæsare concessum atq; tributum.*

Cunra-

Cunradus, Thimonis filius, Lansbergi marchio, Vvetini, Brenæ, Cyllenburgi comes, Lotharij Cæsaris ope Boiemos Misnia eiecit, marchionatumq́; patri iam antè ab Henrico IV. datum, sibi verò à Lothario confirmatum, pleno iure occupauit anno C. 1126. Cunradus.

DE MARCHIONIBVS MISNIAE.

Marchia Misnensis unà cum vrbe Misna ab Henrico aucupe condita est contra Boiemos, Polonos, atq; Silesios, anno C. 930. Hanc posteris Vvitikindi iunioris regendam dedit Cæsar. Apud quos etiam mansit, & hodie est. Primus Marchio Misnensis fuit Bruno, secundus Ridacus, cognomento diues, Merseburgensis comes, Tertius Eckhardus I. Guntheri comitis Ostlandiæ filius, Misniæ orientalis comes, qui Boiemos Misna expulit, & Misniam vt hæreditarium feudum ab Othone III. accepit. Hunc enim præclarè in multis bellis iuuit. Ad Misniam verò adiunxit Duringiam, & Duringorum etiam Eckhardus. Marchia Duringiæ.

Marchio

Marchio nominatus est. Condidit arcem Eckhardibergensem, & templum Numburgense fundauit. Mortuo Othone III. factus elatior imperatoriam dignitatem appetere cœpit, & regios honores in accubitu affectauit, eoq́ue rem adduxit, vt Padebornæ rex proclamatus sit. Sed de aditu tanti honoris depulsus est, & vita ipsa priuatus, venabulo scilicet per collum à Sigefrido comite Northeimensi traiectus, anno C. 1002.

Eckharts-berg.

Hermannus.

Hermannus Eckardi filius, quartus Misniæ Marchio anno C. 1010. à Gunzelino patruo & subditis oppugnatus, & vrbe pulsus est. Sed sequente anno deprecante pro eo imperatrice, & Magdeburgensi archiepiscopo Tagmone, restitutus est, Gunzelinus verò exilio multatus.

Misna occupata.

Anno C. 1015. absente Hermanno, Mesico Polonorum dux Misnam obsedit, omniq́ue conatu & opere oppugnauit. Occupatum iam erat & exustum suburbium, tum turres duæ ad aquæ portam incensæ. Ad incendium verò properè accurrerunt mulieres, & infuso melicrato illud restinxerunt.

xerunt. Mesico, cognita ciuium fortitudine, suorumq́; clade, receptui canere iussit. Etsi autem Hermannus marchio imbecillior erat, quam vt resistere tanto hosti posset, tamen Poloni metu eluuionis, quæ tunc exorta est, & Cæsaris, qui subsidio veniebat Hermanno, discesserunt. Ab eo tempore viri & mulieres Misnicæ annuatim hunc diem solennem habuerunt, & singulari genere supplicationis templum ingressæ, Deo & beatæ virgini, pro tanta victoria gratias egerunt.

Hermannum secuti sunt Eckardus frater, duo Dedones, & Henricus ex dominorum Bithiniæ familia vsq; ad Thimonem illum, cui Henricus IV. imperator Marchiam Misnensem restituit. Hic est Henricus, cui Cæsar Henricus IV. Misnam ademit & Boiemorum duci dedit. Fuit enim in exilium proiectus, & custodiæ etiam traditus, sed inde tamen liberatus est, ope & adminiculo Ecberti II. marchionis Saxoniæ, & patruorum suorum, anno C. 1076. in integrum restitutus. Nec id solum, sed denuo Misna eiectus à Vratislao Henricus.

Boiemiæ rege, iterum eam recuperauit. Hic eſt qui Bennonis epiſcopi faciem verberauit, cum bona eccleſiaſtica ab imperatore alienata repeteret. Cuius temeritatis pœnas dedit, & ſubitò mortuus eſt anno C. 1106.

Otho diues. *Otho Cunradi filius, cognomento diues, Miſniæ, Luſatiæ, & Libonotriæ ſiue Oſterlandiæ Marchio, Lipſiam in vrbis formam redegit ac muniuit. Veterocellæ cœnobium fundauit, Fribergam ex venis metallicis extruxit, multa quoq; aduerſa tulit. A Ludouico Duringiæ Landgrauio captus Vuartpergæ in vinculis fuit. Vnde tamen authoritate imperatoris Friderici Barbaroſſæ euaſit. Tum à filio etiam Dibini contruſus in carcerem, ita contabuit, vt non multò pòſt liberationem è vita migrarit, anno C. 1195. Heimerſdorffij.*

Lipſ.

Veterocel.

Dedo craſſus. *Dedo frater Othonis cognomento Craſſus vel pinguis, comes Rochlicenſis & Groicenſis, fundauit cœnobium Cillienſe, quod Vvechſelpurgum dicitur: Cum in Apuliam iter haberet cum imperatore Henrico V. ne corporis mole impediretur, aruinam ſibi*

sibi eximi passus est. Mortuus anno 1190.

Albertus Othonis filius Marchio Misniæ, Lusatiæ, & Libonotriæ, cognomento superbus, in patrem impius fuit. Hunc enim in vinculis diu tenuit, propterea quod filium suum iuniorem, Ditericum, impulsu uxoris suæ, Marchionem Misniæ post mortem suam declarasset. Etsi autem Cæsar autoritatem suam interposuit, & è vinculis emissus est Otho pater: tamen fratrem ipsum Ditericum tanta acerbitate insectatus est Albertus, ut ditione omni eiecerit, arcesq́ue occuparit, & thesaurum paternum, qui fuit marcarum argenti 3000. in altari veterocellensis cænobij defossum, eripuerit. Iccircò etiam pœnas iustas grauesq́ue persoluit, & ex veneno, quod propinatum ei erat à ministro, unà cum uxore computruit. Albertus superbus.

Ditericus Othonis filius, Marchio Misniæ, fratri Alberto sine sobole mortuo successit. Etsi enim Cæsar Fridericus absente Diterico ditionem omnem occupauit: tamen reuersus in patriam Ditericus, eam recuperauit, & in pace retinuit. Fundator Ditericus

tor est cœnobij S. Thomæ, quod Lipsiæ est reliquum.

Henricus munificus, I. Landgrauius Duringiæ.

Henricus Diterici filius cognomento munificus & illustris, marchio Misniæ, Lusatiæ, & Libonotriæ, Palatinus Saxoniæ, & primus Landgrauius Duringiæ. Mortui enim iam erant Ludouicus Duringiæ Landgrauius, & filius eius Hermannus, qui ex stirpe Caroli Magni erant nati, & ab episcopo Moguntino in Duringiam collocati, sine masculo hærede. Maturè autem feudum Duringiæ ab imperatore acceperat Henricus illustris, sed an. C. 1248. demum, mortuo Henrico Ludouici fratre, à proceribus prouinciæ inuitatus, ad eam occupandam aggressus est. Verùm anteuertit illum Sophia, Ludouici & Elisabetæ sanctæ filia, Brabantiæ ducissa, & ope Alberti Brunsuicensis ducis, qui Henrico puero tutor erat datus, Hassiam occupauit. Quam etiam filius eius, Brabantiæ dux, Henricus puer cognominatus, retinuit, & ad posteros transtulit. Ipse verò Henricus illustris Duringiam, & Palatinatum Saxoniæ adeptus est, eamq́; reclamante

Sophia,

Sophia, obtinuit. Quæ quidem Duringia etiam iure propinquitatis ad illum pertinebat. Sic tamen inter eos conuenit, vt Henricus arces octo ad Vverram duci Brabantiæ, Landgrauio Haßiæ concederet, ipse viciβim Duringia & Isenaco abstineret. Hoc pactum Rudolphus imperator confirmauit. Vnde pactio hæreditaria, seu fœdus hæreditarium inter Landgrauium Duringiæ, Saxoniæq́ ducem, & Landgrauium Haßiæ ortum est, ita vt cuius stirps prior defecerit, eius prouincia ad alterum iure hæreditario transeat.

Fœdus hæreditarium inter duces Sax. & Hassiæ Land.

Acta verò Henrici illustris multa & præclara sunt. In Borußiam imperij caussa militatum abijt, adductis secum 500. nobilibus, & vt Borußi quoq; ad fidem Christianam conuerterentur, laborauit, anno C. 1237. Equestres ludos primum Misnæ anno 1265. deinde Northusij magnificentißimos & sumtuosißimos fecit. Tantam enim vim argenti ex Fribergensibus venis cepit, vt emere Boiemiæ regnum potuisset. Itaq; in Northusensibus ludis hortũ sic adornauit, vt argenteam quercum cum folijs

aureis ostentauerit, & præmia ampla victorib. in certamine distribuerit. Cellæ nouæ in Lusatia author est, & beneficia amplissima in spirituales contulit. Virtute, animi magnitudine, & gloria facilè omnes suæ ætatis superauit. Mortuus in cœnobio veterocellensi humatus est anno C. 1288.

PALATINATVS SAXONIÆ.

Palatinus Sax.

Palatinus Saxoniæ, est præses prouinciæ, seu prætor iuri dicundo præfectus in curiæ supremæ iudicio, germanicè Pfaltzgraff. Quæ vox composita est ex Palatio, quo curia imperialis significatur, & Graffe/ quo iudex denotatur. Institutus verò est Palatinatus Saxoniæ, secundum Saxoniæ Chronicon, ab Othone II. & in vrbe Magdeburga collocatus, vt præsidium & firmamentum iuris ac libertatis Saxonicæ esset. Adiuncta ei fuerunt vrbes Saxonicæ quinq; in quibus aulæ suæ sedem habere solitus est Palatinus.

Porrò insigne Palatinatus Saxonici fuit aquila lutea in clypeo cæruleo. Chronicon Gozikense Palatinos Saxoniæ recenset Fridericum I. huius nominis de nobi-

bißima antiquorum Saxonum & Francorum prosapia oriundum. Fridericum II. primi fratrem, qui ab Henrico III. imperatore monarchiam palatij, vt loquitur chronicon vetus, accepit. Hunc secutus est Fridericus III. Friderici II. nepos, qui etiam vocatur posthumus, quod post patrem ex insidijs in venatione interfectum natus fuit. Friderico III. succeßit Fridericus IV. ex eadem familia, qui tamen periurij accusatus à Nortberto Magdepurgensi archipræsule, quod ordinem sacrum quem susceperat, deseruisset, ceßit, & eiurato coniugio, clerici habitum denuo assumsit. Extincta igitur hac familia, palatinatus Saxoniæ ad alienos trãslatus est, inprimisq́ue ad Vvigbertum & Hermannum comites Vvurcepurgenses. His loco motis per Cunradum & Albertum comites, anno C.1181. palatinatum consecutus est beneficio Friderici Barbarossæ Cæs. & Hermannus Duringiæ Landgrauius. Hic successores habuit Ludouicum & Henricum filios. Post eos hæreditatem prouinciæ adierunt Henricus marchio Mis-

nensis, & Henricus dux Brabantiæ, quorum hic Hassiam, ille verò Duringiam cum Palatinatu obtinuit, in cuius posteritate adhuc insignia & titulus palatinatus hærent.

Albertus degener.

Albertus cognomento degener, quod à paterna virtute grauitateq́ degenerasset, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ ac Libonotriæ, Palatinus Saxoniæ, Henrici filius, suscepta cruce in Borussiam militatum iuit, & eques auratus ibi designatus est an. C. 1265. Habuit in matrimonio Margaretam Friderici II. imperatoris filiam, cum eaq́ dotis loco adeptus est Aldenburgum, ac terram Plissensem. Hæc peperit ei Fridericum fortem, den freudigen / *& Dicemannum, Henricum item, qui quod fugatus à patre esset, & omni iure priuatus, dux sine terra nominari solitus est. Cœperat autem Albertus amare perditè quandam virginem in gynæceo, Cunegundam Isenbergiam pellicem, odisse verò acerbè legitimam coniugem Margaretam. Iccirco mortem illi afferre per venenum studuit, sed de conatu depul-*

depulsus fuit. Incidit fortè in mulionem, qui ligna quotidiè in culinam arcis, quæ est Vvartburgi, prope Isenacum in Duringia, agitabat. Hunc inducere promißis magnis conatus est, vt collum coniugi suæ ducissæ contorqueret, perinde ac si diabolus id fecisset. Mulioni multa in mentem veniebant, quæ valdè ancipitem & solicitum illum reddebant. Nam & parentum honestorum rationem habendam esse ducebat, & periculum in quod venturus esset, si obsequeretur, perspiciebat. Introducitur tandem in cubiculum ducissæ, accedit lectum, & compellat eam: Parce, inquiens, vita mea domina. Cui, quis tu es, ait illa, & quid commeruisti, aut in te admisisti? Respondit mulio: Parce mihi & tibi domina: Princeps meus iußit me manus tibi afferre, & vitam eripere. Ego verò id facere nolo, consule igitur in medium, quo pacto vitam ambo defendamus, I mox inquit ducissa, ad aulæ magistrum meum, is nobis consulat necesse est. Adest è vestigio magister aulæ, & vt fugiat ducissa, monet. Obtemperat do-

mina, & prius adit filiolos suos, Fridericum & Dicemannum in cunis iacentes, valedicit eis, & Friderici genam ita admordet, vt miserabiliter ploret, sanguisq́ue copiosè emanet. Ex quo nomen admorsi accepit. Volebat adire etiam alterum, sed prohibebatur ab aulæ præfecto. Ideo autem momordi filiolum meum, inquit, ducissa, vt huius calamitatis, & miserabilis meæ fugæ memoriam perpetuam ei imprimerem. Ilico arreptis rebus preciosis & pecunia, per funes & linteamina de fenestra adminiculo aulici magistri, noctu, cum virgine & mulione demittitur, iterq́ue luctu & squalore prope enecta, ingreditur. Vbi paulum fuit progressa, abbas Hirsfeldensis curauit Francofurtum ducendam, vbi non solùm à ciuibus accepta & habita est honorificè, sed visitata etiam & adiuta est à principibus vicinis amanter. Vixit illic in virginum monasterio in annum alterum, quo expirauit, & Francofurti humata est.

Margareta fugiens mariti insidias filium Fridericum mordet.

Albertus verò, amota coniuge legitima, cum pellice Cunegunda rem habuit, ex eaq́ue

Cunegunda pellex Alberti.

ex eaq; filium nothum procreauit Ludouicum, cognomento Apicium. Hunc vnicè diligebat, & Duringiæ comitatum ad eum transferre conabatur. Quam obrem Cunegundam quoq; ducebat in vxorem, & arcem Tennebergam ei poßidendam tradebat. Fridericus verò & Ditericus siue Dicemannus, adultiores facti, maternæ calamitatis memores pellicem acerrimè oderant, & patri etiam ipsi aduersari incipiebant. Quoad enim cicatricem in gena gessero, inquit Fridericus, fugæ matris meæ miserabilis obliuisci non potero. Non parùm verò dißidium inter patrem & filios augebat id, quod frater Alberti Henricus sine liberis sexus virilis moriens Misniam, Libonotriam, & Lusatiam non Alberto fratri, ad quem lege agnationis hæreditas pertinebat, sed filijs eius Friderico & Dicemanno tradidit.

Etsi autem Rudolphus imperator in Duringiam veniens, Erfurdiæ dissentientes inter se patrem & filios conciliare studet; nequicquam tamen mala gratia coit, & facilè rescinditur. Albertus enim nihil

aliud

aliud in animo habebat, ac moliebatur, quàm vt filios ſuos legitimos exhæredaret, omnemq́; prouinciam ad ſpurium transferret. Icciro inſigne leonum diuerſi coloris cum clypeo capiti aptato ei tribuit, bonaq́; multa alienauit, vt pellicis auaritiam libidinemq́; expleret. Percommodè autem accidit, vt proceres Duringiæ, ciuitatesq́; fidem dare, vel vt vulgò loquimur, homagium præſtare nulli niſi legitimis hæredibus vellent. Quæ res odium principis concitauit in ſubditos, armaq́; iuſta induit filijs, vt quæ iure hæreditario habebant, legitima etiam ratione tuerentur. Icciro Luſatiam, Auſtratiam, & Libonotriam tuendam ſibi arbitrabantur. Patrem verò captiuum ad tempus tenebant. Sed intercedentibus Rudolpho imperatore, & proceribus prouinciæ iterum dimiſerunt.

Ioan. Marchio contra Frid. & Dicemannum.

Pater vindicaturus ſeſe, & terram Miſnenſem, Ioannis Marchionis Brandeburgici opem implorat. Is ſine mora cum exercitu Miſniam inuadit, diripit & vaſtat, metropolimq́; eius Miſnam vi & armis oppugnat. Ad quam defendendam Dicemann-

mannus, abiecta omni cunctatione, accurrit, & à ciuibus patefactis portis recipitur. Mox hostis inuaditur, circiter 500. cæduntur, reliqui profligantur. Marchio accepta clade, in Lusatiam profugit, vt nouis copijs sese confirmet. Dicemannus verò etsi insequi fugientem & debilitatum hostem in animo habet: tamen prius ad eum mittit legatum, vt quo consilio, quaúe de causa bellum gerat, cognoscere possit. Marchio responsum adeò insolens & odiosum reddit, vt milites Dicemanni ira exardescant, & in iustam vindictam totis animis insistant.

Etsi autem aggredi hostem eo die noluit Dicemannus: tamen triduò pòst ad confligendum cum eo acriter suos hortatus est, se quidem non tantùm ducis, sed etiam militis strenui officio functorum pollicens. Mox in hostes impetum facit, eosq́; fugat, & in castra vsq; insequitur. Redintegratur quidem prælium, sed iterum profligantur hostes. Dicemannus verò cum Iacobo Schonbergio, capitaneo suo in castris hostem opprimit, & tria millia occidit, Iacobus Schonbergius

dit, millia septem & amplius cepit, reliquũ fuga salutem petiuerunt. Parta victoria miles castra hostium diripit. Victor verò lætum hoc nuncium ad fratrem Fridericum, qui Lipsiæ erat, perferendum curat. Marchio nondum quiescit, sed vindictæ cupiditate incensus, Luccam obsidet, qua Luccea. tamen potiri propter præsidium, quod Fridericus imposuerat, minimè potest. Hac igitur relicta Haynam oppugnat, persuadetq́; magnam pecuniam pollicens, triginta fortissimis militibus suis, vt noctu vrbem inuadant, vigiles trucident, & apertis portis præsidium intromittant. Parent hi Marchionis consilio: conscendunt muros noctu, funibusq́; sese demittunt in vrbem. Tacet vigilum præfectus, Caspar Maltitius, donec oppurtunitatem nactus, ad vnum omnes, dum ad portas effringendas properant, interficit. Simul ac verò dies illucescit, ex vrbe cum præsidio suo, & ciuibus in hostium castra irruit, eosq́; penitus auertit.

Casp. Malt.

Tertia hæc erat clades, quam in hoc bello acceperat Marchio Ioannes, nihilominus

minus tamen vlciscendi hostis, & vindicandæ ignominiæ causa reliquias belli persequitur, & ab Eberhardo, Ascaniæ principe auxilium petit. Hic ergo literis ad Fridericum datis tutum & liberum commeatum sibi concedi postulat. Fridericus ilico obuiam cum exercitu it Eberhardo, accersitoq; Henrico ab Ende, militari duce, ac præsidio, quod habebat, Ilenburgum, ipse verò Torgam progreditur, exploraturus, quid animi Eberhardus habeat. Paulò pòst Endium quoq;, relicto aliquo præsidio in arce Ilenburgica, sequi cum suis iubet. Antequam autem Eberhardus eò, quo voluit, peruenit, Fridericus castra prope eum locauit, ac dato signo paratos esse suos ad pugnam iubet, vt cras impreßionem facere in castra hostium poßint. Primo diluculo, paucis exhortatus suos ad animi magnitudinem, impetum facit, præeunte Henrico Lipsico, certatim verò sequentibus ijs, qui fidem & fortitudinem suam præter cæteros declarare cupiebant. Hoc tanto ardore statim fusi sunt hostes, circiter mille, quatuor millia cæsi, quinq; capti.

Henricus ab Ende.

Henric. Lips.

capti. Quin ipse etiam Eberhardus captiuus ad victorem ductus est. Nondum aduenerat Henricus Endius, quem vt vidit Fridericus, lætatus est vehementer, & age, dixit, si tu affuisses, Henrice, prædæ quoque particeps esses. Ioannes Marchio acceptis tot belli incommodis, de pace consilium capit, mittitque ad Fridericum, qui diem compositioni indicit Misnæ, vbi transacta sunt omnia, anno C. 1290. Postquam annis duobus nouemque mensibus bellatum fuit, Eberhardus quoque numeratis 16. marcis auri, dimissus est.

Hactenus patris, Marchionis Brandeburgici, & Eberhardi principis Anhaldini impetum ardoremque restinxerunt atque represserunt Dicemannus & Fridericus.

Adolphi imperat. impetus in Frid & Dicemannum.

Nunc Adolphi Imperatoris Romani incursioni & violentiæ coguntur resistere. Huic enim pater Albertus consilio improbo Duringiam omnem, excepto Vvartburgo, 12000. marcis auri, siue 94000. florinis vendidit. Cum autem hæredes legitimi, Fridericus & Dicemannus contractum improbarent, proceres item ac ciuitates prouin-

prouinciæ Adolphum recipere nollent: armis eam occupare imperator conatus est. Venit igitur in Duringiam cum exercitu ex Sueuis & Rheni accolis conflato, cepit Isenacum, Creutzpurgum iniecto igne vastauit, multasq; arces & oppida in Duringia incendit, atq; adeò prouinciam totam penè exußit, vsq; ad Northusium. Northusiũ. Quam ipsam etiam vrbem inuasit, commeatus inopia compulsus, vbi cũ libidinosè & violenter multa agerentur à militibus, concurrerunt ciues, & vi vim repulerunt, multosq; occiderunt, vix eorum manus effugiente Adolpho.

Difficile est dictu, quantam immanitatem atq; sæuitiam exercuerit in Duringia Adolphus, nihil vsquam fuit, quod explere atq; satiare libidinem, auaritiam & crudelitatem eius potuerit. Non libido ab oculis, non facinus à manibus, non flagitium à corpore vllius abfuit, sæuitum est in puellas, matronas, infantes, & senes promiscuè. Castra habuit aliquando prope Erfurdiam in pago Gißersleben, vbi vetula vestibus nudata, & axungia per

Sæuitia Adolphi in Duringia.

Vetula.

totum corpus delibuta, plumisq́ volutatá vndiq́, tum funi alligata, à calonibus circumducta est, & contumeliosißimè agitata.

Admonitus de tanta crudelitate & furore militum suorum Adolphus, à Diterico Hohnsteinensi comite, primum se prohibere posse negauit. Iterum verò commonefactus de malis, quæ secutura essent, cohibuit, & effractoribus templi in Vippich dextram amputari iußit. Fridericus autem & Dicemannus quantum poterant, Adolpho resistebant, & grassantem eius militem reprimebant. Cumq́ raptores aliquot, ac mulierum puellarumq́ violatores cepissent, exsectis pudendis, cum subligaculis eos ad regem miserunt. Cum in Duringia id, quod cupiebat Adolphus, obtinere non posset, in Austratiam siue Libonotriam arma conuertit, & Fripurgum proditione cepit, omnesq́ oppidanos, qui in armis erant, occidit. Inermem verò turbam vrbe & agris exterminauit, oppidum incendit & exußit, arcem demolitus est, & nihil ad summam crudelitatem reliqui fecit.

Raptores mulierum puniti.

Fripurgum.

fecit. Ad eundem modum etiam Numpurgi arcem cepit, omnesq́ præsidiarios in ea inuentos interfecit. Fridericus verò cum fratre exusta ab hoste reficiebat, vrbesq́ & oppida præsidijs, quantum poterat, muniebat. Tum ad constantiam in repellendo hoste suos identidem hortabatur.

Atq; hæc acta fuerunt Adolphi, in prima expeditione in Duringos. Altera expeditio in annum C. 1295. incidit, qua pagos primum in agro Gothano vastauit & exussit. Franckenstenum verò & Salzam ad deditionem impulit. Deinde Creutzpurgum obsedit mensem vnum, oppugnauitq́ vehementer, sed expugnare tamen non potuit, fortiter scilicet resistentibus oppidanis. Tandem igne iniecto vrbem exussit, vt fugere in arcem coacti sint ciues. In arce verò penuria erat aquæ tanta, vt cereuisia eius loco vti cogerentur, quæ tamen & ipsa tandem defecit. Ideoq; pacti vitæ incolumitatem, hosti sese dediderunt. Adolphus verò, substituto vicario, ad suos redibat.

Secunda expeditio Adolphi in Duringos.

Creutzburgum.

Vicarius Adolphi. *Post discessum eius multa fiebant hostiliter à vicario. Cuius impetum dum retardare atq; reprimere conantur præsides à Marchionibus in prouincia collocati, nihil satis clausum atq; tutum à vi direptioneq́; existit. Nec verò contentus fuit Adolphus Duringia, sed Misniam quoq; subiungere sub imperium suum cupiebat, vt faciliorem aditum ad subigendos Boiemos haberet.* Philip. Nassou. *Iccirco Philippum Nassouiæ comitem, propinquum suum, copijs nouis instructum, in Libonotriam mittit. Is Zizam, Bornam, & Pegam hostiliter peragrat, & detrimentis magnis afficit. Fridericus verò suas cum fratris Dicemanni copijs coniungit, Pegamq́; cuidam nobili* Haubitius. *Haubitio custodiendam tradit. Priusquam autem acie cum hoste decertet, mittit ad eum, & quo consilio exercitum in alienam terram duxerit, quærit. Hostis verò legatos Friderici non modò non audit, sed etiam in vincula conijcit,* Cnautus. *vnumq́; ex ijs Cnautum promissis amplis adigere studet, vt Fridericum vel veneno interimat, vel viuum sibi tradat. Quod cum*

cum Cnautus summa constantia facere recusaret, in carcerem durum coniectus est. Hac iniuria incensus Fridericus hostes adortus est in Bornensi agro, mille ex ijs cecidit, ducentos verò cepit.

Vix triduum intercessit, quod colligendi sui & exercitus causa sibi sumserat Fridericus, cum iterum aggressus hostes, magna cæde & strage sic eos fudit, vt Philippus vix cum paucis Aldenburgum profugerit. Signa militaria multa adeptus est hac victoria Fridericus, quæ passim tanquam trophæa curauit erigenda, aurum & vasa argentea Misnam misit, & templo S. Donati donauit. Adolphus imperator cognita hac clade, nouas copias ex Sueuis & Rhenanis comparatas, subsidio mittit Philippo, duce Georgio Oetingensi comite. Hic vnà cum Philippo Bornam obsidione grauissima cingit, vehementissimeq́ oppugnat. Sed cum appropinquante hyeme, nauare & efficere nihil posset, exercitum duxit Aldenpurgum in hyberna. Conuentum deinde Aldenburgi habuit Philippus, in quo sese multis excusauit pro-

Victoria Frideric.

Georg. com. Oeting.

Conuentus Aldenb.

uincialibus, & Cæsarē iustas causas sui belli aduersus Marchiones Misniæ habere ostendit, tum minas etiam addidit, nisi Cæsari cedant, futurum esse inquiens, vt vi impreßioneq́ʒ ab eo deleantur. Respondit cæ-
Otho Pflug. *terorum nomine Otho Pflugius, prouinciales hactenus perspicere non potuisse vllam Adolphi imperatoris in se beneuolentiam, sed hostilem potius expertos esse maleuolentiam. Nec fas esse ipsis discedere à legitimis suis dominis: alioqui non ignorare se, quanto inferiores sint Cæsare: sed propterea tamen principes hæreditarios non esse deserendos. Cæsar offensus hoc responso non moratur, sed ilico cum suis copijs Zuiccauium peruenit anno C. 1296. Inde*
Friberg. *Fribergam cogitauit. Quo cognito, Fride-*
Haugbitz. *ricus Nicolaum Haugbitium cum copiolis quantis potuit, Fribergam ad eam tuendam præmisit. Cæsar in monte vrbi propinquo castra locaturus erat: sed cum vix horam commoratus esset, mons concidit, quia à metallicis suffoßus erat, & capitaneum Cæsaris cum magna parte militum oppreßit. Inde relicto monte, alio loco tu-*

tiore

tiore occupato, vrbem tormentis validissimè verberat & oppugnat, & quanquam partem muri demolitus est, nihil tamen obtinere potest. Quamobrem obsidionem continuat, quæ cum annum integrum, & menses 4. durasset, inuentus est ciuis, qui patriam prodidit. Monstrauit enim Cæsari meatum subterraneum, quem vbi perfoderunt Cæsariani, pars muri concidit, & aditus in vrbem hosti apertus est.

Capta vrbe, dedita est etiam arx, idq; consentiente Marchione Friderico, qui pluris faciebat subditorum suorum fide ac fortitudine præstantium salutem, quàm arcis alicuius incolumitatem: præsertim cum obseptis vbiq; per Philippum Nassouium vijs, subuenire laboranti ciuitati non posset. Promiserat autem Cæsar, obsessis ante deditionem incolumitatem. Sed contra fidem datam arce egressos arma deponere iussit, & grandi pecunia multauit; quam nisi intra breue tempus quod præfinierat, persoluerent, mortem deterrimam minitabatur. Quid faciant miseri? pecuniam non habebant, neq; Fri-

dericus Marchio exigere aliquid à ſubditis, nimis alioqui exhauſtis volebat, ideoq; ad Cæſarem mittit, & quam indignum ſit ipſius maieſtate, ſi contra fidem ſuam pecunia emungat milites, monet. At Cæſar inſtat, & vrget, ſequentiq; die imperata eos facere iubet, niſi vitam amittere velint. Marchio Miſniæ tunc erat, vt ſuos ex faucibus fati eriperet, laborans. Itaq; tradit Cæſari tres vrbes ad Muldam, Grimam, Rochlicium & Leiſnicium.
Borna. His expeditis Bornam acriter oppugnauit Cæſar, quæ tametſi præſidio ſatis firmo munita fuit: ad extremum tamen fame compulſa ſeſe dedidit. Expugnauit eodem tempore etiam Miſnam, & alias vrbes, atq; arces. Sed Luccam oppugnans fortiter à præſidiariјs militibus repellitur.

Hic fuit poſtremus furor Adolphi Cæſaris in Miſnia, nec progredi longius potuit, ſed inde ad aliud bellum auocatus diſceſſit. Poſt diſceſſum verò illius Philippus
Lucca. Naſſouius nihilominus Luccam adductis 20000. peditibus, 2000. verò equitibus oppugnat tanto impetu, vt euertere penitus cupiat.

cupiat. Marchio Fridericus illico coactis, quas paßim habebat, copijs, hosti occurrit, eumq́ue ad prælium euocatum prosternit & vincit, comitem ipsum cum nobilibus eius capit, victorq́ue Lipsiam præda multa onustus redit anno 1296. Adolphus verò Cæsar dum nouas copias contra Fridericum comparat, bello nouo implicatur, & de imperio cum Alberto Austriaco, Cæsare designato dimicat, à quo etiam confossus est. Lipsiæ Fridericus à captiuo Nassouio vrbes & oppida, quæ occuparat, repetit. Hæc facilè recipies, inquit Nassouius, excepta Friberga, de qua non est opus verba facere. Etsi autem Rochlicij in carcere custodiebatur Nassouius, tamen erupit, & ad suos Coldicium redijt anno Christi 1298.

Nassouius captus.

Adolph. confossus.

Anno 1300. Cunegunda Isenbergia è vita exijt, Albertus Landgrauius verò aliam vxorem, viduam comitis Arnshagensis duxit. Huius filiam formosißimam Fridericus matri, cum ex arce Vvartburgo in templum Isenacense iret, Gotham, quam poßidebat, abducit. Ad matrem verò literas dat, quibus hoc factum suum

Albertus aliam vxorem ducit.

Frider. abducit puellam.

excusat, quod, si apertè petijsset, à patre inclemente repulsus esset, filiamq́; vxorem sibi dari, quantis potest precibus contendit. Consensu matris impetrato, nuptias adornat, inuitatis ad eas multis comitibus ac dominis anno C. 1303.

Isenacum.

Anno C. 1306. instituerunt Fridericus & Dicemannus Isenacum imperio iam ante à patre Alberto venditum, rescisso contractu, vendicare. Isenacenses verò rem ad Cæsarem Albertum retulerunt, opemq́; ab eo petiuerunt. Cæsar componendæ controuersiæ causa Fuldam venire controuertentes aut litigantes iubet. Cum autem Marchiones non comparerent, aut sese sisterent, Cæsar iratus non Isenacensem tantum contractum, sed venditionem etiam totius Duringiæ ante factam Adolpho Cæsari ratam habet. Quin minatur etiam se breui ipsorum contumaciam vlturum esse. Mox missis in Duringiam præsidibus arces & oppida munit, vt inde oppugnare Marchiones posit. Venisset ipse in Duringiam, nisi morte Vvenceslai Boiemorum regis impeditus esset.

Albertus Cæsar contra Frid. & Dizemannum.

Fride-

Fridericus, amissa per sententiam Cæsaris Duringia, restitui sibi ablata bona hæreditaria demisse postulat. Petit ab eodem Cæsare etiam auxilium Philippus Nassouius, ne oppida & arces, quas in Misnia & Osterlandia, imperij nomine ceperat, à Marchionibus recuperentur. Cæsar ad hæc respondet Friderico primum, se quidem causam habere iustam proscribendi ipsum, propter contumaciam, sed velle tamen, omissa vindictæ cupiditate, breui, in itinere Boiemico Aldenburgum venire, ibiq; cum eo sic controuersiam omnem de Misnia & Osterlandia compositurum esse, vt nihil habeat quisquam, quod queratur amplius. Deinde Nassouium iubet arces & oppida imperij in Misnia & Osterlandia probè diligenterq;, vsque ad suum aduentum custodire. Venit tandem Aldenburgum Cæsar, accersit Fridericum, simulans se litem via æqua & commoda transacturum esse. Inuitat Fridericum ad cœnam, qui vbi aduenit, in mensa aßidens, à quodam sicario, quem Cæsar subornarat, stricto gladio inuaditur, Sicarius à Cæsare subornatus. *sed*

sed ictus ab astantibus ministris sic declinatur, vt vnus eorum in brachio vulneretur. Mox impetu in sicarium facto, in frusta sectus est, non absque tumultu. Marchio autem hospitis adminiculo, mutatisque vestibus sequente die euasit. Ministri verò, paucis exceptis, partim capti, partim interfecti sunt à Cæsarianis: qui tamen capti erant, non multò pòst auertendæ suspicionis caussa dimissi sunt. Philippus autem confirmatus à Cæsare in proposito perseuerat, & oppida quæ antea Friderico concesserat, Bornam, Oschaziam, & alia recuperat. Cæsar verò Fribergam profectus in fidem suam ciues recipit, priuilegijs donat, tributumque remittit.

Vvartburgum. *Interim Adelheida Alberti Landgrauij vxor, Friderici socrus non satis benignè à marito habita, cum Friderico conspirat, & vt Vvartburgo potiatur, efficit. Capitur in occupatione arcis etiam pater Albertus, sed dimittitur non multò pòst, ea conditione, vt filios nullo modo impediat in iure suo hæreditario. Sic amissa* Albertus eges & moritur miserè *prouincia, Albertus Erfurdiam se confert, & in*

& in monaſterio diui Petri victum cum 12. perſonis, quas ſecum habebat, quoad viuit, accipit. Vendiderat enim, oppignorarat, & donarat Erfurdenſibus pagos aliquot vrbi propinquos. Iccirco acceptus hoſpes illis erat.

Iſenacenſes à Cæſare opem petunt contra Fridericum. Is mandat præſidi ſuo, quem in Duringia habebat, item Erfurdenſibus, Northuſanis, & Mulhuſinis, vt coniunctis copijs Vvartburgum recuperent. Obſidetur igitur Vvartburgum, ſed fruſtra, renitentibus ſcilicet acriter his, qui in præſidijs erant. Commeatus tamen penuria in arce incidebat, quæ Fridericum eò impellebat, vt filiolam ante octo dies ſibi natam, cum nutricis & paucis alijs Tennebergam abduxerit: hoſte non priùs animaduertente, quàm cum ſpacium mediocre progreſſus eſſet. Adijt tunc affinem ſuum Henricum Brunſuicenſem ducem, ab eo commeatum & auxilium petiuit, atq; etiam impetrauit. Subuenit quoq; frater Dicemannus, & vicini comites atq; nobiles. Sic ergo commeatu & præſi-

præsidio munitum Vvartburgum hostis conatus omnes elisit, & præsidem etiā Cæsarium, comitem Vvildnouensem cepit, ac in vincula coniecit, in quibus quoq; mortuus est.

Dum Vvaltburgum ad hunc modum tuetur Fridericus, Cæsariani interea Gotham occupant, ipse verò Fridericus adiutus tot socijs oppida quædam in Duringia armis recuperat, & Erfurdensium, Vvimariensium, & Gleichensium rebus multum detrimenti importat. Dum Gotham Cæsariani circumsident, nouæ copiæ à Cæsare missæ adueniunt, quæ Marchionum ditionem miserè populantur & vastant. Tum Sangerhusium, adiuti ab Erfurdensibus, & Vvimariensibus obsident. Qua de re certiores facti Fridericus & Dicemannus, ilico obsessis subsidio veniunt, hostes verò soluta obsidione Vvimariam profugiunt. Hos insecuti Marchiones, Vvimariam acriter oppugnant, & ad deditionem tandem etiam compellunt. Captus est tunc comes Vvimariensis, & capitanei aliquot Erfurdensium. Cæsariani verò

Victoria Friderici.

fuga

fuga salutem petiuerunt, nec multò pòst Eckartsbergum circumsederunt, sed à Friderico oppreßi & profligati sunt. Dicemannus ex altera parte Bornam & alia oppida recuperauit, & Abbatem Pegauiensem, qui ad Cæsarianos defecerat, sic vltus est, vt templum S. Iacobi diripuerit, atq; incenderit. Abbas Pegau.

His confectis, Lipsiam in hyberna reuersus est Dicemannus, & in vigilia natalis Christi templum Thomianum ingressus, inter missam à sicario, quem Nassouius subornasse dicebatur, confossus est. Sepulcrum ei faciendum curauit Fridericus amplum & honestum, in templo Paulino. Adeò autem incensus hac cæde fratris fuit, vt vlcisci authorem, Philippum Nassouiensem penitus constituerit. Quem vt denuò interficeret manu sua, ardor quidam heroicus eum instigabat. Cum igitur cognouisset illum cum exercitu proficisci Luccam, omni vi atq; impreßione eum adortus est, & cum caßidem ei aptaret minister, dixit: alliga hodie tres regiones, vel nullam. Mox in hostem irruit, & stragem Dicemannus confossus.

ſtragem magnam edidit, tum ipſum etiam comitem fortè in conflictu conſpectum, inuaſit, & ictibus compluribus confoſſum de equo in terram deturbauit. Vnde exterriti milites trepidarunt, & quò ſe verterent non repererunt. Accepit in hoc prælio gens Sueuica tantam cladem, vt prouerbialiter dici conſueuerit, cum infortunium magnum imprecari alter alteri voluit: Idem tibi accidat, quod Sueuis ad Luccam, anno C. 1307.

Clades Sueuorum ad Luccam in Miſnia.

Sequente anno 1308. Cæſar caſu exercitus ſui dolens, monet ordines Duringiæ, vt res imperij curæ habeant, nec Duringiam iam ante ab Adolpho Cæſare emtam, alienari ſinant. De quo cum reſponſum nullum ferret, conſtituit ipſe Duringiam inuadere, ſed de ſpe conatuq́ depulſus eſt, & à propinquo, pupilloq́ ſuo confoſſus. Sublatis ad hunc modum hoſtibus Friderici, Iſenacenſes locum ad pacem & ad deditionem ſibi dari petiuerunt, eoq́ impetrato, in fidem recepti ſunt. Idem factum de reliquis ciuitatibus pleriſq́ & proceribus prouinciæ. Sic potitus Duringia,

Cæſar Alb. confoſſus.

Exitus belli felix.

gia, Misnia, & Lusatia Fridericus, opibus firmus, copijs locuples, gloria amplus extitit, anno C. 1309.

Reliquum erat certamen controuersiæ cum Erfurdensibus de pagis, quos ab Alberto Landgrauio emerant. Hos enim absq; consensu suo alienatos reposcebat Fridericus. At Erfurdenses adiuti à comite Gleichensi & Vvimariensi, tum à Northusanis etiam, & Mulhusinis, multum detrimenti afferebant Friderico, à quo tamen repressi tandem sunt, multosq́; de suis amiserunt, quos magno ære redimi oportuit. Capitaneus verò eorum Ludouicus de Güttern in carcere extinctus est. Erffurt.

Anno 1312. Vvoldemarus Marchio Brandenburgicus Lusatiam inferiorem, Misniamq́; vastare aggressus est. Nec deerant ab vlla parte hostes, qui Duringiam, & Osterlandiam diripiebant, Erfurdiani, Northusani, Mulhusini, Abbas Hirsfeldensis, comes Vvimariensis. Quorum impetum cum vno tempore nō posset frangere Fridericus, Marchionem Vvoldemarum aggressus est præ cæteris, & in Mar- Vvoldemarus marchio Brand.

chia incendijs & direptionibus longè lateq́ grassatus est. Vvoldemarus suis opitulaturus, Friderico occurrit cum exercitu, fit prælium ad Haynam, in quo Fridericus succumbit, & capitur. Hoc casu infesto Friderici animosiores facti Erfurdenses, auxilia noua petunt à Cæsare, quibus acceptis multum damni rebus eius dant. Fridericus ergo pacis conditiones Vvoldemaro fert, & dimittitur, datis 30000. marcis argenti, & ea parte inferioris Lusatiæ, quam Vvoldemarus antè occuparat. Hoc pacto Lusatia inferior in Marchionum Brandeburgensium potestatem venit.

Fridericus captus.

Lusatia inferior.

Stratagema Misnensium.

Etsi autem promiserat Fridericus Vvoldemaro inter alia, se filiam suam cum oppidis aliquot in Osterlandia & ditione tota ad Plissam daturum esse Alberto principi Anhaldino: tamen à subditis consensus impetrari non potuit, nisi à domino suo præsente id facere iuberentur. Veniri igitur oportuit in rem præsentem. Et cum subditi de aduentu Friderici cum Alberto Anhaldino, & copijs benè instructis certiores facti essent, clam copias & ipsi compara-

pararunt, & aduenientem suum dominum è manibus Anhaldini eripuerunt. Ipsum verò Anhaldinum captiuum duxerunt Aldenburgum, cum 200. nobilibus. Vnde dimissus non est, priusquam promissum coniugium cum pactis dotalibus rescinderetur, & captiuus confirmaret, se ut pax inter Brandeburgicos & Misnicos firma constansq; fieret, operam daturum esse.

Hoc modo liberatus Fridericus, omnes suos hostes sic vltus est, vt veniam petere coacti sint, Erfurdenses, Mulhusini, Northusani, Abbates item duo Hirsfeldensis & Fuldensis. Quam etiam incommodo suo magno & graui impetrarunt. Impedita erat in agro Duringico omnis cultura per annos septem. Vnde secuta est tanta annonæ caritas et fames, vt Erfurdiæ 136000 homines fame interierint. Factæ sunt in agro Erfurdiano foueæ quinq;, in quibus cadauera hominum mille octingenta fuerunt proiecta anno C. 1317. & 1318. Secuta verò est hoc diuturnum bellum, famem, & pestem, optata tandem tranquil-

Vastitas Duringiæ.

Fames & pestis Erfurd.

 litas,

litas, qua cœperunt agri iterum coli, oppida reparari, & omnia renouari. Albertus

Mors Alb.

Landgrauius anno C. 1314. mortuus est Erfurdiæ in summa egestate. Quanquam enim victum accipiebat à senatu illius vrbis: tamen cum diario non esset contentus, sæpe coactus est pluribus diebus esurire.

Fridericus morsus.

Fridericus verò filius Alberti, fortis, magnanimus, Duringiæ Landgrauius, Misniæ ac Libonotriæ Marchio, Palatinus Saxoniæ, genam à matre in summo angore & solicitudine admorsam gessit, & victis superatisq́ potentissimis hostibus, patre in primis, Ioanne Brandeburgico Marchione, duobus imperatoribus, Adolpho & Alberto, Vvoldemaro item Marchione Brandeburgico, omnibusq́ vicinis principibus, comitibus, & ciuitatibus, magnam quidem varietatem fortunæ expertus est, sed diuinitus tandem eluctatus victrici dextera se suasq́ ditiones tutatus est, & anno C. 1326. mortuus Isenaci sepultus est.

Fridericus grauis.

Fridericus grauis der ernste/ *& macer dictus,*

dictus, ob corporis maciem, quæ tamen animi vires non retardauit, Friderici fortis filius, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ anno C. 1347. Romanorum rex designatus est contra Carolum IV. cui tamen cessit non quidem expugnatus pecunia, tametsi 10000. marcis argenti ab eo donatus sit, sed vera permotus modestia, ne, si tam potenti ac dominandi imperandiq; cupido principi resisteret, imperium turbaretur, vel detrimenti aliquid caperet. Quanquam satius etiam esse iudicauit, suam ditionem bellis paternis conuulsam, & labefactatam pacare, quàm alienum imperium gerendum suscipere. Adiunxit ad prouincias suas Orlamundensem comitatum, pulso scilicet Hermanno comite, propter superbiam & fastum. Ex bonis tamen illius comitatus, quoad in vita remansit, victum ei attribuit. Emit quoq; dimidiam partem Salzensis ditionis in Duringia. Rem bellicam administrauit in Anglia contra Gallos, & cum propter rem præclarè gestam equitis aurati dignitate ornare eum Eduardus VI. An- Orlamund. comitatus.

glorum rex voluit, non repugnauit quidem, sed ab alio istum honorem se acceptu- rum esse negauit, quam ab eo, qui ipse res magnas gessisset, & nullum hostem vnquam reformidasset. Talem verò cum sibi monstrari rex petijsset, nobilem quendam suum, Duringum, Fridericum de Vvangenheim obtulit. Huic ergo mox potestatem creandi equitis aurati rex dedit, principisq; de suo subdito tam honorificam opinionem magnopere collaudauit.

Fridericus de Vvangenheim.

Pegauium inuitauit aliquando vicinos principes ac proceres, vt hilarè cum ijs viueret. Sed conuersa est præter opinionem lætitia in tristitiam. Nam cum luctari de equo voluit, ab Antagonista in sinu grauiter vulneratus est. Mortem obijt anno C. 1349. Sepultus verò est in monasterio Veterocellensi, cum vxore Mechtilde, Ludouici Bauari imperatoris filia, quæ biennio ante eum decesserat. Filios habuit quinq;, quorum vnus Ludouicus, archiepiscopus Moguntinus, præsul Halberstatensis ac Magdeburgensis in die Bacchanaliorum choreas duxit Calbæ ad Al-

Ludouicus.

bim,

bim, vbi exorto incendio è contignatione lapsus perijt, cæteris omnibus, numero trecentis incolumibus. Alter filius fuit Balthasar, Landgrauius Duringiæ, ex quo natus est Fridericus pacificus der friedfertige/ *Duringiæ Landgrauius, anno C. 1340.* Fridericus pacificus.

Fridericus strenuus, der gestrenge/ *Duringiæ Landgrauius, Misniæ Marchio, Albertum ducem Brunsuicensem à prædis, quas ex Duringorum fortunis capiebat, ad pacis studium reuocauit. Multas item arces & receptacula latronum, Eckhartsbergum, Friburgum, & Dornburgum euertit. Mortuus est anno C. 1380. Vxorem habuit Catharinam, Hennebergensis comitis filiam, cum qua Copurgi ditionem accepit.* Fridericus strenuus. Ditio Copurgensis.

Fridericus bellicosus, der streitbare/ *Friderici strenui filius, dux Saxoniæ, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ, fidelem operam nauauit Sigismundo imperatori in bello contra Boiemos, quos prælio memorabili & cruento ad Brixiam fudit, in quo 2000. Hussitæ mortem occubuerunt anno C. 1421. Quam ob caussam* Fridericus bellicosus. Brixia Brux.

ab imperatore donatus est præmio eo, quod summum est post imperatoriam maiestatem, & VIIuir imperij, Elector, & Marschallus designatus est Budæ in Vngaria, anno C. 1425. Fundauit cum fratre Guilhelmo academiam Lipsicam an. C. 1409. De cuius primordijs, incrementis, priuilegijs, & dignitatibus cæteris in oratione de munere Cancellarij à nobis dictum.

VIIuir.

Lips. Acad.

DE ELECTORATV SAXONIAE.

VIIuiralis dignitas ad familias V. translata.
1. Bilingi.
2. Supplinburgij comitum.
3. Baua.
4. Anhald.
5. Sax.
Bilingus.

TAmetsi principatus Saxoniæ penes Vuitikindæam familiam fuit: tamen VIIuiralis dignitas ad complures familias translata est. Primum quidem ad Hermanni Bilingi posteros deuenit. Bilingus autem nobilis fuit in Stipshorn vel Stubekeshorn, cuius opera Otho I. imperator vsus est primùm in filiorum suorum institutione, deinde in expeditione Italica contra Berengarium.

Cumq; fidem, industriam, & prudentiam illius multis rebus perspexisset, prætorem Magdeburgi eum fecit. A patre enim

enim sex mansos tantùm iure hæreditario acceperat, quorum colonos, quod in administratione infideles fuissent, suspendi iussit. Hac iusta seueritate tantum terrorem iniecit vicinis, vt vereri eum cœperint. Permouit eadem etiam Adeldagum Hamburgi episcopum, vt cum Cæsare in Italiam profecturus, diœcesin suam ei commendarit. Cæsar verò propter idem iter Italicum, Saxoniam illi commendauit regendam ac tuendam. In quo quidem officij munere, cum se fidum, nauum, solertem, & vigilantem præstitisset, & rem contra Danos & Slauos feliciter gessisset, ab eodem Cæsare ex Italia reuerso, Saxoniæ dux creatus est, & Luneburgensem ditionem à Gerone Brandeburgico Marchione relictam, iure hæreditario, cum Holsatia, Stormaria, Vvagria, & Ditmarsia accepit. Interim tamen nihilominus Henrici aucupis posteri Brunsuicensem ditionem, titulo Marchionum Saxoniæ possederunt. Hamburgi & Luneburgi multa suæ munificentiæ monumenta præclara post se reliquit. Sepultus est Luneburgi, an. C. 981.

Luneburgi ditio.

Bernardus elector I. ex Hermanni Bilingi posteris.

Bernardus, qui & Benno & Berno nominatur, Hermanni Bilingi filius, Saxoniæ, Angriæ, & Vvestphaliæ dux, dynasta Luneburgi, Othoni II. fidelem operam nauauit in expeditione Danica, Slauos deuicit, & Hazelonem, Bauariæ ducem, de spe conatuq́; imperij, quod affectabat, unà cum Cæsare Othone III. depulit. Itaque primus elector Saxoniæ designatus est. Henricum II. imperatorem oppugnauit quidem unà cum Eckhardo Misniæ Marchione, sed tandem à proposito destitit, eumq́; imperatorem elegit. Pius ac beneficus fuit erga ecclesiam & politiam, mortuus an. 1011. & sepultus Luneburgi.

Elector Sax.

Bernardus II.

Bernardus dux Saxoniæ, dynasta Luneburgi, II. elector Saxoniæ fuit, mortuus anno C. 1063.

Ortolphus III.

Ortolphus, vel Ortulphus III. elector Saxoniæ, Angriæ & Vvestphaliæ dux, Luneburgiq́; dynasta, arcem condidit Hamburgi, mortuus an. C. 1073.

Magnus IV.

Magnus, Elector IV. Saxoniæ, Angriæ, Vvestphaliæ, Holsatiæ, Stormariæ, & Ditmarsiæ dux, Luneburgiq́; dynasta,

Ortol-

Ortolphi filius, rerum gestarum magnitudine clarus, Slauos, prælio vicit, Lusatiamq́; imperij nomine recuperauit. Sed ab imperatore Henrico IV. affectus est exilio primùm, deinde coniectus in carcerem, ex quo nullis precibus liberari potuit. Causa erat, quod à Rudolpho Sueuo, imperatore pontificio contra Henricum IV. verum imperatorem stetisset. Mortuus anno C. 1106. sepultus Luneburgi.

Sublato ad hunc modum sine prole Magno, Electoratus Saxoniæ, tanquam vacuum feudum ad Lotharium comitem Lotharius. *Supplinburgensem & Arnspergensem ab Henrico V. translatus est. Etsi autem imperator postea, cum Saxones, & Lotharius propter tyrannidem ab eo defecissent, Hoiero Mansfeldiæ comiti ducatum & electoratum Saxoniæ tradere voluit, si operam suam ad comprimendos Saxones conferret: tamen victus est cum exercitu à Saxonibus, memorabili illo prælio, quod ad Vuelphonis syluam commissum est, in qua* Sylua Vvelphonis vel catularia. *ex vtraq; parte 45000. homines interierunt. Et inter hos etiam Hoierus Mansfeldius*

feldius ipse occubuit, Lotharius verò electoratum obtinuit, mox etiam imperium ipsum consecutus est, vt in millenarij sexti parte prima dictum est.

Henricus superbus de familia Guelphica, siue ducum Bauariæ.

Henricus superbus, Bauariæ dux, gener Lotharij Cæsaris, Saxoniæ dux, & Luneburgi Brunsuigiiq́ dominus, primus in hac familia creatus est elector Saxoniæ à socero Lothario Cæsare. Auctus igitur tantis opibus & honoribus Bauariæ & Saxoniæ, superbum sese præbuit in fortuna, & in spem obtinendi imperij, socero mortuo, inductus est. Iccirco insignia imperij apud se retinuit, nec alij vlli ea concedere in animo habuit. Propter hanc superbiam inuisus cunctis principibus in electione imperatoris præteritus est, & designatus imperator Cunradus, Friderici Sueuiæ ducis filius. Henricus verò, accepta hac repulsa, sic exarsit iracundia, vt comparato exercitu, imperatorem ad Augustam circumsederit. Hic verò communicato cum proceribus imperij consilio, proscripsit illum. Ita desertus Henricus ab omnibus socijs, de conatu depulsus est, & à bello destitit.

Cæsar

Cæſar verò iuſta ſeueritate hanc inſolentiam vindicauit, & Saxoniam Alberto Vrſo, Marchioni Brandeburgenſi, Bauariam verò Leopoldo Auſtriæ duci, fratri vterino dedit. Henricus ducatu vtroq; priuatus, cum exercitu properat in Saxoniam, vt eam pulſo Vrſo recuperet. Sed miſer, poſtquam rem habere cœpit, mortuus eſt anno C. 1131.

Henricus Leo, Bauariæ dux, Saxoniæ elector II. Superbi filius, propter animi grauitatem & altitudinem ſic dictus, ab Albi vſq; ad Rhenum, & ab Hercynijs iugis ad mare Balthicum dominatus eſt. His opibus nimijs elatus, alios deſpexit, & inuidiam magnam ſibi parauit. Itaque etiam in multa varietate fortunæ verſatus eſt. Bella difficilia geſsit contra Henetos primùm, deinde in Italia, cum Romæ Fridericum Barbaroſſam ex faucibus furentium Romanorum eripuit, & 1166. ſeditioſos occidit. Inde reuerſus Friſios oppugnauit, epiſcopatum Lubecenſem, Razenpurgenſem, & Suerinenſem condidit. Ratisbonæ Danubium ponte iunxit, &

alia penè innumerabilia laudatè fecit. At à vicinis tamen principibus, comitibus, & episcopis non abstinuit, sed multis modis eos vexauit. Quin in Cæsarem etiam ipsum Fridericum iniquo infestoq; animo fuit. Quem cum in Italiam secutus esset cum exercitu, in obsidione Alexandriæ nouæ vrbis, præter spem & opinionem deseruit, nec precibus vllis imperatoris, vt maneret, flecti potuit: detestatione, seu banno pontificio se deterreri simulans. Iccirco reuersus in Germaniam Fridericus Henricum maiestatis reum citauit, & lata sententia damnauit. Damnatus in Angliam profugit, ad socerum, vbi triennium mansit. Prouinciæ verò eius & ditiones alijs datæ sunt. Bauaria quidem Othoni Vvitelsbachio Palatino, Saxonia verò Bernardo Anhaldino, aliæ alijs. Excepta Brunsuigo & Luneburgo, quæ Leoni reseruata sunt. Reuersus ab exilio, recuperare quidem conatus est sua, sed obtinere nihil potuit. Etsi enim Cæsarem aliquo modo placatum habebat: tamen vicini eum oderant, nec emergere è vadis patiebantur.

bantur. Palæstinam adijt, & magnificentiam suam abundè illic declarauit. Repudiata vxore, aliam duxit, & tandem pertæsus vitæ huius molestæ, in aliam Brunsuigæ anno C. 1195. migrauit.

Bernardus Alberti Vrsi Marchionis Brandepurgici filius, ex principum Anhaldinorum gente nobilißima natus, anno C. 1180. in conuentu Vvurcepurgico, à Friderico I. imperatore, dux & elector Saxoniæ pronunciatus, vtramq; ditionem, Saxonicam & Brandeburgicam ad Anhaldinam familiam transtulit. Sic Vrsus Ascaniæ ad Harciniam comes trium amplißimarum familiarum in Germania, Saxoniæ ducum veterum, & Leopurgensium, Marchionum Brandepurgicorum, & principum Anhaldinorum conditor extitit. Ex Alberto enim Bernardi filio, natus Albertus II. Electorum Saxoniæ veterum stirps, Ioannes verò eiusdem Alberti filius, Alberti II. frater, Ducum Saxoniæ Louenpurgensium, Henricus deniq; Bernardi filius principum Anhaldinorum in Bernburgk, Seruesti, & Dessæ origo fuit. Bernardus I. Elector Sax. de stirpe Anhaldina. Vrsus.

Porrò

Porrò dux & elector Saxoniæ factus Bernhardus, etiam trabium auratarum & nigrarum, rutaceiq́ serti insignia ab imperatore accepit. Cum enim orasset Cæsarem, ad pedes eius abiectus, vt aliquo ornamento præter fratres, qui stratoria ligna in clypeo transuersa colore atro ac giluo variata gerebant, insigniretur: imperator rutaceam coronam, qua erat ornatus in æstu, ex obliquo iniecit supplicantis clypeo. Hoc sertum est illud, quod hodie vsurpat Saxonica & Anhaldina familia. Quæ verò fuerint vetera ducum Saxoniæ & Anhaldinorum insignia, Cranzius lib. 8. cap. 2. Sax. recenset. Acta huius electoris multa & præclara sunt: sed nullum præclarius est, quàm quod Henrico VI. imperatori restitit, cùm imperium hæreditarium efficere voluit, eoq́ rem hic Bernhardus adduxit, vt deinceps nemo id tentare audeat. Mortuus est an. C. 1212. Mansit autem electoralis dignitas penes Anhaldinam familiam annis 253.

Insignia Sax.

Albertus I. *Albertus I. Bernardi filius, dux & Elector*

Elector Saxoniæ, Vuestualiæ & Angriæ, in Liuonia armis delere ethnicam religionem studuit. Friderico II. militauit, cumeoq́ Palæstinam adijt, & Asiam Aegyptumq́ nominis sui fama impleuit. Mortuus anno C. 1260.

Albertus II. dux & elector Saxoniæ, &c. Guntherum archiepiscopum Magdepurgensem armis oppugnauit, tandemq́ in tumultu vulneratus, vel in electione Alberti imperatoris, turba hominum circumfusus, interijt, anno C. 1297. Albertus II.

Rudolphus I. Alberti II. filius, dux Saxoniæ, Angriæ, Vuestualiæ, comes Brenæ, Burggrauius Magdepurgensis, sacri Rom. imperij Marschallus, & elector, an. C. 1313. belli paterni reliquias contra Guntherum, archiepiscopum Magdepurgensem persecutus est, sed pacem non multò pòst cum eo fecit. Ditionem Brandepurgensem, mortuo Vuoldemaro, sibi vendicauit, sed Ludouicus cognomento Romanus eam obtinuit. Ludouicum Bauarum in electione imperatoris grauiter quidem offendit: sed tandem ei reconciliatus Marchionatum Rudolphus I. Burggrauius Magdepurg.

Landſpergi veteris in Marchia ab eo accepit. Apud imperatores in primis gratioſus fuit, mortuus anno C. 1356.

DE BVRGGRAVIIS MAGDEBVRGENSIBVS.

PRimus eſt hic Rudolphus Saxoniæ dux Magdepurgenſis Burggrauius inter Electores Saxoniæ. Eſt autem Burggrauius iudex ex arce imperatoris, tanquam ex ſede ordinaria, ius dicens, ſeu conſilia publica conſtituens atq; gubernans. Sicut Marggrauius præſes limitaneus. Palatinus verò, qui bello partis atq; pacatis prouincijs ius dicit. Videturq; hæc dignitas cum Saxonum imperio cœpiſſe. Otho enim imperator primum Burggrauium Magdepurgenſem fecit, Geronem Luſatiæ Marchionem. Huic ſucceſſerunt Hermannus Saxoniæ dux, Lotharius comes de Vvaldeck, Fridericus Lotharij filius, Cunradus Lotharij nepos, Manfredus Cunradi frater vterinus, Ditericus comes Plocenſis, Vdo Marchio Brandepurgicus, Henricus Vdonis filius, Burckardus nobilis dominus in Quern-

Burggrauius.

Marggrauius.

Palatinus.

in Quernfurt, electus à Lothario imperatore. Post Burcardum ab alijs recensentur in hoc ordine Burggrauiorum, Burcardus II. Burcardus III. Gebhardus, Burcardus senior, & iunior, dynasta Querfurdensis, & comes Mansfeldius. Ab alijs post Burcardum Querfurdensem ponuntur Domini de Schrapela, à quibus translata est hæc dignitas ad Saxones, quorum primus fuit hic Rudolphus, Alberti II. filius. Fuit autem hæc Burggrauiorum dignitas, cum vicino oppido Gommern an. C. 1292. vel vendita, vel oppignorata ciuitati Magdepurgensi viginti duobus millibus aureorum. Quos Ioannes Fridericus Saxoniæ dux elector anno C. 1538. exoluit, & oppidum Gommern redemit, tum Burggrauij Magdepurgensis titulum vsurpare cœpit. Albertus verò archiepiscopus Magdepurgensis & Cardinalis Burggrauij iura in Salinis Saxonicis, & in vrbe Magdepurga impediunt. Iccirco arbitri sunt statuti inter ipsum & electorem, nempe Saxoniæ, Brandepurgi, & Hassiæ principes. Qui cum Seruesti conuenissent, Car-

dinalis literas Caroli V. imperatoris protulit, quibus controuersia de Burggrauiatu Magdepurgensi, tanquam de feudo imperiali ad ipsum imperatorem reuocabatur. Ita tunc agi & effici nihil potuit. Anno C. 1551. Magdepurgum, soluta obsidione, in fidem imperij & suam recepit Mauritius Saxoniæ elector, in qua etiam permansit vsq; ad annum C. 1579. quo Augustus elector cum Administratore Magdepurgensis archiepiscopatus de re tota pactionem fecit in hunc modum. Cessit Augustus Ioachimo Friderico iure eo, quod Carolus V. confecto bello Magdepurgico, ad Mauricum electorem transtulerat. Ioachimus Fridericus vicissim Augusto concessit titulum Burggrauij Magdepurgensis, cum possessionibus ad eum pertinentibus, quibus etiam comprehenditur præfectura Gomerensis, prope Magdepurgum sita.

Rudolphus II. *Rudolphus II. Saxoniæ dux elector, &c. rem bellicam administrauit in Gallia, templum cathedrale fundauit, Vuitebergæ, Lunepurgensem ducatum iure clien-*

clientelæ cum nepote suo ex fratre, & Vvenceslao fratre Germano accepit à Carolo. Mortuus sine liberis anno C. 1370.

Albertus dux Saxoniæ, Angriæ, Vvestualiæ, elector, Lunepurgensem ditionem & vrbem in potestatem suam, frustra aduersante Magno catenato Brunsuicensium duce, redegit. In oppugnatione arcis Ricklingensis saxo ex funda proiecto periit. anno C. 1381. Albertus.

Vvenceslaus I. Saxoniæ, Angriæ, Vvestualiæ ac Lunepurgi dux, elector anno C. 1388. in oppugnatione arcis Zellensis periit. Vvenceslaus.

Rudolphus III. Saxoniæ, Angriæ, Vvestualiæ & Lunepurgi dux, elector, post multas res prudenter magis, quàm feliciter gestas, ab electione Ruperti Palatini imperatoris domum rediens in itinere à comite Vvaldeccio vulneratus est, ex insidiis archiepiscopi Moguntini Ioannis Nassouiensis comitis. In legatione verò ad Boiemos, veneno extinctus putatur, anno C. 1418. Rudolphus III.

Albertus Vvenceslai filius, Saxoniæ, Albertus.

 &c. dux,

Quidam hunc vocant Tertium.

&c. dux, elector, postremus Anhaldinorum, & Ascaniæ principum, qui electoratum Saxoniæ gesserunt. Infelix nimiùm, qui cum delectationis causa in saltibus Lochauijs cum vxore & gynæceo venaretur, noctu in casulam rusticam diuertit. Vbi exorto incendio nudus aufugit, & ex terrore post paucos dies expirauit. anno C. 1422. sepultus Vviteberga.

Certamen de electoratu Sax.

Relicto hoc modo sine hærede electoratu, agnatus Alberti mortui, Ericus III. Saxoniæ, Angriæ & Vvestualiæ dux, Lunepurgi dominus, in se & familiam suam deriuare eum conabatur. Ambibat eundem etiam Ludouicus Palatini elector. Fridericus verò Brandeburgicus Marchio & elector, ditionem Saxonici electoratus in potestatem suam redigebat. Sed quod optimè merito de imperio Friderico Duringiæ Landgrauio & Marchioni Misniæ à Deo & vicario eius Cæsare destinatum erat, id etiam ratum esse oportuit. Inuestitus est igitur Fridericus bellicosus à Sigismundo imperatore, an. C. 1424. mortuus verò an. C. 1428. sepultusq́; Aldenpurgi.

Fridericus bellicosus primus elector ex Vvitikindæa domo, de stirpe comitum Vveiinensium & Marchionũ Misniæ.

Digna

Digna est eius oratio posteritatis omnium seculorum memoria, quam ad filios suos Fridericum & Vuilhelmum paulò ante mortem suam habuit: Prope adest iã, filij carissimi, tempus & hora discedendi ex hac mortali in immortalem vitam. Etsi autem in alienum & periculo plenum tempus, propter Boiemicum bellũ discessus meus incidit: tamen res omnis diuinæ voluntati, quæ mala esse non potest, committenda est. Vos modò date operam, vt patriam in pace & tranquillitate conseruetis. Quod futurum esse planè mihi persuadeo, si in timore Dei, & fraterna caritate atq; concordia vixeritis, subditos bona fide defenderitis, & commoda eorum pro virili auxeritis. Quapropter vos summopere hortor, vt in religionis controuersia quæ suscitata est, viros pios & erditos consulatis. Consiliarios verò adhibeatis non ambitiosos, & qui quæstui habeant rempublicam. Nolite subditos grauare vllo onere aut exactione noua. Si cui commodare vultis, facite id absq; alterius incommodo, nobiles ita tractate, vt beneuo-

Oratio Friderici ad filios.

los & faciles habeatis. Facinus nullum dimittite inultum atq; impunitum. Vbi verò spes emendationis est, ignoscendi locum & veniam date. Si quis in offensionem vestram ceciderit, modum seruare mementote. Decet enim principum iracundias placabiles esse. Arma nunquam induite, nisi summa exigat necessitas. Subditis vos præbete patres, non tyrannos, quos natura ipsa odit ac detestatur. Recordamini Friderici morsi, agnati vestri, qui tribus imperatoribus quidem sese opposuit, sed non aliam ob causam, quàm vt patriam defenderet. Maiores nostri necessaria bella gesserunt, sed commodi parum inde ceperunt. Quantum verò detrimenti afferat belli cupiditas temeraria, exemplum Alberti Landgrauij satis demonstrat. Quocirca vehementer vos adhortor, vt concordes sitis, alter alteri cedat & condonet, quæ res vobis erit murus contra omnes hostiles impetus, qui non procul à vobis absunt. Tu quidem Friderice, decus VIIuirale sic tuere, vt me vidisti illud gerere, vt imperio gratus & acceptus

ceptus sis. Tu verò Vuilhelme, fratrem tuum natu maiorem verere. Id tibi honori & emolumento erit. Mandate filij carißimi, hanc paternam meam admonitionem mentibus & memoriæ vestræ, neq; sinite vos vlla re distrahi aut diuelli. Quod datis dextris, quæ fidei testes esse solent, mihi confirmabitis. Hoc facto non multò pòst placidè pieq; expirauit.

Fridericus II. placidus, Der gütige/ *Saxoniæ dux elector, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ, natus Misnæ an. C. 1411. Boiemorum impetum in Misniam sic compreßit, vt victoriam ab illis reportârit. Bellum quoq; contra Fridericum Magdepurgensem archiepiscopum inferre in animo habebat. Sed ab eo destitit, vt supra de archiepiscopis Magdepurgensibus dictum. Cum fratre Vuilhelmo natu minore in diuisione hæreditatis certamen longum & difficile habuit, de Duringia præsertim, quam vterq; summa cupiditate expetebat. Hinc bellum intestinum graue exarsit, quod plurimum detrimenti prouinciæ toti attulit. Misnia equidem*

Fridericus II.

Certamen de diuisione hæreditatis.

à Boiemis & marchicis, qui Vvilhelmi partes ſequebantur, miſerè vaſtata eſt. Contra verò Duringia à Friderico direpta eſt. Compertum eſt vno die pagos 60. exuſtos eſſe. Cum ad pugnam & manus iam veniendum eſſet, & acies vtrinq; in Duringiæ finibus inſtrueretur: inuentus eſt in Friderici exercitu ſclopetarius, qui promiſit, ſe Vvilhelmum ducem globo traiecturum eſſe, & finem belli facturum, ſi permittere vellet Fridericus. Sed reſpondit magno animo Fridericus, Feriat ſanè is, quemcunq; voluerit, modò fratri meo parcat. Hic ſermo ad Vvilhelmum allatus, adeò incendit eum, vt depoſita omni acerbitate & ſimultate, in gratiam cum illo redire cogitauerit. Remotis igitur arbitris, ipſi ſoli ex caſtris in colle quodam conuenere, & breui colloquio habito alter in alterius collum inuaſit, & complexu mutuo fraternam coniunctionem renouarunt, atq; confirmarunt. Paulò pòſt Mulhuſij controuerſia omnis diremta eſt, anno C. 1450. Sequente anno Fridericus Lipſiam ad celebritatem bacchanaliorum inuita-

Quidam ſcribunt Numburgi in cœnobio S. Georgij litem eſſe diremtam atq; compoſitam.

uit

uit Vuilhelmum. Quo cum venire Vuilhelmus vellet, admonitus est à suis, ne nimium fideret reconciliato inimico. Quibus respondit ille, de fratre meo nihil suspicor: & tamen si quid aduersi acciderit, libenter mortem subibo, si prius vos videro extinctos, qui autores mihi ad tantum incendium fuistis. Sed bellè deinceps inter hos fratres conuenit, nec discordia ulla deprehensa est aut cognita. Autores verò siue architecti discordiæ inter fratres pœnas iustas ac graues dederunt. Vuilhelmus porrò delatum ad se Boiemiæ regnum renuit, & Georgio Podiebracio cessit, profectus est in terram sanctam, adductis secum comitibus 94. reductis verò equitibus auratis 64. Mortuus est Fridericus anno C. 1464. sepultus Misnæ, Vuilhelmus verò è vita cessit anno C. 1483. sepultus Vimariæ. Vuilhelmus rex Boiemiæ electus.

Ernestus dux Saxoniæ elector, Duringiæ Landgrauius, Misniæ Marchio, Friderici II. filius, natus anno C. 1441. fratrem habuit Albertum. Horum alter 12. alter 14. annos natus fuit, cum ex arce Aldenpurgica Ernestus.

purgica

purgica rapti sunt, anno C. 1455. hoc modo. Erat quidam nobilis Cunradus Kauffungus, qui aulæ Friderici magister quondam, & Norimbergensis reipub. capitaneus fuerat in bello contra Albertum Marchionem. Sed in bello Friderici contra Boiemos ab hoste captus fuit, cum alio nobili Nicolao Pflugio. Ac Pflugium quidem princeps elector Fridericus ab hoste redemit, Kauffungo autem reddere pecuniam, qua se redemerat, noluit. Idq́ sic excusauit, quod in bello isto non feudi nomine, sed stipendij caussa militasset. Quod molestè ferens Kauffungus, occultè & apertè minatus est, se hanc iniuriam in principe ipso, vel sanguine eius vlturum esse. Quas tamen minas tanquam imbecilli hominis aliquantisper contemsit elector: vide, inquiens, Cunrade, ne pisces mihi in piscina exuras. Postea tamen exilio eum multauit, bonaq́ illius fisco attribuit.

Rapti principes ex arce Aldenburg.

In exilio autem cum Vicethumis de Apolda, qui & ipsi proscripti erant, & in Boiemia ætatem degebant, consilia communi-

municauit Kauffungus, & hoſtem Friderici ſe eſſe declarauit. Mox alios nobiles, Vuilhelmum de Moſen, & Vuilhelmum de Schonfels ad ſocietatem facinoris illicit. Initio autem præmittit quendam exploratorem, qui in culina Friderici miniſtrum ſe præbeat, & quicquid agatur, ad ipſum referat. Fortè euenit, vt Fridericus Lipſiam proficiſcatur, relictis Aldenpurgi coniuge & liberis, quos comiti à Barby commendat. Peropportunum hoc viſum fuit Kauffungo. Ideoq́; ſtatim equites 35. pedites 10. coëgit, & 2. Iulij ad arcem, nocte intempeſta inter vndecimam & duodecimam horam venit. Parata erant ad aſcendendum omnia. Facilè igitur ope exploratoris ſui, culinæ miniſtri, per feneſtram in arcem inuadit, rectà cubiculum principum iuniorum petit, idq́; etiam ſine negocio aperit: præſertim cum, vt fit, domini vbi abſunt, aulici miniſtri penè omnes in vrbe potarent. Erneſtus de ſomno excitatus, vocat virginem, quæ diu in aula principes iuniores curarat: ô mea, inquiens, Cunradus Kauffungus adeſt, & vult

vult me occidere, indica statim matri, vt nobis opem ferat. Kauffungus verò ostia omnia sic obstruxerat, vt exire nemo posset. Iubet tamen tacere Ernestum, incolumitatem promittens, si pareat, vim verò minitans, si clamet. Eodem modo etiam eos, qui cum principibus erant, minis compescit, vt taceant.

Qui autem in cubiculo principum fuerint, certum satis non est. Kauffungus sua manu arreptum Ernestum abducit, Albertum verò socio suo de Mose commendat. Sed is pro Alberto, qui in tanto terrore sub lecto sese occulebat, puerum alium, comitem de Barby apprehendit. Quem vbi Kauffungus agnouit, ilico per arcem denuo transit in cubiculum, & Albertum aufert. Ita ex arce per portam ambo principes educuntur. Mater etsi cubiculo exire non poterat, tamen quid fiat perspicit, & Kauffungum in area aulæ inclamat: Mi Cunrade, inquiens, noli me ita perturbare, & dominum meum. Mihi crede, omnes res tuæ benè se habebunt. Cunradus verò nihil territus hac voce

cum

cum Alberto, quem equo imposuerat, rectà in Boiemiam contendit, & mane ad Grunhain monasterium peruenit. Reliqui duo eius socij Ernestum eodem modo in Franciam rectà ducunt.

Interim in aula & vrbe luctus & mœror exoritur, nullaq́; interposita mora, quid factum sit, patri significatur. Aulici verò statim in omnibus pagis & oppidis, dato per campanas signo, insequi raptores cœperunt. Quod Kauffungus audiuit quidem, sed quia syluæ appropinquabat, facilè se euasurum sperabat. Antequam verò syluam attigit, Albertus famem & sitim tantam se habere dicit, vt sine incommodo valetudinis progredi nequeat. Processerat enim iam à media nocte vsq; ad meridiem, sine cibo & potu, & quidem equo vectus succussario. Descendit igitur Kauffungus cum eo, fraga decerpturus, quibus famem sitimq́; depellat Albertus. Interim iubet socios suos quinq; pergere. Etsi autem verisimile est, Albertum sensisse famem in hoc itinere, tamen aiunt, eum postea confessum esse, potuisse se quidem conficere

ficere iter reliquum sine cibo, sed simulasse famem, vt Kauffungum retardaret, & insequentibus spacium daret. Dum autem fraga decerpit Kauffungus, fruticeto implicatus calcaribus adhæret, iacensq́ sese extricare non statim potest. Aduenit fortè carbonarius, cane suo in eum locum ductus, qui Kauffungum intuens loricatum, quærit qui sit, & quo puerum abducere velit? Respondit Kauffungus, contumax est puer, aufugit à domino suo, iccirco reducere eum volo. Albertus verò clanculum insusurrat carbonario, princeps Saxoniæ ego sum, libera me, pater meus cumulatè pensabit. Audiuit hæc verba socius Kauffungi, quem vnicum habebat secum, & stricto gladio inuasit Albertum, parumq́ abfuit, quin vulnerasset. Carbonarius verò runcina Kauffungum adortus verberasset grauiter, nisi Albertus prohibuisset. Hac concertatione commotus canis Carbonarij, latratu suo vxorem carbonarij incitat, vt suspicetur hostem adesse, itaq; mox signo dato efficit, vt accurrant vndiq; carbonarij, & Kauffungum capi-

ant.

piant. Albertum verò atro pane & aqua refectum ad Abbatem Grunhainensem ducunt. Qui vbi rem cognouit, statim reliquos Kauffungi socios quinque capiendos curat. Qui etiam eodem die a Vito de Schonpurgo, domino in Glaucha capti Zuiccauiam perlati sunt.

Socij Kauffungi, qui Ernestum abduxerant, conterriti rumore de liberatione Alberti, desperantesque rebus suis, ad dominum Vitum de Schonpurgo mittunt, redituros sese pollicentes Ernestum, si vitæ incolumitas ipsis promittatur. Dat fidem Schonpurgius, electoris nomine, reducitur que Ernestus ad ipsum, Inde ad matrem ambo ingenti gratulatione atque lætitia redeunt. 14. Iulij conuenerunt Chemnicij pater elector, & mater. Postero die Ebersdorffium profecti, gratias Deo egerunt, pro conseruatione filiorum in tanto periculo. 16. die Aldenpurgum reuersi lætitiæ signa multa ediderunt. Kauffungus verò capite truncatus est Friberga. Et si enim elector pro innata sua clementia deprecanti vitam condonare voluit: tamen priusquam

 diplo-

diploma redditum fuit, ob clausas vrbis portas, supplicio affectus est. Socij eius, omnesq́ facinoris conscij partim Zuiccauiæ, partim Aldenpurgi pœnas meritas persoluerunt. Vestes principum iuniorum in templo diuæ Mariæ, quod est Ebersdorffij suspensæ sunt.

Bella Ernesti & Alberti.

Bella vterq; Ernestus & Albertus gesserunt, memorabilia quidem, sed nihil est laudabilius, quàm quod Ernestus vnà cum Ioanne Marchione Brandepurgico tres reges potentes, Casimirum Polonum, Ladislaum Boiemum, & Matthiam Vngarum, Germaniæ imminentes, sapientia & comitate magis quàm armis repulit, vt infra de marchionibus Brandeburgicis dicitur. Mortuus est Ernestus an. C. 1486. in arce Choldicia, quam extruxit, sepultus Misnæ.

Albertus.

Albertus III. frater Ernesti, cognomento animosus, dux Saxoniæ, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ, & gubernator Frisiæ, natus anno 1443. Friderico III. imperatori fidelem & strenuam operam nauauit ad Nußiam, contra Carolum

Burgun-

Burgundum. Vbi præfectus vexillo decumano, ducis animosi nomen & decus consilio, integritate, ac virtute promeritus est, an. C. 1475. Palestinã inuisit an. C. 1476. Iterum Friderico imperatore in summas angustias à Matthia Vngariæ rege adducto, expeditionem in Austriam suscepit, & quamuis impar Matthiæ numero & multitudine esset; tamen ad amplectendum pacis conditiones, quas ferebat, eum adegit. Quo quidem in casu aiunt Matthiam dixisse, solum Albertum sibi obstitisse, ne in mediam Germaniam castra locasset, anno C. 1487. Signifer imperij.

Duo item bella in Belgio gessit, vnum pro Maximiliano imperatore auunculo, vt contumeliam à Brugensibus ipsi illatam vlcisceretur. In hac expeditione Grunbergam vi expugnauit, Thamum ex improuiso aggressus in potestatem suam redegit, & ad pacis consilia cõpulit. Bruxellam quidem obsedit, sed deficiente pecunia, ac tumultuantibus militibus desistere coactus est. Milites verò rebelles ac seditiosi in oppugnatione Arschoti magna ex Bella Belgica.

parte interierunt. Etsi autem Arschotiensium magna fuit insolentia: tamen in ipso luxu oppreßi sunt, & vrbs è ciconiæ nido erumpente igni exusta est. Horum exemplo tristi Thenenses, Bruxellenses, & Louanienses de pace ad eum legatos miserunt. Quibus tandem, re benè deliberata, certis conditionibus, si se suaq́ omnia dedant, & multam soluant, veniam pollicitus est. Hic exitus fuit belli, quod in Belgio Albertus imperatoris nomine geßit. A Cæsare verò officij præmium ac fructum amplißimum cepit, quando in conuentu Norimbergensi, ann. 1519. propter merita in se & imperium maxima, aurei velleris insigne ei tribuit.

Aurei velleris insigne.

Secutum est aliud bellum, quod in Belgio geßit Albertus, quo Vvordam, Monfortum, Harlemum in potestatem suam redegit, Ziricæam in fidem amicitiamq́ recepit, & Gandauenses pacem petere, Slusam verò sese dedere coëgit. Cum autem sumtus belli à Cæsare repeteret, promißis tamdiu protractus est, donec Cæsarem ipsum in agro Mediolanensi cõuenit, à quo

tan-

tandem laborum omnium mercedem accepit Frisiam, cui filium suum Henricum præfecit, cum annum ageret ætatis decimum septimum. Hic obsessus ab infidis subditis, in vitæ discrimen venit. Quare pater accurrit iratus, filiumq́; liberat. Sed dum in Groningenses arma vertit, & de pacis conditionibus cum ijs agit, febri arreptus, Emdam deportatur, vbi mortuus anno ætatis 56. Misnam translatus est, ibiq́; humatus. Hunc Albertum dexteram imperij in diplomate quodam appellauit Innocentius VIII. pontifex. Milites verò Belgici Rolandum propter corporis eximiam speciem nominabant. Est autor insignis, qui scribit hunc Albertum an. C. 1500. ad suscipiendum Boiemiæ regnum vocatum esse. Henricus Saxo.

Fridericus III. sapiens, dux Sax. elector & Archimarschallus imperij, Landgrauius Duringiæ, Marchio Misniæ, Burggrauius Magdepurgi, pacem in primis coluit. Itaq; consiliorum Maximiliani imperatoris de pace publica, & de iudicio cameræ constituendo, socius & adiutor fuit. Fridericus sapiens. Pacis studium.

Cum in bello Bauarico, quod in annum C. 1504. incidit, Philippus Palatini princeps VIIuir, à Maximiliano Cæsare proscriptus, à cunctis imperij ordinib. oppugnaretur: interposuit sese Fridericus, eumq́ in gratiam apud Cæsarem reduxit, vt supra in Bauaricis rebus dictum est. Trium imperatorum, Friderici III. Maximiliani I. & Caroli V. socius fuit, & in comitijs conuentibusq́ imperialibus triginta studium, fidem, sapientiam, industriamq́ suam declarauit.

Literarum amor.

Literarum verò studia liberalissimè fouit. Iccirco Academiam Vuittenbergensem an. C. 1502. instituit, fouit, & amplificauit. Ex qua tanquam ex augusto sacroq́ fonte riuuli cœlestis doctrinæ, eloquentiæ, & disciplinarum optimarum in omnes gentes ac nationes Christiani orbis largè affatimq́ manarunt. Quæ etiam ecclesiæ & repurgatæ doctrinæ sedes & officina clarissima, metropolis deniq́ omnium penè in Germania scholarum extitit.

Academ. VVitteberg.

Inspector autem siue Cancellarius Academiæ Vuitebergensi datus est à pontifice

Rom.

Rom. Iulio II. Grosuuinus de Orsoy, præceptor domus Antonij Lichtebergensis ad Albim sitæ prope Brettinam.

An. C. 1519. in electione Cæsaris Francofurti, delatum ad se imperium modestissimè recusauit, vt in historia Caroli V. dictum. Electus Imperator.

Emendationem doctrinæ religionis à Luthero susceptam, neq; suasit, neq; admodum defendit, sed cursum tamen illius, quem diuinitus gubernari perspiciebat, impedire noluit. Hospitium duntaxat & patrocinium Luthero & eius socijs tribuebat, vt abusus & errores horrendos, qui in ecclesiam inuecti erant, corrigere, & lucem veritatis libertatemq; secundum Dei verbum restituere possent. Scripsit enim Lutherus ipse, se ad opus hoc diuinum, quod aggressus esset in nomine Dei, non egere principis aut potentis vllius ope & adminiculo. Itaq; ne requirere quidem aut implorare auxilium Friderici voluit: sed, vt in causa diuina, diuino duntaxat consilio & auxilio niti satius esse existimauit. Literis & nuncijs pontificiorum Emendatio doctrinæ cœlestis.

de tollendo Luthero ſolicitatus & fatigatus modeſtiſſimè reſpondit: ſe Lutheri inſtitutum improbare non poſſe, niſi teſtimonijs & firmamentis ſcripturæ conuincatur. Legit quoq; libenter ſapientum ſcripta, indeq́; ſententias memorabiles excerpſit, quas in grauiſſimis deliberationibus vſurpauit. Nephritide tandem extinctus eſt Lochauiæ, cœlebs, die 5. Maij, an. 1525. ſepultus Vuittenbergæ in arcis templo. Huius dicta memorabilia ſunt: Moderata durant. Rubedo veſpertina & cōſilia matutina ſunt durabilia. Conſilij expers vis mole ruit ſua. Quo plura poſſis, plura patienter feras.

DE ARCHIMARSCHALLO IMPERII ROMANI.

ARchimarſchallus dignitatis & officij nomen eſt, ex græco ἀρχὸς princeps, vel ἄρχω principatum teneo, mara, id eſt, equa, & ſchall vel ſchalck, id eſt, miniſter, vnde compoſitum fit archimarſchallus, quaſi princeps ſeu præfectus prætorio, ſeu equitum magiſter, gallicè conneſtabel, oberſter ſtallmeiſter/ſiue magiſter palatij.

Talis

Talis est princeps elect. Saxoniæ, cuius officium in aurea bulla Caroli IV. sic describitur: Imperatore in solio imperiali sedente, dux Saxoniæ officium suum hoc modo agat. Ponetur ante ædificium sessionis imperialis aceruus auenæ tantæ altitudinis, vt pertingat vsq; ad pectus vel sellam equi, super quo sedebit ipse dux: & habebit in manu baculum argenteum, & mensuram argenteam, quæ simul faciant in pondere duodecim marcas argenti: & sedens super equo primò mensuram eandem de auena plenam accipiet, & famulo primitus venienti ministrabit eandem, quo facto, figendo baculum in auenam, recedet, & vicemarschalcus eius, puta de Pappenheim, accedens, vel eo absente, marschalcus curiæ vlterius auenam ipsam distribuat.

Ioannes Friderici III. frater, dux Sax. elector, &c. natus an. C. 1469. adolescentiæ annos in Pannoniæ & Italiæ Transpadanæ bellis consumsit, imperante Maximiliano I. An. C. 1525. rusticorum motum compescuit, incoatam emendationem ec- Ioannes.

clesiæ diligenter adiuuit, & an. C. 1530. confeßionem protestantium imperatori Carolo V. in comitijs Augustanis, indignantibus, frementibus, & ignem penè ac fulmina spirantibus pontificijs exhibuit, nec minas, odia, pericula, & incommoda ulla extimuit. Propter hanc animi excelsi atq; inuicti magnitudinem ac robur Constantis cognomen adeptus est: Ex studio autem eximio atq; singulari, pacis, probitatis, veritatis, omnisq; virtutis atq; honestatis Bonus appellatus. Insignia verò principatus ab imperatore impetrare non potuit, quod abijcere profeßionem euangelij noluit. Mortem obijt Schuueinicij, sepultus Vuittenbergæ in templo arcis anno C. 1532.

Constans.

Bonus.

Ioannes Fridericus, Ioannis filius, dux elector Saxoniæ, &c. natus anno C. 1503. acceptam à patre religionem summa constantia tutatus est, atq; retinuit. Propterea ferre ac pati multa cum oportuit. Ex quo Magnanimi & inuicti cognomen deportauit. Id quod crux aurei coloris in dorso, quam ex vtero materno acceptam habuit,

Ioan. Fride.

Magnanimus.

buit, indicasse videtur. An. 1531. Coloniam missus à patre ad electionem Ferdinandi, opposita protestatione eam oppugnauit, quod legi Carolinæ, vel aureæ bullæ contraria esset. Sed postea anno 34. interponentibus sese Moguntino archipræsule Alberto, & Sax. principe Georgio Cadami in Boiemia controuersia omnis composita est. Desponsata ei fuerat Catharina Caroli V. soror, quæ postea ipsi denegata est, quod hæretico fides nō esset seruanda.

Anno 1542. venit in controuersiam cum Mauritio, Saxoniæ duce, de Vvurcena Misnensis episcopi oppido. A quo cum tributum ad bellum Turcicum conferendum exigeret Ioannes Fridericus elector, Mauricius dux ei repugnabat. Ex quo præter opinionem omnium celeriter cellum exarsit, & quidem alienißimo tempore, quod pascha antecedit, quo meditanda Christi paßio erat, vnde etiam à placentis, der fladenkrieg/ *nominatum est. Elector adductis equis 400. oppidū occuparat. Mauricius contra comparatis subitò 10000. peditibus, & 500. equitibus, defendere illud vole-* Bellum Vvurcense.

volebat. Erat vtrinq; tantus animorum ardor, vt erupturus ad perniciem magnam videretur. Sed interposuit sese Philippus Landgrauius Hassiæ, & dissidium omne sic composuit, vt ab armis vtraq; pars discesserit. Consentaneum est acri & vehementi quadam incitatione inflammatum fuisse vtriusque principis animum ab ijs, quos paci consulere magis decuit. Scripsit Martinus Lutherus hortatu multorum, orationem grauitate & ardore Christiano plenam, qua vtrunq; principem ab insano conatu belli ad concordiæ professioni Euangelicæ cõuenientis studium cohortatus est. Philippus verò Hassiæ Landgrauius dissidium omne composuit.

Bellum Brunsuicense.

Sublato hoc intestino dissidio, aliud in Saxonia emersit. Cum enim Henricus Brunsuigi dux non desisteret Brunsuigam & Goslariam hostilem in modum vexare, earum bona intercipere, ciues capere, & nonnullos etiam occidere: vtraq; ciuitas opem protestantium implorauit. Hi verò socias & fœderatas ciuitates haud deserendas rati, edictum à Cæsare & Ferdinando

nando impetrarunt, quo Henricus dux ab omni vi abſtinere iubebatur. Cui quidem edicto cum non pareret Henricus, bellum ei Ioannes Fridericus elector & Landgrauius communi ſociorum nomine fecerunt, ditionem eius occuparunt, & arcem Vvolfebutelum obſeſſum breui in poteſtatem ſuam redegerunt. Ille verò ante aduentum hoſtis ex arce in Bauariam cum filio Carolo victore profugerat. Hoc factum Ioannis Friderici & ſociorum eius cum aduerſarij in contrariam partem raperent, ipſi publicato ſcripto rationem ſui conſilij redeunt, bellumq́; non quidem nocendi aut offendendi, ſed defendendi cauſſa ſuos ſocios ſuſceptum eſſe demonſtrant. Anno autem C. 1545. Henricus ditionem ſuam recuperare conatus eſt, ſed à Landgrauio ad dedendum ſeſe cum filio compulſus eſt, & Zigenhainum ductus in cuſtodiam traditus, vt infrà de ducibus Brunſuicenſibus dicetur.

Anno C. 1546. cum Auguſtanæ confeſſionis ſocijs principibus & ciuitatibus bellum non quidem ad nocendum, ſed ad tegen- Bellum germanicum.

tegendum ſeſe & patriæ libertatem contra Carolum V. ſuſcepit. Cum enim pontificij non prius quieſcendum ſibi arbitrarentur, quàm euangelicos deleuiſſent: crebris incitationibus Cæſarem ad bellum contra eos inflammabant. Cæſar verò odium ſuum in euangelicos diſsimulabat, eoq́; prætextu Albertum & Ioannem Marchiones, tum Mauritium etiam & Auguſtum Saxones ad ſocia arma alliciebat. Ioannes Fridericus, vel alieno impulſu, vel metu pontificiæ tyrannidis, quæ vniuerſalem interitum euangelicæ religioni minabatur, bellum viciſsim denunciabat Cæſari. Nec dubium eſt fatalem quandam calamitatem incidiſſe, & improuidas hominũ mentes occupaſſe, vt documento illuſtri vtraq; pars cognoſceret, humana conſilia, ſapientia diuina ſuperari. Non enim voluit Deus, vt vel ab Euangelicis euangelium armis defenderetur, vel à pontificijs lux veritatis diuinitus accenſa deleretur. ipſe enim hoc ſibi reſeruarat, vt eccleſiam in ipſo furore aduerſariorum & diſcrimine maximo tueretur. Victus eſt igitur Ioannes Fri-

nes Fridericus, captus, & capite damnatus: sed precibus quorundam principum condonatus, captiuus abductus, nec nisi post quintum exilij annum dimissus. Interim custos ecclesiæ & veritatis suæ nihilominus fuit & mansit inuictus Dei filius. Cæsar verò victor de spe & conatu delendi euangelij sic detrusus est, vt post victoriam hanc successibus planè caruerit.

In custodia porrò Ioannes Fridericus admirabilem constantiam adhibuit, adeò quidem, vt nec prece nec precio, nec gratia, nec minis à recta via deduci potuerit. Quin ne quidem exire custodia voluit, priusquam legitimè à Cæsare dimitteretur. Quod factum est tandem anno C. 1552. Ita autem dimissus est, vt Cæsar constantiam grauitatemq́ eius admiratus sit, & publicis literis confirmarit, se deinceps nulla molestia neq; ipsum, neq; posteros illius causa religionis affecturum esse. Tantum constantia in hoc optimo principe valuit, vt etiam aduersarijs admirationi fuerit. Non igitur dubium esse vlli debet, quin illustri laude celebratus martyr omnibus Constantia.

omnibus seculis futuris habendus sit. Reuersus ad suos, omnes iniurias voluntaria quadam obliuione obruit, mortuoq́ue Mauricio, etiam cum Augusto in conuentu Numpurgensi in illustrem gratiam rediit. Compositis iam & peractis omnibus, Sibyllam coniugem, Ioannis Iuliacensis ducis filiam, fortunæ omnis sociam fidelissimam, interuallo dierum vndecim in vitam cœlestem secutus est, Vvimariæ anno C. 1554. Martij die 5. Documentum hic princeps fuit fortunæ Christianorum, qui victi vincunt: dum fortunæ asperitatem animo infracto perferunt: & constantiam, grauitatemq́ue in professione doctrinæ veræ religionis vsque ad extremum spiritum retinent. Carolus verò victor paulò pòst victoriæ atque fortunæ omni diffidens, imperio se abdicauit.

Ioan. Frid. Ioannes Fridericus II. Saxoniæ dux, Duringiæ Landgrauius, Misniæ Marchio, Ioannis Friderici filius, natus an. C. 1529. patri in gubernatione successit, & ecclesiæ veræq́ue religionis ac literarum cultum magna cura habuit. Anno C. 1558. Academiam,

miam, quæ eſt Ienæ ad Salam, cum fratre Ioanne Vuilhelmo ſolenni more introduxit, & priuilegia Cæſarea publicauit. Vuilhelmum Grumpachium, & ſocios eius ab imperio propter interfectum Vuurcepurgicum præſulem, Melchiorem Zobelũ, proſcriptum, receptauit, & in arce ſua Grimmenſtein tutatus eſt. Iccirco imperialibus copijs, quarum ductor Auguſtus Sax. elector fuit, obſeſſus eſt, tandemq́; per deditionem capta arce, captiuus ad Cæſarem ductus anno 1567. In cuſtodia verò retentus eſt vſq; ad annum C. 1595. quo Styræ in Auſtria cum coniuge mortuus eſt.

Ioannes Vuilhelmus Saxoniæ dux, Duringiæ Landgrauius, Miſniæ Marchio, Ioannis Friderici electoris filius, natus an. C. 1530. in veræ religionis amore cultuq́;, nulli maiorum ſuorum cedens, ſtudio rei militaris 4000. equites in Galliam duxit, vt Carolum IX. in bello contra Condæum adiuuaret, anno 1568. Edito prius publico ſcripto, quo demonſtrabat, ſe non ad oppugnandos Euangelicos, ſed ad coërcendos eos, qui nomine Euangelij ad explen-

dam regnandi cupiditatem abuterentur, expeditionem illam ſuſcepiſſe. Quin literis etiam ad regem datis, ad libertatem euangelicæ profeſſionis dandam, exemplo Maximiliani II. imperat. eum hortatus eſt. Cum religionis cauſa inter electorales & Vvimarienſes theologos diſceptatio acris exarſiſſet, colloquium Aldenburgi inſtituit, eiq́ etiam præfuit, omni ſtudio & cogitatione in eam curam incumbens, vt ſublatis diſsidijs, vera conſenſio & concordia confirmaretur, anno C. 1568. Tandem infeſto caſu ad bellum imperij contra fratrem implicatus, Gotham vnà cum Auguſto electore circumſidet, poſt anno 1573. Februarij die 24. mortuus, Vvimariæq́ ſepultus eſt.

Fridericus Vvilhelmus.

Fridericus Vvilhelmus, Ioannis Vvilhelmi filius, Saxoniæ dux, Duringiæ Landgrauius, Marchio Miſniæ, patre mortuo, gubernationem ditionis ſuſcipit, & in pace bona eccleſiam, Academiam, & prouinciam tutatur. Et quod ſingulari admirabiliq́ conſilio Dei præter ſpem & opinionem omnem euenit, mortuo Chriſtiano electo-

electore, totius VIIuiratus administrator, impuberumq́ filiorum tutor factus, religionem Augustanæ confeßionis Zelo pio confirmat, contrariã verò explodit, & commoda subditorũ mirificè amplificat & auget.

Georgius, Alberti animosi filius, cognomento barbatus, an.C. 1471. natus, Saxoniæ dux, Duringiæ Landgrauius, & Misniæ Marchio, princeps sapiens, & religionis pontificiæ patronus insignis extitit. Lucem verò euangelij per Lutherum accensam, fugit & odit acerrimè. Itaq; subditis suis, Lipsensibus & alijs, qui religionem reformatam amabant, valdè graue eius imperium fuit. In politica verò gubernatione commodum sese & facilem omnibus præbuit, querelas supplicantium ipse audiuit, & expediuit. Quocirca non minùs quàm Homericus Vlysses, πατὴρ ἤπιος, pater lenis & benignus est habitus. In Frisia Groningam vrbem, & alia occupauit. Inductus religionis amore reditus magnos Misnæ & in alijs vrbibus fundauit, ad celebrandã paßionis Christi historiam, singulis annis. Ardebat odio Lutheri Georgius.

& doctrinæ eius, incitabaturq; ad eam delendam à pontificijs. Itaq; comparabantur paulò ante mortem eius copiæ, quæ in Bremensi diœcesi congregabantur, vt in festo pentecostes Lutheranos imperatos opprimerent. Ad quam rem pecunia siue nerui ab hoc duce expectabantur. Iccirco morte eius grauius dolebant pontificij, quorum nonnulli dixisse feruntur, se malle Deum in cœlis esse mortuum. Orbatus filijs, Henricum fratrem ditionis suæ hæredem esse nolebat, propter religionis reformatæ professionem. Quamobrem testamentum faciebat; in quo nisi frater pontificiam religionem amplecti vellet, Cæsarem, & fratrem eius Ferdinandum hæredes ducatus scribebat. Quod cum ratum haberi à suis nobilibus & subditis vellet: ipsi rogarunt, vt quid facturus esset dux Henricus prius ex eo exquireretur, non dubitare se dictitantes, quin ad religionem veterem, spe tantæ hæreditatis rediturus esset. Missi verò ad eum legati responsum acceperunt plenum pietatis, ac grauitatis, in hunc modum: Perinde

Testamentum.

mihi

mihi facere videmini, vt Satanas, qui domino Christo omnia regna mundi offerebat, si procidens adoraret ipsum. Putatis me tanti facere opes terrenas, vt propterea à veritate agnita deficere velim. Absit à me, vt tam mobili in Deum meum animo reperiar. Antequam verò legati ad Georgium redierunt, animam is efflauit an. C. 1539. Aprilis die 24.

Henricus Alberti filius, Georgij frater, Sax. dux, Duringiæ Landgrauius, & Misniæ Marchio, natus anno C. 1473. Martij die 16. Fribergæ vixit ex reditibus à fratre concessis, pius, bonus, & æquus in omnes subditos, cuius etiam aspectu atque colloquio mirificè exhilarati sunt ciues. Mortuo fratre Georgio, ducatu toto potitus, nihil prius sibi faciendum putauit, quàm vt religionem veram, abrogata corrupta, in omnes vrbes, oppida, & pagos ditionis infunderet. Ad quam rem vsus est Lutheri opera, & instituta generali visitatione, certam formam doctrinæ & rituum ecclesiasticorum, secundum Augustanam confessionem, inuexit. Tantum Henricus.

hæc repentina mutatio gaudium peperit, vt non modò homines, sed terra ipsa etiam lætaretur, ac gratias Deo agere gestiret. Quibus enim in suggestis tempore paschatis catholici steterant, ibidem pentecostes tempore docebant Lutherus & eius discipuli. Mortuus est anno C. 1541. Augusti die 19. sepultus Fribergæ.

Mauricius, VII. Elector

Mauricius Henrici filius Sax. dux, &c. natus anno C. 1521. Martij die 21. in adolescentia à patre primum, deinde à Georgio duce, tum ab Alberto Moguntino archipræsule, & Ioanne Friderico Electore, disciplina bona exercitatus, scientiam rei militaris cupidè secutus est. Quamobrem anno C. 1542. in Vngariam sponte sua cum Ioachimo Brandepurgico, cui imperij nomine bellum contra Turcos commissum erat, profectus est. In quo, tametsi nauari & effici præclari nihil potuit: tamen Mauricius suam aduersus hostes illos pugnandi cupiditatem satis declarauit: cum in conflictiuncula quadam à Turcis circumfusus, equo confosso, prostratus est, & vix à satellite suo, Bartholomeo Ribischio

Bellicæ rei studium.

tischio subleuatus euasit. De quo facto in oratione nostra de duce Mauritio copiosè narratur. Anno C. 1541. gubernationem ducatus à patre relictam suscepit, & in primis operam dedit, vt doctrina ecclesiæ à patre in ditionem vniuersam infusa, rectè constitueretur. Norma verò constitutionis non alia fuit, quàm secundum Augustanæ confeßionis præscriptum. Ceremoniæ duntaxat ad vnam certam formam redigendæ erant. Quæ forma à principe Anhaldino Georgio, & præcipuis theologis conscripta, & à Luthero approbata, per totam prouinciam ita obseruari cœpit. Gubernatio.

Anno C. 1542. cum, reiecto episcopo Numburgensi, Iulio Pflugio, Nicolaus Amsdorffius in eius locum surrogatus esset, & à Luthero ipso ordinatus: postulata est à Mauritio facti illius approbatio. At is iniuriam factam esse Pflugio non obscurè significauit. Ideoq; probare factum prorsus recusauit. Anno 1543. ludum illustrem Misnæ aperuit. Etsi enim ante quoq; schola ad S. Afram duodecim Ludi illustres & consistoria.

 puero-

puerorum fuit, à Diterico episcopo, an. C. 1196. instituta: tamen hoc anno demum à Mauritio in prouincialem ludum centum puerorum est conuersa. Sunt etiam ab eodem constituta ecclesiastica iudicia, quæ adhuc durant, Lipsiæ, Vviteburgæ, & Misnæ. Etsi autem ecclesiasticis reditibus scholæ & consistoria sustentantur: tamen laude digna est talis conuersio cœnobiorum in scholas pias, ac iudicia toti prouinciæ salutaria. Ac debetur etiam gratia consiliarijs, Ernesto Miltitio, & D. Georgio Kommerstadio, qui authores & suasores ad conuertendum ecclesiastica beneficia in vsus scholarum prouincialium Mauritio fuerunt.

Anno C. 1543. in bello Geldrico Carolo V. militauit, sequente verò 1544. in Gallia cum Alberto Brandeburgico eiusdem Caroli V. miles fuit contra regem Franciscum I. quando Sandersium & alia oppida ab eo fuerunt occupata.

Bellum Gallicum.

Anno 1545. cum Henricus Brunsuicensis ditionem suam penè omnem recuperasset, & grauiter minaretur Ioanni Fride-

Friderico Saxoniæ electori, & nonnullis episcopis, iamq; exercitus electoris et Landgrauij contra eum eductus esset: Mauritius suis impensis, mille equitibus & quater mille quingentisq; peditibus adductis, subsidio illis venit. Admonitus tamen à Ioanne Marchione prius legatos ad Henricum mittit, pacificatorem sese fore pollicens, si æquas conditiones non respuat: sin minus, non se deserturum esse patruum & socerum ostendit. Cumq; infestis armis grauissimè premeretur à Landgrauio Henricus, in colloquium cum eo venit Mauritius, eoq; illum adegit, vt sese traderet, qui finis belli fuit.

Bellum Brunsuicense.

Anno C. 1546. cum protestantibus bellum inferret Cæsar, Mauritio sobrino eius de occupanda Saxoniæ electoris ditione mandatum dedit. Quod nisi faceret, ab alio occupatum iri significauit. Quid faciat Mauritius? distrahitur in deliberando animus, tandemq; in eam sententiam à suis adducitur, vt datis ad electorem literis, indicet ei, ne grauiter ferat, si potestati cedat: & terram ipsius occupet.

Bellum Germanicū.

Id enim ſatius eſſe, quàm ſi patiatur ab externo eam occupari. Et ab ipſo quidẽ facilius eum recuperare ſuã ditionẽ aliquando, ſi cum Cæſare in gratiam redierit, quàm ab hoſte aliquo poſſe. Etſi autẽ neq; elector neq; Landgrauius hoc Mauritij conſilium probabant: tamen cum Huſſari iam tum in Variſcos impetum feciſſent, cœpit Mauritius ipſorum Huſſarorum adminiculo electoris oppida pleraq; omnia in fidem ſuam redigere. Poſtea Cæſarem ſecutus, vnà cum eo electorem in prælio ad ſyluam Lochauiam ſuperatum & fuſum cepit. A victore autem Cæſare in caſtris ad Vvittebergam elector Saxoniæ deſignatus, conturbatam fragore bellico eccleſiam, ſcholas & Rempub. in priorem ſtatum reſtituit, & poſtea anno 48. in conuentu Auguſtano inſignia electoratus ſolenni inauguratione accepit. Cum verò in eodem conuentu
Interim. *formula interreligionis pontificiæ ordinibus & principibus cunctis à Cæſare obtruderetur, grauis diſputatio orta eſt. Ac Mauritius quidem in primis Philippum Melanchthonem, Ioannem Bugenhagium,*

gium, Caſparem Crucigerum, Lipſiam vocauit, & curam eccleſiaſticam & academicam illis commendauit. Deliberatio autem de nouo libro, qui Interim inſcribebatur, magnas offenſiones & turbas peperit. Mauritius quidem, ita vt debuit, rem ad theologos, & ordines prouinciæ retulit, identidem teſtificans, ſe à doctrina Auguſtanæ confeſſionis non vnguem latum diſcedere velle: cupere tamen, vt quod ſalua religione, integra conſcientia, & inuiolata veritate poſtulanti, atq; adeo exigenti & vrgenti imperatori concedere poſſent, in eo ſtudium obedientiæ, ſubditis dignum declararent. Etſi autem ipſi etiam pontificij formulam illam improbabãt: tamen loco mouebantur multi miniſtri eccleſiæ, qui amplecti illam recuſarent. Quæ res nonnullos commouebat, vt vitandi periculi cauſa aliquid dandum eſſe Cæſari arbitrarentur, præſertim in recipiendis ritibus ijs, qui euangelio non aduerſarentur, neq; pietatem aut conſcientiam læderent. Hinc concertationes inſuaues & pernicioſæ de adiaphoris natæ ſunt. Nam Ioannes

Aepi-

Aepinus, Nicolaus Amsdorffius, & Flacius Illyricus Misnensibus Theologis defectionem à vera doctrina obijciebant. Hi verò non de doctrina ipsa à se agi, sed de ceremonijs tantum, quæ sua natura essent indifferentes, demonstrabant. Flacius cum suis contrà contendebat, adiaphora etiam ipsa in casu confeßionis, neceßitatis, & scandali, fieri necessaria & præcepta. Hæc concertatio belli adiaphoristici nomen habuit, quod diutius ferè quàm res ipsa durauit. Oppugnatus est in primis libellus Vvittenbergensium et Lipsensium Theologorum de adiaphoris editus, qui contentiones grauißimas suscitauit. Et aduersarij quidam nimis cupidè ac temerè in Melanchthonis famam ac scripta inuolarunt, maioribusq́ & acrioribus contentionibus occasionem præbuerunt, quæ ad perniciem ecclesiæ penè erupissent. Cæsar verò sensim aliquid remittebat de seueritate cogendi, & erat hic furor pontificiorum velut nebula citò transiens, nec adeò multò pòst Theologi paßim eiecti ad pristini muneris functionem redierunt.

Bellum adiaphoristicum.

Anno

Anno C. 1550. Mense Septembri, Mauritius, Cæsaris iussu Magdepurgum obsedit, eamque obsidionem vsque ad 9. Nouembris anni 51. continuauit, & tandem æquis conditionibus bellum confecit. Durum hoc quidem factu, & vix ferendum plærisque omnibus euangelicis videbatur. Sed habet tamen excusationem quandam necessitatis. Erat enim bellum istud iam antè decretum ab imperio, nec soli Mauritio, sed etiam Marchioni Ioachimo & Alberto, Lazaro Svuendio & alijs commissum. Constat quoque gestum esse non Mauritij, sed imperij impensis: Nec odio quodam Magdepurgensium, multò minus religionis veræ quam tanta constantia Magdepurgenses tuebantur, sed potius eam ob causam, vt externus miles Cæsarianus ab hac ora Germaniæ auerteretur, & aliquo modo mos victori gereretur. Nisi enim Mauritius executionem proscriptionis Magdepurgicæ suscepisset, futurum vtique fuisset, vt Cæsar Hispanicas copias ad eam ciuitatem coërcendam, & in ordinem redigendam misisset. Quod multo maiori Magdepurgi obsidio.

incom-

incommodo factum esset. Et magno bono, paulò antè Cæsar è Saxonia in superiorem Germaniam abductus erat. Accedebat quoq; quod Mauritius ab imperatore crebro vocabatur ad comitia Augustæ anno 1550. incoata, vt in ijs deliberaretur de interreligione, de restitutione iurisdictionis & bonorum ecclesiasticorum, de puniendis rebellibus. Talem deliberationem vt vitaret Mauritius, libentius belli Magdepurgici administrationem suscepit. Dubium quidem non est, Magdepurgensibus hoc quicquid fuit mali, quod certè ingens fuit, ob constantiam in veræ religionis professione euenisse: cum & Ioanni Friderico electori auxilium contra vim promisissent, & omnia bona, immò vitam ipsam profundere mallent, quàm impijs opinionibus in libro Interim comprehensis assentiri. Sed proscriptio tamen eorum, non religionis, sed politicum titulum atq; prætextum habuit. Quæ res etiam euangelicis principibus quibusdam egregiè imposuit. Et transactio tandem soluta vrbis obsidione animum Mauritij integrum, &

nulla

nulla ex parte inclinatum ad pontificias collusiones satis demonstrauit. Quin euentus etiam, qui secutus est, non obscurè de mente & conscientia eius testatus est. Vidit enim tandem, vsuq́; expertus est, plura esse nuncupata lingua, quàm probata re & facto. Itaq; cum Henrico rege Galliæ fœdus fecit, & vi obtinendum id tandem ratus, quod æquitate non poterat; milites præsidiarios in pacificatione Magdepurgica dimissos tacitè rursum conduxit, & contra Cæsarem ipsum adduxit. In itinere adiutus à socijs principibus, Augustam Vindelicorum deditione cepit, rectaq́; ad Alpium Rheticarum claustra progressus arcem Erenbergam ausu propè incredibili occupauit, & Cæsarem suo aduentu inopinato sic exterruit, vt Oeniponte, nocte intempesta, per alpes Villacum cum fratre Ferdinando profugerit. Dimißi hoc tempore Ioannes Fridericus elector, & Philippus Landgrauius Haßiæ, ad suos reuersi sunt. Mauritius verò Passauium petijt, & querelas multas de Cæsare habuit, concilium Tridentinum dißipauit, & pacis

Expeditio contra Cæsarem.

Passa-

Passauianæ formulam extorsit, anno C. 1552.

Bellum cum Alberto Brandeb.

Sequente anno 1553. implicatus est funesto bello, cum Marchione Alberto Brandepurgico, qui episcopos in Francia, ac Norimbergenses indignis modis vexarat. Hi cum opem Ferdinandi, Mauritij, & Brunsuicensis ducis implorassent, exijt in eum Mauritius cum Brunsuicensibus ducibus, & ad manus & pugnam cruentam cum eo venit, ad diem Iulij 9. ad pagum Siuershusen, in terra Lunepurgensi. In qua pugna Albertus acie victus ægrè euasit. Sed Mauritius victor globo traiectus à sicario incerto, 11. Iulij, cum annos vixisset 32. menses 3. dies 25. expirauit.

Mors.

Occubuerunt cum eo in eodem conflictu, Carolus & Philippus Brunsuigi duces, Henrici filij. Fridericus verò dux Lunæburgensis grauiter vulneratus Cellam deportatus est, vbi paucis diebus post è vita exijt. Humatus autem est Mauritius Fribergæ, vbi tumba eius magnificè ornata eminet. Et quoniam amplißima eius in ecclesiam, scholas, & rempub. merita extant, &

ædem

ædem sacram D. Pauli, quæ Lipsiæ est, Academiæ addixit, anniuersaria ac solenni oratione in templo Paulino memoria eius nominis celebratur. Mirum est autem quod sexto mense ante mortem eius caput de ipsius lapidea statua, quæ Berlini in arce inter alias statuas imperatoris & electorum stetit, turbinis violentia ita deiectum est, ut reliquæ statuæ nihil detrimenti ceperint. Inter virtutes huius principis maximè eluxit placabilitas. Etsi enim irritabilis animus eius fuit, tamen exorari & placari sese passus est, & quidem liberas etiam admonitiones non acerbè tulit.

Anniuersaria memoria.

Prodigium.

Placabilitas.

Augustus Henrici filius, Mauritij frater, Saxoniæ dux &c. archimarschallus ac VIIuir imperij, natus anno 1526. Iulij die 30. adolescentiæ annos in literarum studijs, & militari disciplina contriuit, in aula Ferdinandi regis, cum ipsius filijs educatus, incoatam à teneris vnguiculis amicitiam cum Maximiliano imperatore, & fratribus eius, per omnem vitam omnibus veræ necessitudinis officijs persecutus

Augustus.

est & coluit. Deinde in Gallia cum fratre Mauritio adductis equitibus 2000. selectißimis militauit Carolo V. & iterum in bello Germanico secutus est eiusdem partes, contra Ioannem Fridericum electorem. Anno autem 1548. duxit Annam, Christiani regis Daniæ filiam, cum eaq; nuptias Torgæ celebrauit. Anno C. 1553. fratri Mauritio in gubernatione succeßit: sed feuda siue prouinciarum insignia anno demum 1566. Augustæ ab imperatore Maximiliano II. accepit. Ingressus in gubernationem curam inprimis adhibuit, vt in gratiam reduceretur cum Alberto, id quod factum est Lipsiæ, interponentibus se legatis Daniæ regis, & Electoris Brandepurgici. Reconciliatus est etiam Ioanni Friderico Saxoniæ duci conditionibus vtriq; parti probatis. Anno 1555. mense Martio Numpurgi ad Salam conuenêre principes Augustanæ confeßionis socij, Augustus elector Sax. Ioannes Fridericus II. Saxoniæ dux cum fratribus Ioanne Guilelmo & Ioanne Friderico, Ioachimus Brandepurgicus elector cum fratre Ioanne, &

Elector.

ne, & Ioanne Georgio filio, Philippus Landgrauius Haßiæ cum filio Guilelmo, & primum fœdus hæreditarium inter domum Saxonicam Brandepurgicam & Heßiacam renouarunt. Tum consensum & decretum suum de retinenda confeßione Augustana, quæ anno 30. exhibita est, repetiuerunt. Postremò ἀμνηστίαν, hoc est, obliuionem offensionum, si quæ ex superiori bello essent reliquæ, confirmarunt. Vt autem hæc pacta firmiora essent, Ioanni Friderico II. Sax. duci, Agnes, Langrauij Hessorum filia, electoris verò Mauritij vidua desponsata est. Eximium prorsus & singulare studium pacis in hoc principe fuit. Antea enim imperium erat distractum & conuulsum bellis & contentionibus de religione, plenaq́; latronum erant penè omnia. At is mira arte, sagacitate, & autoritate non solùm latrocinia in sua ditione sustulit, oppreßis atq; punitis eorum authoribus, sed in imperio etiam ipso religionis pacem iam antè à Mauritio vi extortam Passauij ratam atq; perpetuam esse curauit, anno C. 1559. in conuentu

Pacis studiosus.

Pax religioni data.

Auguſtano. Hoc fundamento iacto, minus inſidiarum & oppugnationum à pontificijs impendere proteſtantibus potuit, nec hodie poſt Deum immortalem, præſidium atq; firmamentum pacis vllum eſt præſtabilius, quàm hæc ipſa pax, quæ tunc religioni vtriq; conceſſa atq; tributa eſt. De qua in oratione noſtra de Auguſto Saxone copioſius diſſeritur.

Amicitia cum Maxim. & Brand.

Erant coniunctiſsimi beneuolentia, officij vſu, conſuetudine, & conſiliorum penè omnium ſocietate, Maximilianus II. Auguſtus Saxo, & Ioannes Georgius Brandeburgicus. In eos igitur, tanquam in exemplum illuſtri loco poſitum, principum atq; ordinum oculi conijciebantur. Et obſeruare colereq; Auguſtum ſtudebant etiam præſules, licet religione diſiunctum illum à ſe eſſe ſatis ſcirent. Hinc adeò factum eſt, vt patris loco haberetur, & certatim conſuleretur ab epiſcopis plærisq; omnibus: quibus fidem etiam & beneuolentiam ſummam, inuiolata religione, & integra conſcientia, præſtabat. Bellum Gothanum imperij nomine inuitus ſuſcepit,

Authoritas.

Bellum Gothanum.

pit, sed confecit tamen absq; incommodis magnis aut diuturnis, capta per deditionem urbe, & sumto de proscriptis supplicio, anno C. 1567. Arcem verò Grimmenstein Cæsar solo æquandam curauit. Artium & artificiorum penè omnium fundamenta, rationes & causas miro acumine inuestigauit. Quin chymiæ etiam cum Paulo, Luthero & alijs artificibus, operam præclaram nauauit, vt quid veri falsiúe inesset penitus cognosceret. Eo enim ingenio erat, vt à nemine, qui artem aliquam profitebatur, facilè deludi se pateretur, sed artificium ipse perquireret, & veros quidem solidosq; artifices amaret, muneribusq; afficeret, in deceptores verò seuerè animaduerteret. Artes.

Quicquid agebat, ex animo agebat, & pro viribus. Volebatq; vicissim secum agi seriò, sineq; dolo atq; simulatione. A quibus verò imponi sibi intelligebat, ijs implacabiliter penè irascebatur. Constitutiones, quas electorales vocant, per consiliarios & I. C. conscriptas ea authoritate promulgauit, vt per totam prouinciam Grauitas. Constitutio nes electorales.

Consilia. *adhuc inuiolatæ seruentur. Consilia sua ad pacem dirigebat, & ita occultabat, vt tanquam mysteria comprimerentur, nec facilè in vulgus emanarent.*

Religio. *Religionis negocium in primis hunc principem fatigauit. Rectam enim & sinceram doctrinam cælestis verbi amabat, & quicquid ab ea discrepabat, constanter repudiabat. Nouerat autem rectam sententiam cælestis doctrinæ comprehensam esse in articulis Augustanæ confessionis. Etsi verò grauitatem animi eius satis perspectam habebant nonnulli: tamen correctam, vt ipsi vocant, Augustanam confessionem pro vera obtrudere audebant & conabantur, Flacianosq́ appellabant omnes, qui aliter vel sentire vel dicere non desisterent. Erat enim Flacij nomen inuisum principi. Itaq; inuisos etiam oportebat esse, quicunq; fucum illum improbabant. Nec facilè iudicari aut deprehendi id, quod tanta arte occultabatur, poterat. Philippi Melanchthonis nomen & autoritas vbiq; huic rei prætendebatur. Nec quisquam erat bonorum omnium, quemadmo-*

admodum nec hodie est, qui Melanthonem non plurimi faciat, scriptisq́ eius laudem summam tribuat. Sed exitus non ita multò pòst declarauit, quorsum correcta illa confeßio Augustana spectarit. Quod simul atq; Augustus deprehendit, seueritate magna veram & natiuam confeßionis illius formulam restituit, eamq́ in conuentu principum, qui Numpurgi ad Salam anno 1561. fuit, cum alijs principibus subscripsit. In qua etiam se constantia summa perseueraturum esse in scripto ad Cæsarem Ferdinandum pollicitus est.

Postea cum iterum deflectere nonnullos de recta sententia confeßionis Augustanæ sentiret, concordiam siue consensum doctrinæ accommodatum ad eam confeßionem scribi iußit. Hic prælectus est anno C. 1579. Torgæ, in conuentu prouinciali, & à cunctis ordinibus, tum ab electoribus etiam, principibus, comitibus, Baronibus, & ciuitatibus multis comprobatus. Munificentiam illius insignem experta est Academia Vvittebergensis, cui acceßiones magnæ ad stipendia docentiũ, Concordiæ formula. Munificentia.

 ad com-

ad communem mensam, & ad curam ægrotantium studiosorum factæ sunt. Eandem experti sunt etiam, & adhuc experiuntur ministri ecclesiæ egentes, eorumq́; viduæ & orphani, quorum causa summam centies mille florinorum viuus in fœnore tolerabili posuit, vt de censibus eorum inopia subleuetur. Vidimus hoc principe salutariter ordinata iudicia, piè constitutam ecclesiam, florentes scholas, pacata denique & tranquilla omnia, quæ bona & ornamenta prouinciæ quidem erant maxima: sed nulla re tam lætabatur optimus princeps, quàm ecclesiæ distractæ ac turbatæ per nouorum dogmatum infusionem in concordiam pristinam, secundum natiuæ & veræ Augustanæ confeßionis normam reductione. In qua quidem concordia, & consensu, cum ex multis varijsq́; molestijs ac laboribus, tanquam in summo bono conquiesceret: coniugem suam Annam in alteram vitam, quæ sola vita nominanda est, præmisit, anno C. 1585. die Octob. 1. Nec adeò multò post Agnetem Heduuigem, Ioachimi Ernesti, principis Anhaldini filiam

Status politiæ & scholarum.

filiam duxit, & anno 1586. Februarij 11. mortem obijt, Fribergæq́; sepultus est.

Christianus Augusti filius, Saxoniæ dux, &c. natus anno 1560. à teneris vnguiculis deditus fuit disciplinis ijs, quibus ad vsus salutares patriæ instrueretur. Cathechismum Lutheri animo imbibit, & ad veræ pietatis, moderationis, fortitudinis, & sapientiæ cultum diligenti cura & industria parentum traductus est. Anno C. 1581. senatui Electorali, qui Dresdæ est, præses datus est, & sequenti anno in matrimonium duxit Sophiam, Ioannis Georgij, electoris Brandepurgici filiam. Mortuo verò patri hæres omnium bonorum ac honorum successit, anno 1586. Ingressus gubernationem loco ac statu bono atq; commodo sibi relictam, ad Platonis illud præceptum, quod Cicero repetit, curam & cogitationem retulit, vt totum corpus reip. curaret, nec partem vllam negligeret. Quare in primis nonnulla in curijs, iudicijs, scholis & academijs emendauit. Deinde animum ad rem ciuilem ac militarem constituendam appulit. cumq́;

Christianus. Elector. Gubernatio ciuilis.

præsidio militum opus esse arbitraretur, equitum ac peditum, satellitumq́ vim magnam aluit. Tum vt quæ ad bellicos vsus per totum electoratum pertinent, integra & parata essent, prouidit. Arces item & alia ædificia magnifica partim reparauit, partim de integro extruxit. In iustitiæ administratione nauum, industrium, & seuerum sese præstitit: vt vereri eum non modò subditi, sed etiam exteri inciperent. Atq; in his quidem omnibus paterna vestigia persecutus, laudem principis boni & fortis meruit.

Religio. *Sed erant nonnulli politici & ecclesiastici, qui ferè à latere ipsius non discedebant. Hi deflectere animum illius à vera confeßione Augustana ad quandam correctam aut emendatam, vt ipsi vocant, incipiebant, vt sensim, explosa doctrina, & ritibus ecclesiasticis à Luthero ordinatis, noua dogmata & ceremonias introducere atq; stabilire possent. Ad eamq́ rem tribus artificijs potißimum vtebantur, dißimulatione, inficiatione, & dissentientium amotione. Primum enim, quicquid agebant,*

bant, non apertè, sed obscurè, & dissimulanter agebant, aliud multo præ se ferentes, quàm animo sentiebant, & facto declarabant. Deinde quod moliebantur, id si aliter accipi, quàm ipsi volebant, animaduerterent, vehementer negabant, nec abiurare etiam verebantur. Tum loco mouebant omnes, quos suis conatibus obstare videbant. Cedebant igitur in ista tempestate senes iuuenibus, vsu periti imperitis, bene meriti his, qui mereri vix cœperant. Eruditi & sapientes soli habebantur & euehebantur, qui socios sese nouorum consiliorum præberent. Accuratè quoque cauebant illi, ne quis ad principem admitteretur, qui non ex ipsorum ore loqueretur. Sed vnum adhuc, quod in præcipua parte ponendum erat, desiderabatur, Dei voluntas, & equestris ordinis assensus. Putabant enim satis sibi esse, si principem sibi addictum haberent: Dei verò obliuiscebantur, nec in ista fortuna sua nobilitatem respiciebant, cuius voces non obscuræ audiebantur, quibus mutationem omnem tàm doctrinæ, quàm rituum

eccle-

ecclesiasticorum penitus detestarentur. Quanquam rationem etiam aliquam habere debuerunt votorum & precum tot piorum hominum, senum & iuuenum, virorum & mulierum, qui exorare Deum non desistebant, vt impendentem mutationem tanquam tempestatem horrendam auerteret. Audiit igitur is suspiria & gemitus suorum, & de spe conatuq́; omni nouatores istos depulit.

Nondum triginta annorum erat princeps, cùm hæc fabula agi cœpta est: & quidem ipsius animus curis rei equestris, & ciuilium negociorum occupabatur. Minus igitur mirum est, non statim deprehendere eum potuisse id, quod tam tectè tentabatur. In primis exorcismi in baptismo vrgebatur abrogatio, quo ipsi tamen baptizati, & quidem sine vlla impietate, erant. Vim peccati originis in infantibus extenuabant, nonnullos tantum ad vitam æternam destinatos esse à Deo contendebant, quos saluos fieri oporteret, cæteros verò damnari, tanquam ad iustum exitium à Deo conditos. Reliqua non libet

bet commemorare. Hæc verò recordari pium est & necessarium, vt magnitudo diuinæ gratiæ & clementiæ erga nos cognoscatur, pro eaq́ gratiæ illi à nobis & posteris agantur, quod hanc tempestatem periculi, tantumq́ impetum hostium veritatis à nobis propulsauit. Tum vt caueri etiam ac vitari talia deinceps studiosius poßint. Extinctus autem est princeps Christianus in flore, ætatis anno 31. Septembris die 27. humatusq́ Fribergæ, anno C. 1591. Filij ab eo relicti sunt. Christianus, natus anno C. 1583. die Septemb. 23.

Ioannes Georgius, natus anno C. 1585. die Martij 5.

Augustus, natus an. C. 1589. die Septembris 7. Hi spem summam & animi & ingenij afferunt, & institutis præceptisq́ pietatis, religionis, iustitiæ, omnisq́ virtutis liberalißimè erudiuntur.

MARCHIONES ET ELECTORES BRANDEBVRGICI.

MArck veteri lingua Celtica limitem significat. Inde reliqua est appella- Marca

tio

tio Germanica Marckstein / Reinstein. *Inde Marchio præses limitum, vel præses limitaneus, &* Marggraff / *id est, iudex limitaneus. Sunt qui Marchiam ex græca voce* νομαρχία, *quæ præfectura significatur, deductam volunt, demta duntaxat prima syllaba. Iccirco quia in Italia passim fuerunt marchiæ, antequam in Germania constitutæ sunt.* Brandepurgum. *Brandepurgum verò metropolis Marchiæ conditum est à Brenno Senonum principe, ante natum Christum an. 416. Nouum verò Brandepurgum à Brandone Marchione conditum est an. C. 230. vel vt alij volunt, 270. Castellum Brenni, id est, Galeati, à Bren seu Bryn Galea. sic dictum quasi Brennonis vel Brandonis* πύργος, Burck / *turris siue arx. Patet autem Marchiæ tam longitudo, quàm latitudo septem dierum iter expedito. Et ad occasum habet Saxones, ad septentrionem Pomeranos & Megalburgicos, ad ortum Polonos, ad meridiem Slauos. Diuiditurq́ in Marchiam veterem, mediam nouam, & Vccarinam. Incolæ ante natum Christum fuerunt Teutones,*

nes, Goti seu Getæ, qui postea in Pannoniam & Italiam migrarunt. His successerunt Sueui Senones. Hos enim consedisse inter Sueuum, Hauelum, & Albim manifestum est. Quam igitur laudem grauitatis, integritatis, & fortitudinis Strabo Senonibus tribuit, eadem etiam ad veteres colonos Marchiæ pertinet. Senones autem nonnulli cum Longobardis ex Magdepurgica diœcesi in Pannoniam profecti, indeq́ à Narsete, an. C. 568. in Italiam contra Gotos accersiti, sedem rerum ac fortunarum suarum ibi collocarunt, & regnũ Longobardicum condiderunt.

Senones quasi σεμνοὶ, graues.

Longobardi, quasi gentes longas bipennes, Langebarden.

Ante migrationem verò Romanis negocij plurimum exhibuerunt. Icirco contra eos missi duces Romanorum Cæsarum omnibus opibus eos oppugnarunt. Et quidem ante natum Christum anno vndecimo Marchio primus in oppido Soltuuedel à Druso ordinatus est. Subacti autem et domiti à Druso Sueui ex quadam parte, in Rhetiam translati sunt. Reliqui Romanos Marchia expulerunt. Sed non multò pòst Sueui etiam ipsi à Saxonib. profligati sunt,

I. Marchio.

ſunt, quicunq; imperata eorum facere recuſabant. Poſtea Heneti & Sarmatæ magnis agminibus, neſcio quo fato, in hanc oram Germaniæ infuſi, à Danubio ad fontes Albis vſq; ad Cimbricam Cherſoneſum, cum toto tractu Baltici maris compleuerunt, fermè ab anno C. 500. Inde factum, vt Heneti totum tractum à Viſtula vſq; ad Albim & Salam annis 400. tenuerint. Cum autem Henricus auceps domitis Henetorum ad Salam & Albim populis, etiam Brandepurgum expugnaſſet: Marchionem ſiue vicarium imperij, & ducem limitaneum contra eos fecit Sigefridum comitem Ringelheimenſem, imperatricisq; fratrem, anno C. 927. Hoc ſine liberis mortuo, ſucceſſor in hoc officij munere ordinatus eſt ab Othone I. imp. Gero, qui monaſterium Gerenrodenſe condidit. Geroni ſucceßit Brunico, comes Vvethinenſis, Soraborum Burggrauius, ſurrogatus ab Othone I. imp. an. C. 965.

Heneti. Sigefridus. Gero.

Hugo. Hugo filius Bruniconis, ex Vvetinenſium comitum ſtirpe, vicarius & ſupremus præfectus Othonis III. in Hetruria,

Mar-

Marchio Brandepurgensis, mortuus an. C. 1001.

Sighardus filius Bruniconis, Marchio Brandepurgicus, sub Othone III.

Theodoricus, Sighardi filius, Marchio Brandepurgicus, Henetorum hostis acerrimus. Hos enim non solùm exactionibus vexauit, sed Henricum II. imp. etiam impulit, vt captos in Lusatia duos principes Henetos suspendi iusserit, Tum Bernardo Saxoniæ duci suasit, vt filiam siue sororem suam Mistiuoio Obotritorum regi desponsatam denegaret: Minimè fas esse inquiens, puellam tam formosam hosti Christianæ religionis, & cani ethnico dare. Quibus verbis sic incensus est Mistiuoius, vt bellum Theodorico indixerit, canum latratus & morsus se editurum esse in Marchia & Saxonia minitans. Quas minas tametsi contemsit Theodoricus, vrsum se fore inquiens, nec curare canum latratus: tamen oppugnatus ab eo, victus est in prælio, & ex vniuersa ditione eiectus, Magdepurgi inter Canonicos ægrè sustentatus est, circa annum C. 1022. Theodoricus.

Etsi autem in Obotritorum potestatem tunc venit Marchia: tamen recuperauit eam Vdo Soltuuedelensis comes, adiutus à Cunrado III. imperatore, & archipræsule Magdepurgensi. Vdoni successerunt Vdo II, & Rudolphus filij. Vdo II. filium habuit Henricum, Rudolphus Othonem, qui vltimi Marchiones Brandepurgici in hac familia fuerunt. Cum enim Vdo II. cum Saxonibus contra Henricum IV. imper. coniurasset: author fuit imperator Primislao Henetorum & Obotritorum regi, vt ditiones ad Hauelum recuperaret. Id quod factum est, & ex Marchia eiectus Vdo.

Vdo Marchio Stadensis.

Anno C. 1142. mortuo Primislao, Obotritorum rege, qui Marchiam tenebat, Albertus Vrsus, comes Ascaniæ, princeps Anhaldinus, factus est Marchio Brandepurgicus. Qui oppressis Henetis, Marchiam recuperauit, & Mersburgi à Friderico Barbarossa imp. inauguratus est. Filios reliquit duos, Bernardum, à quo duces electores Saxoniæ veteres, & Louenpurgenses orti sunt, & Othonem ex quo Marchionum Brandeburgensium familia propagata est,

Albertus Vrsus Anhaldinus.

Bernardus.

I. Otho.

*ta est, quæ annis fermè 200. Marchiam gubernauit, vsq; ad Vvoldemarum II. qui sine liberis masculis è vita cessit. Fuit inter Marchiones ex hac familia quidam Bernardus, qui ab archipræsule Magdepurgico ob captum & necatum nobilem quendam episcopo carum, excommunicatus est. Quanquam autem hoc fulmen pontificium non magni fecit Marchio: tamen vim aliquam illi inesse expertus est. Sic enim per iocum aliquando dixit: Solet dici excommunicatum adeò inuisum esse cunctis, vt ne canis quidem frustum carnis ab eo accipiat, quod mox, quàm verum sit, experiar. Arrepto igitur carnis frusto cani suo obiecit illud. Is verò gustare omninò non voluit. Exhorruit nonnihil marchio hoc spectaculo, iussitq; canem includi, totoq; triduo nullum alium cibum illi præberi. *Exacto triduo ipse adit conclaue, in quo erat canis, & videt carnem esse integram, canemq; prorsus eam refugere. Hinc vim excommunicationis æstimans, cum archipræsule in gratiam vt rediret, operam dedit. Venit enim ad*

Vis excommunicationis.

episcopum nudus capite & pedibus supplex factus est, & petitam absolutionem ea conditione impetrauit, vt libras argenti 500. capitulo penderet.

Anno C. 1322. Ludouicus Bauarus imperator, Marchiam Brandepurgensem cum electoratus dignitate filio suo Ludouico tribuit. Hic verò bellis ardentem, & à fictitio Marchione Vvoldemaro vexatam Marchiam fratri suo Ludouico Romano concessit, anno C. 1349. contentus Tyrolensi comitatu, & Styria. Ludouicus

Lud. Rom. de familia Vvitelsbachia.

verò Romanus, cognomento iunior, Brandepurgensis Marchio & elector, dux Bauariæ, & comes Palatinus Rheni, ante omnia oppugnauit Vvoldemarum fictitium Marchionem. Hic enim molitoris filius, anno fermè vicesimo nono ab obitu Vvoldemari Marchionis prodijt, frontem, oculos, vultum, & omnes corporis gestus

Fictitius Marchio.

illius repræsentans. Vt autem probabiliorem causam suam redderet, finxit se morbum simulasse, & aufugisse, mortuo quodam in lecto relicto: propterea quod suæ coniugi propter cognatum sanguinem

coha-

cohabitare amplius non potuisset. Ab eo tempore in exilio se vagatum esse, & nunc demum acta pœnitentia ad recuperandam Marchiam reuerti: Persuasit impostor Carolo IV. imperatori, Othoni archiepiscopo Magdepurgensi, Rudolpho duci Saxoniæ electori, ducibus Brunouicensibus, Megapolensibus, Stetinensibus, & principibus Anhaldinis, vt patrocinium eius susciperent. Quanquam odio Bauarorum id potissimum esse factum apparet. Ludouicus Marchio rem sibi esse cum tot & tam potentibus aduersariis sentiens, omnibus viribus hunc aduersarium suum adortus est, tandemq; ditione omni expulit.

Otho Ludouici frater, Marchio Brandepurgensis, comes Palatinus Rheni, dux Bauariæ post eum factus est. Sed anno C. 1373. Marchiam vendidit socero suo Carolo IV. aureis Vngaricis 200000. & vitam in oppido quodam Bauarico consumsit. Otho.

Vvenceslaus Caroli IV. filius, Marchio & elector Bandepurgicus à patre creatus, cum vix annis 5. eam gubernasset, fratri Vvenceslaus.

Sigismundo, an. C. 1378. concessit, factus imperator Romanus.

Sigismundus. *Sigismundus imperator, Marchio & elector Brandepurgensis, rex Vngariæ & Boiemiæ, Marchiam patrueli suo Iodoco Marchioni Morauiæ certa pecuniæ summa oppignorauit, vt armis recuperare regnum Vngariæ posset. Tandemq; à Vuilhelmo diuite, Marchione Misniæ, cui Iodocus oppignorarat, redemtam Friderico Burggrauio Norimbergensi, in Constantiensi concilio, anno C. 1417. in feudum ritu solenni tradidit, ob fidelem operam in bellis Vngaricis, Boiemicis, aliisq; imperii negociis nauatam. Est ergo hic Fridericus elector & archicamerarius imperii primus, in hac Burggrauiorum Norimbergensium familia. Qui arcem Norimbergensem cum Burggrauiatu vendidit reipub. Norimbergensi florinis 180000. nemora verò duo florinis 60000. anno Christi 1427. consentiente Sigismundo imperatore. Mortuo Alberto Saxoniæ electore, vltimo ex Anhaldina familia, Saxoniæ ducatum inuasit, Coloniam*

Fridericus Burggrauius Norimb. comes Zolerensis.

niam arcem ad Sueuum condidit, & anno C. 1440. è vita discessit. Ante mortem verò ex quatuor filijs quos habebat, Friderico, qui proximus erat à Ioanne, natu maximo, electoratus dignitatem assignauit, idq; consentiente, & haud indignè ferente Ioanne. Ille enim acriore erat animo, hic verò remissiore. Iccirco prætulit pater Fridericum, vtpote qui maiori grauitate & commodo VIIuiratum gerere posset. Sic ergo Ioannes I. in hac familia, cognominatus Alchimista, Marchio Brandepurgensis, Burggrauius Norimbergensis, & Voitlandiæ dominus in pace atq; tranquillitate commoda ætatem cõtriuit. Ioan. I.

Fridericus II. Marchio Brandepurgensis, VIIuir & archicamerarius imperij, Marchio cum ferreis dentibus, ob eximiam in rebus gerendis acrimoniam cognominatus, an. C. 1450. Polonos, Lithuanos, Borussos, Francofurtum circumsidentes, fortiter repressit ac fudit, tribus millibus eorum è medio sublatis. In Pomeranos verò mouẽs tantũ consecutus est, vt, assentiente imperatore Friderico III. titulos Frideric. II.

& insignia Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum & Vandalorum vsurpare ceperit. Qui tituli etiam ad posteros omnes translati, hodie à Brandepurgensibus Marchionibus vsurpantur. Adiunxit etiam ad ditiones suas Lusatiam inferiorem à Poloniæ rege Vladislao acceptam. Sed postea Georgio Boiemiæ regi excepto Cotbusio & paucis alijs oppidis eam concessit. Mortuus anno C. 1469.

Marchiones Brandeburgici, duces Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum & Vandalorũ. Lusatia inferior.

Albertus.

Abertus Friderici I. filius, Friderico II. fratri successit, Marchio & elector Brandeburgicus, Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum ac Vandalorum dux, Burggrauius Norimbergensis, princeps Rugiæ, natus anno C. 1414. rei militari ab ineunte ætate studuit. Non bellum vllum est gestum, non prælium commissum, in quo non illustre aliquod documentum fortitudinis ille dederit. Pugnam primus inijt, & postremus deseruit, muros ante omnes conscendit, & ad quoduis certamen singulare promtus & alacer fuit. Prouocatus ab armatis, nudus acuta duntaxat lancea, clypeo & galea munitus decies & septies in certa-

certamine victor euasit. Ob hanc igitur fortitudinis & rerum gestarum laudem Achilles Germanicus, & Vlysses Teutonicus à Pio II. pontifice cognominatus est. Norimbergensibus bellum anno C. 1448. indixit, quod magna varietate fortunæ gestum est. Norimbergenses enim non solùm exercitum ingentem contra eum compararunt, sed socias etiam plerasq; superioris Germaniæ ciuitates habuerunt. Interrogati aliquando cur contra vnum principem, nec adeò opibus valentem copias tantas pararent? responderunt, errat vehementer, qui non credit in vnius Alberti astutia & fortitudine totius Germaniæ principum opes esse sitas. Marchio contrà ad societatem belli allexit principes 17. Certatum est acriter, & prælijs quidem octo, victor euasit Marchio, nono autem victus est quidem, sed cædibus, incendijs & rapinis tantum detrimenti Norimbergensibus, eorumq; socijs attulit, vt pacem flagitare, quàm bellum persequi maluerint. Author est fœderis hæreditarij inter domum Saxonicam, Brande-

Achilles germanicus & Vlysses.

Fœdus inter Saxon. Brandeb. & Hass.

Brandepurgicam, & Hassiacam. Mortuus anno C. 1486.

Diuisio ditionum. *Ex Alberto nati Ioannes, cognomento Magnus, & Fridericus V. ita diuiserunt hæreditaria bona, ut Ioannes obtinuerit Marchiam Brandeburgensem, cum electoratu: Friderico verò cesserit Franconiæ pars circa Norimbergenses.*

Ioan. III. *Ioannes III. filius Alberti Achillis, Marchio & elector Brandepurgensis, dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum & Vandalorum, cognomento Magnus propter corporis staturam & authoritatem eximiam, Item Cicero germanicus, propter insignem & admirabilem dicendi facultatem. Anno C. 1489. cum Ernesto Saxoniæ duce electore, tres reges, Casimirum Poloniæ, Matthiam Vngariæ, & Ladislaum Boiemiæ, de regno Boiemiæ dimicantes Vratislauiæ oratione benè longa, sapiente & graui, sensus ac motus habente de proposito susceptoq; consilio deterruit: cum præsertim paratas copias se cum principe Saxoniæ habere ostenderet ad oppugnandum eum, qui pacis conditiones, quas ferebat,*

Cic. germanicus.

bat, repudiasset. Id quod verè erat σὺν κηρυκείῳ δορὺ φαίνειν, cum caduceo hastam ostendere, vt est apud Thucydidem, vel orationi minas regaliter addere, vt est apud Ouidium. Bellum gessit cum Ioanne Saganensi duce, cuius finis is tandem fuit, vt Crosnam, cum quibusdam oppidis, loco dotis obtineret. Ante mortem filium suum Ioachimum hortatus est ad pietatis, iustitiæ, & beneficentiæ studium, à vi verò aduersus subditos, & ab illecebris voluptatis dehortatus. Exiit è vita an. C. 1499. Crosna.

Albertus Ioannis Magni filius, Marchio Brandepurgensis, &c. Archiepiscopus Magdepurgensis & episcopus Halberstadensis primum, postea verò archiepiscopus Moguntinus, elector, Cardinalis & legatus natus, de quo suprà in archiepiscopis Moguntinis. Albertus Card.

Ioachimus I. Ioannis Magni filius, Alberti archipræsulis Moguntini frater, Marchio & elector Brandepurgensis, dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum & Vandalorum, Burggrauius Norimbergensis, princeps Rugiæ, natus anno Christi 1484. Ioach. I.

dicen-

dicendi facultate patrem penè æquauit. An. 1530. in conuentu Augustano, Campegium cardinalem pontificis Rom. legatum, nomine clericorum oratione latina & splendida accepit. Respondit quoque legatis Liburnorum, hoc est, Croatorum, latinè, cum opem imperij contra Turcas implorarent. Eiusdem opera etiam vsus est Carolus V. cum legatis protestantium fuit respondendum. Ad hoc eximium ornamentum eloquentiæ accessit amor doctrinæ literarum ardens & singularis, quo incensus vnà cum fratre Alberto, Academiam Francofurti fundauit, anno C. 1506. authoritatem & robur accommodante Maximiliano I. imperatore, & Papa Alexandro VI. Mortuus est an. C. 1535. Hic reliquit post se filios duos, Ioannem & Ioachimum II. qui distinctas sedes fortunarum habuerunt, Ioachimus quidem in Marchia Brandepurgensi, Ioannes verò in Custrinensi.

Chyt. | Academia Francofurdiana.

Ioan. prudens.

Ioannes cognomento prudens & seuerus natus anno C. 1513. Marchio Brandepurgensis, dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum,

borum, Vandalorum, & Crosnæ in Silesia, Burggrauius Norimbergensis, religionem reformatam maturè amplexus constantia & grauitate summa retinuit. Secutus quidem est Cæsaris Caroli V. castra anno C. 1546. contra Protestantes, sed inuiolata religione, & integra conscientia. Non enim aliud spectauit, quàm vt secundum Christi præceptum Cæsari, quæ sunt Cæsaris, & Deo quæ sunt Dei tribueret. Anno C. 1548. cum formulam interreligionis, quæ Sphynx Augustana appellabatur, Cæsar cunctis principibus atq; ordinibus obtrudere vellet: hic Ioannes Marchio dixisse fertur, se neq; formulam istam conciliationis pontificiæ, & euangelicæ religionis probare, neq; concilio Tridentino futuro se subijcere integra conscientia posse. Impetrauit, cum fratre Ioachimo II. ducatum Crossensem à Ferdinando rege, an. 1538. ex quo dux Crossensis nominari cœpit. Atq; ita à Cæsare dimissus est. Mortuus anno C. 1571. Post mortem dissecto corpore, inuentus est, in fellis vesicula lapis asper, instar oliuæ, cor verò flacci-

dum,

dum, ex quo dissecto ater sanguis effluxit.

Ioach. II. *Ioachimus II. Marchio & elector Brandepurgensis sextus, dux Pomeraniæ &c. natus anno C. 1503. literarum & militaris scientiæ studiosus, anno C. 1532. in Turcos iuit, quando Solymanni, Turcici imperatoris dux Cosonus Lyncium vsque excurrerat, omnesq́ agros longè lateq́ vastarat. Hic cum iam præda ingenti onustus pedem referret, Fridericus Palatinus Rheni, & Ioachimus Marchio ei occurrerunt, omnesq́ copias illius, quæ 14000. vel vt alij volunt, 16000. fuerunt, ita attriuerunt, vt ad internecionem diuersis in locis redactæ sint, & quidem Cosonnus ipse etiam perierit. Ob hoc præclarum* Eques auratus. *facinus eques auratus à Carolo V. imperatore creatus est. Habuit in exercitu suo equites 1100. pedites verò 4000. Ac cum iter ingressus est, galli vix ante biduum nati læta acclamatione totum diem cecinerunt. Huius auspicijs religio reformata in Marchiam Brandepurgicam inuecta est. Anno C. 1542. in conuentu Spirensi, summa belli contra Turcas ei commendata est.*

ta est. Sed serò nimis processit expeditio, cum iam occasio rei bene gerendæ omnis amissa esset. Itaq; cum iactura magna recuperatio Budæ & Pesti prætermissa est, & exercitus pars reliqua ægrè in Austriam euasit. Anno 1539. Augustanæ confessionis doctrinam & ritus cum ea congruentes in Marchiam totam, opera Matthiæ à Lago, & Iacobi Stratneri passus est importari. Anno C. 1546. contra Protestantes Cæsaris castra sequitur, eiusq; post victoriam de interreligione decretum amplectitur. Anno C. 1550. Cum Mauritio Saxone Magdepurgum armis oppugnat. Moritur an. C. 1571.

Fridericus Ioachimi II. filius, Marchio Brandepurgensis, archiepiscopus Magdepurgensis, primas Germaniæ, & administrator Halberstadensis, moritur anno C. 1552. Fridericus.

Sigismundus Ioachimi II. filius, Friderici frater, Marchio Brandepurgensis, archipræsul Magdepurgensis, & Administrator Halberstadensis, moritur anno C. 1566. Sigismundus.

Ioan-

Ioan. Georgius.

Ioannes Georgius, Ioachimi II. filius, Marchio Brandeburgensis, elector, & archicamerarius imperij, dux Pomeraniæ, Stetini, Borußiæ, Cassuborum, Vandalorum, & Crosnæ in Silesia, Burggrauius Norimbergensis, natus anno C. 1525. in pace & tranquillitate commoda ecclesiam & rempublicam sibi commissam gubernat. Et iam longiùs ætate prouectus authoritate non solùm subditis suis, sed etiam imperio toti prodest.

Ioach. Frid.

Ioachimus Fridericus, Ioannis Georgij filius, natus anno C. 1546. Marchio Brandepurgensis, &c. Administrator archiepiscopatus Magdepurgensis, commodus, æquus, & salutaris. Nam & subditos in bona pace gubernat, & religionis doctrinam secundum Augustanam confeßionem fouet, & in ipsum etiam cathedrale templum Magdepurgense importauit. An. C. 1579. controuersiam omnem, quæ inde vsq; à transactione Mauritij Saxonis cum ciuitate Magdepurgensi durauerat, cum Augusto Saxone composuit ita, vt ius suum pristinum in ea ciuitate recuperarit.

Fride-

Fridericus V. Alberti Achillis germanici filius, Ioannis Magni frater, Marchio Brandepurgensis in Francia, Burggrauius Norimbergensis, dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum, Vandalorum, &c. natus anno C. 1460. rei militaris virtute præstitit. Primum in certamen venit cum Norimbergensibus, anno C. 1502. de iurisdictione quadam, ob quam exeuntes ad encænia trecentos & viginti octo deleuit. Deinde anno C. 1504. in bello Bauarico Maximilianum I. imperat. adiuuit. Mortuus anno C. 1536. Fridericus.

Casimirus Friderici V. filius, Marchio Brandeburgensis in Francia & Voitlandia, dux Pomeraniæ, &c. natus anno C. 1481. Norimbergenses exeuntes ad encænia oppreßit ex improuiso, maleq́ tractauit. Carolo V. imperatori operam fidelem nauauit. Et tandem in Vngariam contra Ioannem Sepusium, Vvaiuuodam missus, Budæ vitam clausit, anno C. 1527. Casimirus.

Georgius II. cognomento Pius, Friderici V. filius, Brandeburgensis Marchio in Onolspach, dux Pomeraniæ, &c. natus Georgius.

anno C. 1484. in aula Vladislai auunculi, regis Vngariæ, artem militarem didicit, & eandem vicissim filium regium Ludouicum docuit, quamobrem dux Silesiæ in Iegersdorff, Ratibor, & Opplen ab eo creatus est. Religionem reformatam non solùm amauit, sed eandem etiam in ditione sua promulgauit. Ac vt certior de vera religione fieret, Vvittebergam, sex tantum ministris comitatus, profectus est, & institutionem à Luthero petijt. In conuentu Augustano, anno C. 1530. cum Cæsar decretum de recipienda religione pontificia vrgeret, multiq́; potentiam Cæsaris pertimescerent, hic Marchio Georgius, coram Cæsare & Ferdinando rege ingenuè aperteq́; professus est, se Cæsari tribuisse, quæ debuerit, eaq́; in posterum etiã tribuere velle: sed in causa religionis Deo magis obediendum esse quàm hominibus. Itaq; non posse se à doctrina Euangelij, quæ æterna Dei, & filij ipsius Iesu Christi veritas esset, discedere, etiamsi profundenda sit vita. Ad quod Cæsar, non agitur de vita eripienda, respondit, hortatusq́; est, vt in fide

fide grauitateq́ permaneret: Mortuus est anno C. 1543.

Ioannes Albertus Marchio Brandepurgensis, &c. Alberto archipræsuli Moguntino & Cardinali successit in archiepiscopatu Magdepurgensi, & episcopatu Halberstatensi, mortuus an. C. 1548. Ioan. Albertus.

Albertus V. senior, Friderici V. filius, Marchio Brandepurgensis, &c. natus anno C. 1499. pueritiæ annos in aula Hermanni Coloniensis archipræsulis consumsit. Inde progressus disciplinis artium & belli instructus est, & anno C. 1511. magister Teutonici ordinis generalis in Borussia designatus. Cum autem anno C. 1525. à Sigismundo Polonorum rege vrgeretur vehementius, vt fidelitatis & subiectionis iusiurandum ex transactione anni 1466. ipsi daret, frustraq́ imperij opem contra tantum hostem imploraret: proprietatem seu dominium directum Borussiæ cogitur ei concedere. Itaq́ Vasallus regni Polonici, & primus dux Borussiæ factus, deinde in eius fide permansit. Etsi autem accusatus est eo nomine, quasi qui Borussiam Primus dux Borussiæ.

ab imperio auelli passus sit, & iccirco etiam proscriptus, nec ad societatem fœderis à protestantibus receptus: tamen in præsidio ac tutela regis Polonici latuit, & pace commoda vsus est. Vt autem antea, anno scilicet Christi 1523. ecclesiam reformauerat, & doctrinam euangelij puram in ducatum inuexerat: sic postea anno scilicet 1544. Academiam Regiomonte instituit. Doctrinæ studia fouit, viros eruditos recepit, & congressibus colloquijsq; doctorum apprimè delectatus est. Largus, beneficus, & liberalis in omnes fuit. Autoritatem pontificis Romani, à quo ad concilium Tridentinum vocabatur, contemsit. Anno C. 1563. improuiso aduentu Erici ducis Brunouicensis, sororij sui in Borussiam territus, paralysi arreptus est, & tandem anno 1567. in bona quiete ducatus, & amore summo subditorum expirauit. Huic successit filius, Albertus Fridericus, natus anno C. 1553. Borussiæ dux secundus, Pomeraniæ, &c.

Academia Regiomontana.

Albertus Fridericus.

Albertus Iunior.

Albertus VI. Iunior cognomento, Casimiri filius, natus anno C. 1522. Marchio

chio Brandepurgensis in Voitlandia, Burggrauius Norimbergensis, belli quàm pacis studiosior, primum an. C. 1544. cum Mauritio Saxone in Galliam profectus est, & Carolo V. militauit. Deinde anno 1546. arma contra Ioannem Fridericum, Saxoniæ electorem in bello Germanico induit, & Carolum V. adiuuit. Sed captus Rochlicij in custodiam inclusus est Gothæ. Inde capto Saxone electore, liberatus, in obsidione Magdepurgensi, Mauricio electori se socium præbuit. Soluta Magdepurgensi obsidione Norimbergam obsidet, anno C. 1552. diripit Forcheimum, episcopos Vvurcepurgensem & Bambergensem grandi pecunia multat. In Galliam abit, & fœdus cum rege sancit. Hinc Gallus cum exercitu ingenti in Germaniam tanquam vindex libertatis eius venit, Tullum, Virodunum, Metim imperij oppida capit & Lotharingiam etiam occupat. Mira per id temporis rerum vicißitudo erat. Cæsar Carolus religioni pacem denegabat: & principes captiuos, præsertim Landgrauium diutius in custodia, quàm lingua

Mira rerum vicißitudo.

nuncupatum esset, detinebat. Mauritius & Albertus contra pacem religionis, & liberationem Landgrauij, quam precibus obtinere non poterant, vi extorquebant. Cæsar cum aliam rationem vindictæ nullam inueniret, in mutua arma incendebat Mauritium & Albertum, quibus fracti ac debilitati succumberent. Ceperat autem paulò antè Albertus nonnullas vrbes, arces, & oppida Norimbergensium & episcoporum in Francia, quæ ne vnquam ab ipsis repeterentur, cauerat. Hanc obligationem Cæsar vt iniquam prorsus rescidit primum, & irritam fecit: postea verò cum in obsidione Metensi ope & copijs Alberti vteretur, confirmauit. Interim episcopi sua recuperarunt. Quod reuersus Albertus indignè tulit, & collecto exercitu, rapinis & incendijs damni multum dedit. Conabatur quidem Palatinus Rheni Bauarus & Cliuensis controuersiam illam componere: sed irritus erat omnis conatus. Coacti igitur necessitate episcopi & Norimbergenses auxilium à Ferdinando rege, Mauritio electore, & Henrico Brunouicense

censę

cense petunt. Marchio nulla interposita mora Bambergensem episcopatum occupat, Moguntinum archiepiscopatum diripit & vastat. Norimbergensibus item oppida duo Lauffen, & Altdorffium eripit & exurit: quin Suuinfurtum etiam incredibili solertia in potestatem suam redigit. Inde peragrata Duringia in Saxoniam copias suas ducit, Halberstadium occupat, & Henrici ducis Brunouicensis ditionem, adiutus ab Erico duce Brunouicensi, & Francisco inferioris Saxoniæ duce, hostiliter inuadit. Henricus Brunsuicensis cognito hoc inopinato Alberti impetu domũ properat. Mauritius verò vocibus eiusdem minacibus, & acerbis permotus erat, quibus iactarat se in reditu ex Saxonia ferro & igni vastaturum esse Misniam. Iccirco cum exercitu ei occurrit, et præliũ cum eo committit non procul ab vrbe Brunsuuiga, in qua Albertus victus ægrè euadit. Sed minimè tamen fractus hac clade reliquias belli persequitur: Carpentũ se euertisse inquiens, operãq; esse dandã, vt currum contra erigat. Collecto igitur, acciso et dißipato exercitu suo,

renouare bellum instituit: sed insecutus eum Henricus Brunouicensis dux, denuò prope Brunsuuigam eum fundit & profligat. Pulsus è Saxonia Albertus per Duringiam redit in Franciam. Quare compulsi Norimbergenses & episcopi, Henricum Brunsuuigi ducem cōtra hostem illum suum aduocant. Hic propere cum fœderatis suis sese coniungit, & Marchionis Alberti oppida & arces, Lichtenfelsium, Culmbachium, Blassenburgum, Schuuinfurtum imperij vrbem partim obsidet & premit, partim occupat, diripit, & vastat. Marchio Schuuinfurtum defensurus cum copijs suis vrbem quidem ingreditur, inuitis ijs, qui eam circumsidebant: sed tertio die Kittingam profugit. Brunouicensis verò & fœderati fugientem insequentes, tormentis, curribus, & omnibus præsidijs spoliant. Albertus in fuga ab ipso imperatore etiam proscriptus, in Galliam quidem venit, sed non multò pòst inde reuersus quod reliquum vitæ fuit, apud sororium suum Carolum Marchionem Badensem in porta Hercinia consumit, tandemq;

demq́ anno C. 1558. è vita migrat: Pforcemij sepultus est, vbi titulus vindicis Germanicæ libertatis in tumulo ei tribuitur. Occupata verò ab episcopis Alberti ditio postea patrueli eius Georgio Friderico restituta est à Ferdinando imperatore.

Georgius Fridericus, Georgij II. Pij filius, Marchio Brandepurgensis, & Onolspachensis in Francia & Voitlandia, dux Pomeraniæ, Stetini, Cassuborum, Vandalorum, in Iegersdorff, Ratibor, Opplen & Borussia, Burggrauius Norimbergensis, non modò ditionem suam gubernat in bona pace & tranquillitate ecclesiæ & reipublicæ, sed etiam Borussiæ ducatum Stephani Polonorum regis concessu anno C. 1578. vt feudum administrat. Georgius Fridericus.

Ioannes Sigismundus marchio Brandepurgensis, Ioachimi Friderici Administratoris archiepiscopatus Magdepurgensis filius duxit Annam, Alberti Friderici ducis Borussiæ filiam, anno C. 1591.

Ioannes Georgius eiusdem Ioachimi Friderici filius Administrator episcopatus Argentinensis.

Anna Catharina eiusdem Ioachimi Friderici filia nupsit Christiano IV. Danorum regi, anno C. 1597.

LANDGRAVII HASSIAE.

HEssi iidem sunt qui Catti, & Cattiuarij Hessi sunt, qui versus Gottingam & Padebornam circa Cassellas habitant. Hessorum autem nomen etiam ante Christum natum celebratur in historijs. Nam imperante Augusto missus est cum exercitu contra Germanos Claudius Drusus Nero, vt totam Germaniam subigeret, & in prouinciæ formam redigeret. Hic Rhenum duobus pontibus iunxit, vno supra Coloniam, vbi Bonna est, altero ad Nouesium. Sedem verò & hyberna Moguntiæ collocauit. Inde in Tencteros, & Vsipetes mouit, qui sunt Iuliacenses, Geldrenses, & Bergenses, item in Chattos, Sicambros, Sueuos, Angriuarios, Vvestualos, Duringos, Saxones, Misnenses, ad Albim vsq;. Qui verò trans Albim, & in Boiemia considebant Sueui, cum duce suo Mero-

Merobudo Romanis fœderati erant. itaq; Drusus Albim transire ausus non est. In primis verò adortus est Chattos, quos etiam vicit. Frisios verò sub potestatem Romanorum subiecit. Parum abfuit, quin Visurgim transisset Drusus: sed retractus est partim commeatus inopia, partim hyemis propinquitate. In reditu verò circumfusus à Germanis in angustijs viarum cæsus ad internecionem fuisset, nisi Germani auiditate prædæ allecti hostem temerè neglexissent: à quo incauti iterum oppressi & cæsi sunt. Dio Caßius lib. 54. Landgrauius autem latinis est comes prouincialis, seu præfectus prouinciæ. Imperatores enim Romani primum distribuerunt prouincias imperij ijs, quorum virtus & industria in bellis & rebus arduis cognita erat: & quidem iure feudali, vt iusta & honesta laborum compensatione tanquam mercede ad imitationem virtutis atque industriæ inuitarentur posteri. In hunc finem etiam Cæsar Conradus I. cognomento Saliquus partem Duringiæ Ludouico Vvilhelmi comitis Arelatensis filio contu-

Landgrauius.

contulit, anno C. 1039. quod eius consilijs diu vsus esset. Patri successit Ludouicus II. cognominatus Salius, quod de arce altissima, in qua custodiebatur prope Halam Saxo. ad Salam in profluentem desiluerit & aufugerit, post bienny captiuitatem, anno 1072. Tertius verò Ludouicus primus comes prouincialis Duringiæ & Hassiæ creatus est à Lothario imperatore socero, & mortuus est an. C. 1149.

Ludouicus IV. *Secundus Landgrauius fuit Ludouicus IV. illius nominis, cognomento Ferreus, à ferreis armis, quibus munitus fuit. Tertius Duringiæ & Hassiæ Landgrauius fuit* Ludouic. V. *Ludouicus V. cognomento mitis vel pius, qui militauit Barbarossæ imperatori in Syria, & captus est anno C. 1182. Hoc tempore comes primus in Zigenhain factus est Fridericus I. à quo propagati sunt comites Zigenhainenses. Quintus Landgrauius Duringiæ & Hassiæ fuit Ludoui-* Ludou. VI. *cus VI. natus anno C. 1200. qui etiam Saxoniæ Palatinus, & eques auratus in historijs appellatur. Sextus Landgrauius* Frider. II. *Duringiæ & Hassiæ fuit Fridericus II. natus an. C. 1223.*

Sub-

Sublatis è vita his Duringiæ & Hassiæ Landgrauijs, Henricus Henrici II. ducis Brabantiæ filius, ex matre Sophia, Ludouici Landgrauij & S. Elisabetæ filia natus, hæreditatem vtriusq; comitatus Duringiæ & Hassiæ, propter auum maternum, adire voluit. Sed litem ei de successione intendit Henricus Misniæ marchio, qui post longam disceptationem, Duringiam obtinuit: Henrico autem Brabantino Hassia ab arbitris adiudicata est. Inde ergò stirps Landgrauiorum Hassiæ deducitur. Mortuus est hic Henricus Brabantinus infans Hassiæ cognominatus, an. C. 1308. Successit ei filius Otho in Landgrauiatu Hassiæ. Othoni successerunt Henricus Ferreus vel magnanimus, qui cum fratre suo Ludouico ditionem partitus est, ea conditione, vt alter vxorem duceret, alter verò cælebs maneret. Placuit etiam, vt vterq; sponsam vnam marchionis Misniæ, & Duringiæ Friderici Admorsi filiam ambiret, sed sponsæ liberum esset, vtri vellet nubere. Nupsit igitur Henrico, à quo tamen an. C. 1340. repudiata

Henricus infans Hass.

Stirps Land. Hassiæ.

diata est. Natus ex hoc Henrico est Otho cognomento ſagittarius, anno C. 1339. mortuus. Poſtea tamen etiam Ludouicus vxorem duxit. Post Henricum & Ludouicum floruit in principatu Haſsiæ Hermannus, ex quo natus est Ludouicus cognomento Mitis, ſeu pacificus, qui primus fuit comes Zigenhaini, & Niddæ. Hic est, qui imperium ad ſe delatum, diſſentientibus tamen principum ſuffragijs, animo celſo, ſua tamen ſorte contento, in alium reiecit. Mortuus anno C. 1458. Ex Ludouico natus Henricus III. comitatu Cattimelibocenſi ab vxore, Philippi ſenioris Cattimelibocenſis comitis filia accepto, ditionem auxit. Mortuus anno C. 1483. Henrici III. filius fuit Guilelmus Haſsiæ Landgrauius, Cattimeliboci, Dizy, Zigenhaini, & Nigdæ comes. Ex Guilelmo natus est Guilelmus medius in venatione ex equi lapſu mortuus. Hermannus verò Haſsiæ Landgrauius Colonienſis archiepiſcopus, & Padepornenſis præpoſitus est factus. Ludouicus III. Landgrauius Haſsiæ Caſſellis aulæ ſedem habuit. Ex hoc natus Guil-

Cattimelibocenſis comitatus.

Guilelmus medius Haſsiæ comes prouincialis Spangenbergæ primum, poſtea, fratre capto, Caſſellis aulæ ſedem habuit. Mortuus anno C. 1509.

Ex Guilelmo medio natus eſt Philippus anno C. 1504. Princeps totius Haſsiæ, gloria clarus, authoritate grauis, quem Philippo Macedoni comparabat Melanchthon. Emendationem eccleſiæ in ſuis ditionibus ſuſcepit an. C. 1525. de conſilio & ſententia Philippi Melanchthonis, qui ſuaſit doctrinam quidem iuxta normam verbi diuini corrigendam eſſe, ſed ritus omnes, qui abſq; impietate ſeruari poſſent, retinendos. Anno C. 1527. cum Saxoniæ duce impediuit executionem edicti Vuormatienſis admodum duri in euangelicos: oppoſita ſolenni proteſtatione. Ex qua proteſtantium ſtatus dici cœperunt. Socios huius proteſtationis habuit Sax. electorem Ioannem, Erneſtum Luneburgenſem ducem, Georgium Brandepurgicum, & alios. Eodem anno Academiam Marpurgi fundauit, eamq; liberalibus ſtudijs, eruditis profeſſoribus, & reditibus

Emendatio eccleſiæ.

tibus ita locupletauit, & auxit, vt nulla Academia Germaniæ inferior esse videatur. Apparet id consilio summo factum esse & Zelo quodam pio ac salutari, vt officina religionis, sapientiæ & eloquentiæ esset in qua fundamenta & firmamenta doctrinæ de Deo, artium & linguarum traderentur atq; propagarentur, & plus præsidij ac roboris haberet reformata ecclesia ad tuendum sua dogmata & refutandum contraria. Anno C. 1528. copias militares comparauit, vt armata manu conspirationem aduersus electorem Sax. & se in causa religionis comprimeret. Sed detecta vanitate rumoris, arma deposuit, receptis ab episcopis, Moguntino, Vvurcepurgico, & Bambergico belli impensis. Anno 1534. Vlricum ducem Vvirtembergensem in patrium ducatum, vnde eiectus erat, restituit, in eaq; victoria moderationem & disciplinam militarem tantam adhibuit, vt deditis receptisq; in fidem vis nulla afferretur. Anno C. 1546. cum iam omnia ad ciuile bellum à pontificijs aduersus euangelicos comparata essent,

Ficta conspiratio aduersus Lutheranos.

Restitutio ducis Vvirtemb.

Bellum Germanicum.

sent, & Cæsar ipse non obscurè significasset, se vi & armis repressurum esse principes quosdam rebelles, ac læsæ maiestatis reos, quiq; ducem Brunsuicensem captiuum tenerent, & ecclesiastica bona occupassent: Philippus vnà cum Friderico Sax. electore, fœderis Smalcaldici ducem sese præbuit: vt si vis à frementibus pontificijs inferretur, vi repelli posset. Suscepto ab vtraq; parte bello, fatalis quædam necessitas omnia consilia vtriusq; ducis euertit: & Saxo quidem captus, Hessus verò ab electore Brandeburgico, & Mauricio Saxone persuasus in Cæsaris fidem sese contulit, à quo præter omnem spem & opinionem in quintum annun custodia duriore affectus est.

Anno 1557. controuersia penè quinquaginta annorum de Cattimelibocensi comitatu composita est, adhibitis arbitris sapientibus & industrijs, Othone Henrico Palatino ad Rhenum, Augusto Saxoniæ electore, Vuilhelmo Iuliacensi duce, Christophoro Vuirtembergico. Et mansit quidem comitatus Cattimelibocensis in pote- Catzenelbogen.

 state

ſtate Landgrauiorum Haſsiæ, ea conditione, vt Landgrauius comiti Naſſouiæ ſexies centena millia aureorum exolueret, & comitatu Dizenſi cederet. Comites verò Naſſouiæ, Cattimelibocenſes comites, Landgrauuij contra Dizenſes comites appellarentur, & arma gentilitia in ſuis inſignibus vtraq; pars gereret. Anno 1561. cum principibus Auguſtanæ confeſſionis in Numburgenſi conuentu de reſponſo quod Cæſari Ferdinando dandum erat cauſa indicti à pontifice concilij conſultauit, & anno C. 1567. è vita mortali in immortalem commigrauit.

Guilhelmus. Ex Philippo natus eſt Guilhelmus an. C. 1532. Philippus Ludouicus anno 1534. Ludouicus anno 1537. Philippus an. 1541. Georgius an. 1547. Inter quos Guilhelmus natu maximus teſtamento patris quod fratres ratum habuerunt, ſemiſſem ſiue dimidiam partem ditionum atq; bonorum paternorum obtinuit. Sed cum fratre Ludouico Academiæ Marpurgenſis curam & gubernationem communem habuit, Dicaſterium verò generale fratres ſimul omnes

omnes rexerunt. Ac Ludouicus quidem Landgrauius Hassiæ, comes Cattimeliboci, Zigenhaini & Niddæ, princeps ingenio excellenti, & literarum scientia insigni conspicuus, Marpurgi sedem aulæ habet. Philippus verò Reinfelsij, Georgius pietate & eruditione commemorabili præditus. Darmstadiæ in superiori comitatu Cattimelibocense. Reliquit hic post se Ludouicum, Philippum, Ioannem Georgium, & filias. Guilelmi autem prima ætas dedita disciplinis fuit, ijsq́; artibus, quibus generosi animi ad veræ religionis scientiam, & ciuilem rerum cognitionem atq; vsum instruuntur. Etsi enim rempub. à patre benè præclareq́; institutam, ac legibus, armisq́; munitam accepit: tamen ad tuenda parta bona non minùs quàm ad paranda consilio, & industria opus est. Itaque Guilelmus princeps doctrina liberaliter institutus, & literis non vulgaribus, sed interioribus, & reconditis perpolitus est. Quas quidem literas excellenti magnitudine ingenij tam auidè arripuit, vt quasi sitim diuturnam explere vide-

retur. Consecutus autem est eam præstantiam, vt lumen animi, ingenij, & consilij sui imperio toti ostenderet. Magnum imprimis studium, multamq́ operam in mathematicis posuit, tantosq́ progressus fecit, vt non solùm iudicare de corporum cælestium motibus, atq; effectibus rectè potuerit, sed instrumenta etiam admirabili solertia, & arte incredibili confecerit. Et quoties in cœlo phænomenon aliquod extitit singulare, oculi totius imperij in eum coniecti sunt, ab eoq́ quid esset, quidq́ portenderet quæsitum. Quicquid item in imperio graue, aut arduum accidit, id ad hunc principem, tanquam ad oraculum relatum est.

In adolescentia etiam rem bellicam administrauit. Cum enim pater Philippus præter omnem spem, & opinionem in quintum vsq; annum in custodia Cæsaris detineretur, & ditio Cattorum Mellibocorum Nassouijs ab eodem adiudicata esset: non quiescendum sibi esse iudicauit Guilelmus filius, Sed omnes rationes expediendæ salutis cum Mauricio Saxone, & paucis

cis aliis principibus persecutus est. Et cum æquitate obtineri nihil posset, arma induit, & Mauritij Saxoniæ electoris ductum vnà cum fratre Ludouico secutus, adducto exercitu Rheticarum alpium fauces incredibili celeritate superauit, & arcem Erenbergã occupauit. Quo cognito, Cæsar noctu accensis funalibus Oeniponte profugit. Exitus verò huius expeditionis is tandem fuit, vt Philippus pater ex quinquennali custodia liberatus sit, & pax religioni diu multis votis optata, secundum Passauiensis transactionis formulam concessa. Alia item composita sunt, quæ in illa pacificationis formula, quæ salutis, & tranquillitatis Germanicæ fundamentum, atq; firmamentum est, continentur. Mortuus est Guilelmus princeps anno C. 1592. die Augusti 25.

Guilelmo successit Mauritius filius vnicus, in quo ingenium splendidissimum, literæ exquisitæ, studium sapientiæ summum, virtus singularis, temperantia admirabilis, moderatio eximia; rara deniq; omnia, & ad præstantiam tantam, quan-

ta potest cadere maxima in principem bonum, potentem, & salutarem directa: vt non tam prudentia acutissimus, quàm literatorum principum literatissimus iure omni habeatur.

DVCES SAXONIÆ, LVNÆPVRGENSES, LOVENpurgenses, Brunsuicenses, & Grubenhagienses.

STirps & author Lunæpurgensium ducum est Hermannus Billingus Stubekeshorn, quem Otho imperator I. anno C. 965. Burggrauium Magdepurgensem, & principem Lunæpurgensem, fecit, leonisque cærulei in campo albo insigne tribuit. Huius posteri retinuerunt ducatum illum vsque ad Magnum ducem vltimum, quem Henricus IV. imper. cepit. Hoc sine mascula prole in carcere mortuo, Henricus V. imper. ducatum Saxoniæ Lothario imperatori tribuit. A Lothario translatus postea est ad Bernardum Vrsum, pulso Henrico Leone à Friderico Barbarossa anno C. 1180. Ex hoc Bernardo natus Albertus I.

Ex Al-

Ex Alberto I. Ioannes stirps ducum Saxoniæ, Angriæ, & Vvestualiæ, qui Louenpurgi sedem habent, extitit. Mortuus est anno C. 1285. Ab hoc igitur dynastæ siue duces Louenpurgenses procreati sunt, Albertus, Ericus, Bernardus, Ioannes, Magnus, Franciscus.

Louenpurgi

Familiæ autem Brunouicensium & Lunæpurgensium principum author est Vvelphus, Robustus cognomento, Azone Estensi prognatus. Azo enim Cunegundam ex nobilissima stirpe Vvelphorum duxit, ex eo natus Vvelphus cognomento Robustus, ab Henrico IV. imperatore, Vvelphi auunculi absq; sobole mascula mortui, ducatum in Bauaria accepit, Vvelphi Robusti filius patris nomen gerens in matrimonio habuit Vvulfilden, Magni ducis filiam, ex qua natus Henricus Superbus, Lotharij Cæsaris filiam vxorem duxit, cum eaq; ducatum Saxoniæ adeptus est. Etsi autem filius eius Henricus Leo à Cæsare proscriptus Bauariam amisit: tamen Saxoniæ principatũ non solùm ipse, verùm etiã posteri eius retinuerunt. Henricum Leonem

Azo Estensis idem est qui Ferrariensis, è Longobardorũ stirpe. Inde Estenses duces nominari ceperunt an. C. 1240.

ſecutus eſt Otho IV. qui etiam imperator deſignatus eſt an. C. 1199. Item Henricus, qui Palatinatu ad Rhenum potitus eſt, item Otho cognomine paruus, qui à Friderico II. imp. in conuentu Moguntino dux Brunouicenſis & Lunæpurgenſes inauguratus eſt. Ex huius familia duces Brunouicenſes & Lunæpurgenſes iam ad annos amplius 350. prodierunt. Mortuo autem Othone puero, anno ſcilicet C. 1252. Albertus filius vtrumq; ducatum gubernauit. Sed poſtea anno C. 1269. fratri Ioanni ceſſit Luneburgenſem ditionem, ſibi verò Brunſuicenſem reſeruauit.

Diuiſio ducatus Brun. & Lunep. *Anno 1294. fratres duo Henricus & Albertus duces Brunouicenſes & Lunæpurgenſes diſſidere inter ſe cœperunt, de hæreditate à fratre Vuilhelmo relicta; adeò quidem, vt Albertus Henricum, qui Mirabilis cognominabatur, cum liberis Brunſuiga expulerit. Quamobrem is Einbecum trans ſyluam occupauit, & Grubenhagij ſedem aulæ collocauit. Ab hoc ſunt duces Brunouicenſes Grubenhagienſes.* Grubenhagienſes.

Anno C. 1364. Magnus Torquatus vel Cate-

Catenatus, sic dictus à catena argentea, quam de collo suspensam gestauit, dux Brunouicensis & Lunæpurgensis, à Megapolensibus in bello victus est, & iterum Lunæpurgenses oppugnans arcem Lunæpurgi amisit, & à gregario milite confossus est.

Anno C. 1400. Fridericus dux Brunouicensis & Lunæpurgensis, Torquati filius, rex Romanorum electus est à nonnullis, sed in reditu à duobus equitibus auratis, instinctu archipræsulis Moguntini, & Henrici comitis Vvaldeccensis confossus est.

Anno C. 1428. Vvilhelmus Victoriosus à septem prælÿs, quibus victor euasit, sic dictus, patruo Bernardo, Torquati filio, ex pacto concessit Lunæpurgensem ducatum, sibi verò Brunouicensem reseruauit. Ita factum, vt Bernardus Lunæpurgensium ducum stirps, hic verò Vvilhelmus Brunouicensium extiterit. Hic Vvilhelmus genuit filium Vvilhelmum, ex quo natus est Henricus senior, bellicosus princeps, qui anno C. 1514. in obsidione arcis

Orth globo tormentario ictus interijt. Huius filius Henricus iunior est, qui Iulium procreauit, Academiæ Iuliæ, quæ est Helmæstadij, fundatorem, an. 1576. Iulium secutus est Henricus Iulius eiusdem Academiæ Rector & Patronus perpetuus.

Academia Iulia.

PRINCIPES ANHALDINI, COMITES ASCANIÆ ad Hercyniam.

Ascanij ex Ascane filio Gomeri nominati sunt. Ab hoc Ascania, Phrygiæ vrbs, cuius Homerus meminit, & alia eiusdem nominis in Mysia, non procul à Nicæa nomen accepit. Sunt etiam qui putent Ascherslebiam in Halberstadiensi diœcesi ab eodem appellatam esse, quasi Ascenis templum vel domum. Quanquam à Germanico nomine proprio Asch etiam nominari videtur. Migrauit autem gens Ascania ex Asia in Europam bonis auspicijs, & in vastis incultisq; tractibus versus occasum & septentrionem consedit.

Beringus Vrsinus.

Ex hac stirpe natus Beringus Theodosio iu-

sio iuniori militauit, & ob res benè gestas Vrsinus princeps designatus est. Filius verò eius Aribertus, vel Aribo à Constante Cæsare, Constantini filio in Germaniam missus, præses Saxoniæ prouinciæ ordinatus est, contra Sorabos & Henetos. Sedem habuit ad Visurgim & Hercyniam; mortuus circa annum Christi 669. Ab hoc principes ac domini Hercyniæ, Ascaniæ, & Ballensteti sunt orti. Longa est series successorum in hac familia vsq; ad Albertum Vrsum, qui cum Sorabis ad Albim in Marchia Brandepurgensi, & Saxonia superiore de omnibus fortunis dimicauit. Factus est hic an. C. 1142. Marchio Brandepurgensis, mortuo Primislao Obotritorum regulo, qui Marchiam tenebat, & hunc Albertũ permissu Cæsaris Conradi III. hæredem eius instituerat. Suntq; ab eo conditæ & nominatæ, vel certè instauratæ vrbes in Marchia, Berlinum, Bernauum, & aliæ. A colonis verò nouis, Flandris & Hollandis, quos, expulsis Henetis, prope Misnenses & Hercynios ad Albim & Hauelũ collocauit, appellationes oppidorũ,

Albertus Vrsus.

Marchio Brandeb.

Came-

Cameraci, Neomagi, Brugæ, circa Vvitebergam reliquæ sunt.

Acceptum refertur huic Alberto, quicquid ferè humanitatis, elegantiæ, ac pietatis in hanc oram ad Albim, Viadrum & Hercyniam, importatum est. Nam & vrbes & templa, scholas ac iudicia constituit, religionisq; Christianæ quasi semina sparsit. Quin Henetos etiam ipsos, qui residui fuerunt, ad Christianam religionem traduxit. Dominatus est latè à iugis Hercyniæ iuxta Albim & Viadrum, vsq; ad mare Sueuicum in Pomerania, hoc est, tenuit Anhaldinam ditionem, Saxoniam superiorem, & Marchiam Brandepurgicam, cum parte Lusatiæ.

Otho. Albertum secutus est Otho filius, Marchio Brandepurgensis, elector, &c. mortuusq; anno C. 1198. Item Bernardus comes Ascaniæ, Ballensteti, dominus Bernburgi, elector & princeps Saxoniæ, Angriæ, Vvestualiæ, & alij vsq; ad Ernestum & Rudolphum, qui fortitudinis documenta eximia dedit in bellis Pannonicis, Belgicis, & Veneto, imperante Maximiliano I.

Bernardus.

Rudolphus.

no I. Ex Ernesto nati Ioannes Georgius, & Ioachimus, fratres concordissimi, principes Anhaldini, comites Ascaniæ, dynastæ Seruesti & Bernburgi, laudibus pietatis, iustitiæ & beneficentiæ floruerunt. Ioannes enim nulla re magis quàm verbi diuini atq; historiarum lectione atq; meditatione sese oblectauit, æquum sese in omnes præbuit, & ligna ad exornandas atq; extruendas ædes liberaliter impertiuit: malle se, inquiens, cum hominibus quàm cum feris habitare in syluis. Vxorem habuit Margaritam Ioachimi I. Marchionis Brandepurgici filiam, mortuus anno C. 1551. Georgius verò pietatis & literarum studia à primis annis coluit diligentissimè. Ex diuisione hæreditatis Anhaldinum principatum adeptus est. Sed cum verbi diuini & ecclesiæ cura maximè afficeretur, præpositus Magdepurgensis & Missnensis, canonicus verò Mersburgensis electus est. Tandemq; anno C. 1544. coadiutor episcopatus Mersepurgensis ab Augusto Saxoniæ duce designatus, omne tempus suum ecclesiæ Christi temporibus transmisit,

Ioannes

Georgius.

misit, doctrinam verbi diuini studiosè meditatus est, conciones habuit, egenos suis facultatibus subleuauit, ægrotos visitauit, & consolatione dulci ex veris fontibus Israëlis erexit atq; permulsit. Quin moriens etiam ministris ecclesiæ stipendia annua decreuit ac reliquit. Lumen & ornamentum summum non modò familiæ suæ inclytæ, sed totius etiam ordinis ecclesiastici. Cuius pias conciones atq; labores sanctos, veris laudibus ecclesia Saxonica in extremo iudicio prædicabit. Mortuus est an. 1553. expletis annis 46.

Ioachimus. *Ioachimus deniq; natus anno C. 1509. ex disciplina Adolphi patruelis Mersepurgici præsulis, in Academiam Lipsicam venit, cum Georgio fratre, & Georgio Helto præceptore. Vbi mathematicis & historijs operam potissimum tribuit. Ex Academia in aulam Georgij ducis Saxoniæ prodijt. Inde in patriam reuersus, Dessauiam ex diuisione hæreditaria accepit. Verbum diuinum non solùm amauit, sed vt subditis etiam integrè salutariterq; illud prædicaretur curauit. Studiosos literarum libe-*

liberaliter adiuuit, egentium calamitates subleuauit. Mortuus anno C. 1561.

Ex Ioanne natus Bernardus anno C. 1540. vitam piè & ex vsu subditorum actam clausit, anno C. 1570. Huius frater Ioachimus Ernestus, natus an. C. 1536. ditionem Anhaldinam vsq; ad annum C. 1585. gubernauit. Cuius soboles hodie floret atq; dominatur. Vuolfgangus verò Vuoldemari filius Ioachimi Ernesti patruelis, princeps Anhaldinus, an. C. 1530. cum Ioanne Saxoniæ electore, sororio suo, confessionem fidei exhibuit Cæsari Augustæ, & animi constantis, pietatisq; ardentis documenta summa dedit.

Bernardus.

Ioachimus Ernestus.

Vuolfgangus.

DVCES MEGAPOLITANI, PRINCIPES HENETORVM, COmites Suerini, domini Rostochij & Stargardiæ.

MEgapolitana ditio pars est veteris Vandaliæ ad littus Balthicum versus occasum solis: dicta quasi magna vrbs, μεγάπολις, Mecklenburck / Stargard lingua Heneta. Huius conditor Anthyrius

Vandali funi Heneti germanicè Wenden Italicè Slaui, qui orā litoris Balthici olim tenuerunt.

thyrius Herulorum dominus in Vvagria fuit, qui Alexandro magno militauit in Asia, & insigne capitis taurini & aurei gryphi geßit, quod ad omnes Herulorum, Vvinitorum, Obotritorum & Rugianorum reges propagatum est. Sunt autem Heruli, Obotriti & Vvagrij, Slaui, vel populi Slauici, accolæ Albis Oderæ, circa Racepurgum, Aldenpurgum, Meglenpurgum, de quibus Helmoldus in principio historiæ suæ meminit. Ab Anthyrio autem reges Herulorum, Obotritorum, Megapolensium, Vandalorum, Henetorum & Vvagriorum dynastæ numerantur serie continua, qui res memorabiles gesserunt, & cum Gothis coniuncti, externis nationibus in Thracia, Pannonia, Illyrico, Norico damni multum intulerunt. Hinc Vandalorum reges in Africa descenderunt, Gensericus, Honoricus, Hildericus, de quibus in Romana historia Valentiniani III. imperatoris, millenario quinto dictum.

Heruli, Obotriti, Vvagrij.

Vandalorum reges in Africa.

Religio Christiana.

Anno C. 789. Herulorum regulus & Vvagriorum dominus Aribertus à Carolo magno victus ad Christianam fidem conuersus

uersus est: quanquam in ea non permansit. Post eum Billingus, 26. rex Herulorum, Christianam religionem amplexus quidem est, sed ab ea iterum desciuit. Hunc secutus Mistiuoius, cognomento fortissimus gigas, cui Bennonis Saxoniæ electoris filia desponsa fuit: sed postea tanquam Heneto cani denegata: vt suprà in Saxonicis rebus commemoratum est. Itaq; in Christianos crudelem in modum sæuijt, tandem verò ad verum Dei cultum conuersus, Christianos fouit, concionibus pijs erudiuit, cœnobia paßim destructa reparauit, & in exilio reliquum vitæ tempus consumsit, vsq; ad annum C. 1025. Huius successores tametsi religione Christiana imbuti fuerunt, tamen in eius professione non perstiterunt, sed in tantam impietatem prolapsi sunt, vt hostias humanas idolis suis obtulerint, vsq; ad Henricum 34. Obotritorum regulum, qui non solùm ipse in Christum credidit, sed subditis etiam diuini verbi vsum conceßit. Mortuus est anno C. 1122. Mistiuoius.

Circa an. C. 1226. Henricus Bureuinus

nus II. Vandalorum & Megapolensium princeps, Rostochijq́ dynasta collegium Canonicorum, quod est Gustrouij, impensis 40000. aureis condidit. Huius successor Ioannes cognomento theologus, Henetorum & Megapolensium princeps in Parisiensi academia literas & theologiam didicit, gradumq́ Doctoris consecutus est: quem etiam summa constantia tutatus est, & irrisiones fratrum & aliorum magno animo contemsit. Hic autor Liuonibus ad recipiendam religionem Christianam extitit. Anno C. 1322. Henricus Leo princeps Megapolensis Rostochium perpetuo iure sibi à Rege Daniæ Christophoro vindicauit. Anno C. 1348. Albertus Megapolensis dux princeps imperij Romani à Carolo IV. solenni ritu inauguratus est. Huius filius Albertus II. Sueciæ rex factus est anno C. 1363.

Ioan. theologus.

Rostochiū.

Megapolenses principes imperij Rom. fiunt

Anno C. 1430. è vita exijt sine liberis masculis Vvilhelmus postremus Henetorum & Vandaliæ princeps. Post eum anno C. 1346. eques auratus designatus est à Carolo IV. Ioannes dux Megapolensis,

sis, nec ita multò pòst, Vlrico Stargardiæ duce sine liberis masculis mortuo, Stargardiæ ducatus ad Megapolenses duces translatus est, anno scilicet C.1471. Anno C. 1360. mortuus est vltimus comes Suerinensis, Otho Rosa, translatusq́ue est comitatus Suerini ad Albertum ducem Megapolensem, in cuius familia adhuc hæret: traditus primum ab Henrico Leone, Bauariæ & Saxoniæ duci Guncelino, ob fidem operamq́ue præclarè nauatam, an. C. 1558. Comitatus Suerinensis.

Anno C. 1419. dux Megapolensis Ioannes Academiam Rostochiensem instituit, cum patruele suo Alberto, & senatu Rostochiensi. Hic etiam Sueciæ rex factus est. Academia verò Rostochiensis ex Erffurdensi & Lipsensi quasi quædam colonia deducta est, & Martini V. pont. Rom. priuilegijs munita. Academia Rostochiensis.

Anno C. 1430. mortuus est Vuilhelmus Vandaliæ princeps, deuenitq́ue Vandaliæ ducatus & Gustrouium ad Henricum pinguem, Megapolensem ducem. Henricū secutus est filius Magnus tertius princeps omnibus virtutibus bellicis ac toga- Gustrouium.

tis excellens, fundator ecclesiæ cathedralis S. Iacobi apud Rostochium. Frater verò eius Balthasar Rostochiensis Academiæ Rector fuit. Ex hoc Magno III. nati sunt Henricus pacificus, pater patriæ dictus, item Ericus Rostochiensis Academiæ Rector, & Albertus comes Suerinensis, Stargardiæ, & Rostochij dynasta, vetustæq; gentis Henetæ princeps, qui strenuè quidem, sed frustra tamen in liberando Christierno II. Daniæ rege laborauit. E vita excessit anno C. 1547. Ex Alberto nati sunt complures liberi Ioannes Albertus Megapolensis dux, vetustæ gentis Henetæ princeps, Suerinensis comes, & Rostochij, Stargardiæq; dynasta. Anno C. 1525. qui reditibus ecclesiasticis auxit Academiam Rostochiensem. Vlricus an. C. 1528. administrator episcopatus Suerinensis. Georgius an. C. 1529. qui Magdepurgum anno C. 1550. afflixit, & Francofurti ad Mænum globo ictus interijt.

Christophori Megapolensis ducis fortuna.

Christophorus Raceburgensis episcopatus administrator, & coadiutor episcopatus Rigensis. Hic fortunæ magnam varietatem

tatem expertus est. Primum quidem natus est tempore obsidionis Copenhagij, quo parentes ipsius, Albertus Megalopyrgius, & mater Ioachimi Brandeburgici electoris filia in oppido inclusi erant. Deinde cum Mauricius Sax. elector bellum contra Carolum V. gereret, Anno scilicet C. 1552. hic Christophorus cum alijs puellæ habitu siue ornatu pro obside in Galliam missus est. In ipso verò coadiutoris officio, anno C. 1546. à Magistro ordinis Guilelmo Fustenbergio captus est, vnà cum Guilhelmo Rigensi archiepiscopo, Marchioneq; Brandeburgico, & post annum vnum tandem liberatus. Deinde peragrata Germania, auxilium contra Moscouitas ab imperij principibus petiuit. Sed cum nihil impetrasset, in Liuoniam reuersus, mortui archiepiscopi arces occupauit. Quamobrem à Sigismundo Augusto Polonorum rege circumsessus in arce Dalensi, cum se dedere illi nollet, captiuus in Poloniam ductus est. Inde post complurium annorum captiuitatem ad suos redijt, & Dorotheam Friderici I. Regis Daniæ filiam, post illam

verò Elisabetam Gustaui Sueciæ regis filiam in matrimonium duxit. Ex Ioanne Alberto nati sunt Ioannes anno C. 1558. & Sigismundus Augustus anno C. 1560. Ex Ioanne natus est Adolphus Fridericus, & Ioannes Albertus.

DVCES POMERANIÆ, STETINI, CASSVBORVM, ET VANdalorum, principes Rugiæ, & comites in Gutzkau.

Pomerani. *POmerani à situ nomen habent, quasi maris accolæ. Principes & dynastæ Pomeraniæ, Cassuborum & Vandalorum numerantur ab anno C. 933. quorum primus nominatur Barnimus, ex Gryphonum gente, cuius insigne fuit gryphus in clypeo.* Barnimus. *Adiuuit Henricum Aucupem imperatorem in bello contra Vngaros, & Magdepurgi in ludis equestribus industriam fortitudinemq́ suam declarauit.*

Christiana religio. *Vvartislaus primus Pomeraniæ dux ab episcopo Bambergensi Othone baptisatus, fidem Christianam profiteri cœpit, an. C. 1124. Ex quo apostoli Pomeranorum*

Otho

Otho ille episcopus & Henrici IV. imperatoris cancellarius nomen inuenit. Fundauit hic Vuartislaus episcopatum Iulini, & templum Iacobi, quod est Stetini.

Cassubi vel Cassubij à plicis vestium sic nominati, ducem primum habuerunt Bugslaum I. qui etiam Pomerellorum, siue incolarum ditionis inter Casilinum & Vuitzelam sitæ, dux à Polono institutus & inuestitus est, circa annum C. 1150. quo mortuus est. Post eum Bugslaus I. dux Pomeraniæ non à Polono, sed ab imperatore Friderico I. dux Pomeraniæ designatus est an. C. 1182. Cassubi.

Stetinensis dux primus fuit Bugslaus II. qui è vita cessit anno C. 1222. Hoc duce domiti sunt Slaui & Vuiniti, linguaq́ue eorum, iura, & mores deleti, & Saxones pro ijs in Pomeraniam infusi sunt. Stetinum.

Anno C. 1226. Suuantipolcus II. Cassuborum & Henetorum in Pomerella princeps, supremus Pomeraniæ vicarius, tributum ingens pendere Polonorum principi Lesco abbo debuit. Sed cum id facere grauaretur, Lescum è balneo exeuntem Pomeraniæ ducatus à iugo Polonorum liberatus.

occidit, & ducatum suum in libertatem vindicauit. Cruciferis in Borußiam irrumpentibus operam præclaram nauauit: sed postea ab illis oppugnatus, stragem magnam in Culmensium tractu edidit.

Circa annum C. 1313. Vvartislaus IV. Pomeraniæ dux in Vvolgast, recuperauit Stetinum à Conrado I. electore Brandepurgico occupatum: mortuoq́ Vvitslauo Rugia. *V. absq; hærede Rugiæ ducatu potitus est, quem posteri eius adhuc poßident, & duces Pomeraniæ, Stetini, Caßuborum, Vandalorum, & comites in Gutzkau appellantur. In huius fidem & clientelam etiam* Sund. *Syndina vel Syndia vrbs, saluis tamen suis priuilegijs & immunitatibus, sese contulit.*

Ericus rex Sueciæ. *Anno C. 1392. Ericus I. dux Pomeraniæ, princeps Rugiæ, rex Sueciæ, Daniæ, & Noruegiæ factus, annos amplius quadraginta regnauit, & postea in patrio ducatu, deposita persona regia, quietè vsq; ad annum C. 1457. vixit.*

Academia Gripsuuald. Rugia. *Anno C. 1457. Academia Gripsuualdensis fundata est à Vvartislao IX. duce*

Pome-

Pomeraniæ, in Vvolgast, & principe Rugiæ siue insulæ, siue tractus in continenti Pomeranico.

Anno C. 1454. natus est Bugslaus X. Pomeraniæ, Stetini, Vvolgasti dux, Rugiæ, Cassuborum & Vandalorum princeps, qui cum Alberto III. Marchione Brandepurgico, qui Achilles cognominatus est, de ducatu Stetinensi dimicauit. Huius enim feudum imperator Fridericus III. Alberto Marchioni contulerat: sed ab aditu eius à Bugslao depulsus est: controuersia autem sic tandem interponentibus se in pacificationem Megapolensibus ducibus, Magno & Balthasaro, anno C. 1470. Vvolgasti composita est, ut titulus insigniaq́ ducum Pomeraniæ penes Marchiones manerent, ac si hæres masculus ex Pomeraniæ ducibus non extaret, Stetini ducatus ad Marchiones rediret. Hic Bugslaus uniuersæ Pomeraniæ dominus fuit, cui cum nouerca venenum propinaret, coacta est ab eo prior bibere, quo facto, mox intumescens crepuit, ipse verò euasit. Controuersia de Stetino.

Anno C. 1501. natus est Barnimus IX.

dux Stetini, Pomeraniæ, princeps Rugiæ, Cassuborum & Vandalorum, qui Augustæ in conuentu imperiali anno C. 1530. cum fratre Georgio feudum à Carolo V. imper. accepit, & reformatam religionem in ecclesiam sui ducatus an. C. 1532. inuexit.

Reformata religio.

Georgius Stetini & Pomeraniæ dux, Rugiæ princeps, & Cassuborum Henetorumq́ dynasta, natus anno C. 1493. frater Barnimi, cum quo etiam communiter ditiones hæreditarias gubernauit, filium genuit Philippum I. anno C. 1515. ex quo nati sunt, Georgius II. anno C. 1540. Ioannes Fridericus an. C. 1542. Bugslaus XIII. an. C. 1544. Ernestus Ludouicus an. 1545. Barnimus X. an. 1549. Ericus III. anno 1551. Casimirus VIII. anno 1557. Ex Bugslao XIII. nati sunt Philippus II. Franciscus I. Bugslaus XIV. Georgius III. Ioannes Ernestus, Vlricus, Philippus Iulius.

DVCES HOLSATIAE ET SLESVICI.

Nortalbingia.

Holsatia quæ & Nortalbingia appellatur, sita est inter Daniam ad Septen-

ptentrionem, inter Albim ad meridiem, Oceanum Germanicum versus occidentem, complectiturq́ Stormariam, Ditmarsiam, & Vvagriam. Nomen autem Holsatiæ à nemoribus est, vt sint Holsati nemorū & continentis incolæ, Holtzsassen/ sicut Ditmarsi & Stormarsi maris accolæ siue epirotæ Mehrsassen. Slesuicum verò à Sliæ flumine nuncupatum nonnulli autumant. Gubernata primum est hæc regio ab Albione Angriuariæ dynasta, Vvitikindi magni patruele, ex Edelhardo Saxonum rege nato. Hunc enim Carolus Magnus anno C. 785. ad Christianam religionem conuertit, ac ducem Saxoniæ ad Albim, Nortalbingiæ verò dominum fecit. Huic successerunt Vvigbertus, Vvalbertus, & alij vsq; ad Othonem I. imperatorem, qui Holsatiæ comitatum Hermanno Bilingo regendum dedit circa an. C. 961. Hic cum posteris suis comitatui Nortalbingiæ an. C. 150. præfuit. A Vvitikindea & Bilingica familia translatus est Holsatiæ comitatus ad Lotharium comitem Querfurdensem & Supplenburgicum,

Holsati quasi ad syluam sedentes.

Slesuicum.

gicum, qui imperator factus, Adolpho Schaumburgio comiti eum tradidit. A quo ducum Slesuici & Holsatiæ stirps descendit, & proximi reges Daniæ, comitesq́ Oldenpurgici & Schaumpurgici existunt. Sed Adolphus IV. Schaumpurgensis & Holsatiæ comes Vvagriam Obotritis, ad quos per Canutum deuenerat, ademit, & Holsatiæ adiunxit, Segebergam arcem reparauit, & Lubecam nouam condidit, circa annum C. 1143. Adolphus V. Schaumburgi & Holsatiæ, Stormariæ & Vvagriæ comes anno C. 1199. à Canuto Daniæ rege in bello victus, & in Daniam abductus, ius suum in Holsatia, Vvoldemaro Daniæ regi concessit, sibiq́ Schaumburgensem comitatum duntaxat retinuit. Sed anno C. 1226. Adolphus VI. Holsatiam à Danorum potestate liberatam recuperauit.

Stirps Slesuici & Holsatiæ ducũ.

Vvagria sedes vetusta Henetorum ad mare balthicum, & Trauam.

Anno C. 1362. Henricus Ferreus Holsatiæ comes Sueciæ regnum ad se delatum, propter ætatem ingrauescentem, recusauit, & in affinis sui Alberti ducis Megapolensis filium transferri petiit.

Hen. Ferreus.

Anno C. 1386. Slesuicensis dux primus

mus factus est Gerardus Holsatiæ, Stormariæ, Vvagriæ, & Ditmarsiæ comes, Henrici Ferrei filius, iure feudi, inauguratus à regina Daniæ Margarita. Hic Ditmarsos, Lubecenses, & Hamburgenses eò adegit, vt ingenti summa pecuniæ pacem redimere voluerint. Sed is pacem dare prorsus noluit, nisi tributum ipsi pensitare perpetuum vellent, & in bellis opem contra quoscunque hostes ferre. Quod cum illi recusarent, bellum eis intulit Gerardus, & circumuentus cum duodecim auratis equitibus, & trecentis nobilibus occubuit anno C. 1404. Post eum Henricus dux Slesuicensis, comes Holsatiæ, Stormariæ, Vvagriæ & Ditmarsiæ per sententiam Imperatoris Sigismundi, Budæ in Vngaria, Slesuicensi ducatu deiectus est: & in obsidione Flensburgensi, lancea confossus periit. Frater verò Adolphus VIII. Holsatiæ comes Slesuici dux, post triginta annorum bellum cum Danis de Slesuicensi ducatu gestum, iure belli eum à Christophoro Daniæ rege recepit, anno C. 1440. Qui tamen, eo mortuo, ad Daniæ reges rediit,

Slesuicensis ducatus fit feudum Daniæ.

rediit, postquam annis trecentis quadraginta quinque penes familiam Schaumburgicam fuit. Discessit autem è vita Adolphus sine hærede. Itaque ducatus Slesuici ad Christianum I. Daniæ regem, anno C. 1460. deuenit. Feudum verò comitatus Holsatiæ ab imperio collatum est eidem regi per episcopum Lubecensem, Crantius lib. 11. Sax. cap. 37.

Slesuicum & Holsatia ad Daniæ reges deueniunt.

Christianus I. rex Daniæ, Noruegiæ, Gothorum & Vandalorum factus an. C. 1448. Sueciæ verò rex an. C. 1457. Slesuici dux, Holsatiæque comes anno C. 1460. ex familia Aldenpurgica: Holsatiæ, Stormariæ & Vuagriæ comitatum conuertit in ducatum: Ditmarsos tamen in ditionem ac potestatem suam penitus redigere non potuit. Ante exitum è vita testamento Ioanni filio regna, Friderico verò ducatus commendauit, mortuus an. C. 1482. ætatis 56. rex florens opibus, honoribus, virtutibus, & rerum gestarum gloria. Ab eo duces Holsatiæ, Ditmarsiæ, Stormariæ, & Vuagriæ orti sunt, reges item Daniæ Ioannes, Fridericus I. Christianus II. Christianus

Ducũ Holsatiæ & regum Daniæ Stirps.

stianus III. Fridericus II. Christianus IV. qui hodie cum fratribus & patruelibus regnat & floret. Quanquam an. C. 1544. inter fratres Christianum III. Ioannem, & Adolphum Friderici I. filios, Slesuici ducatus diuisus est, & Holsatia in tres partes tributa. Anno C. 1527. ecclesiæ reformatio suscepta est, autore Christiano Holsatiæ duce, Friderici Daniæ regis filio, qui ad eam rem vsus est opera Eberhardi Vvidensei, theologiæ Doctoris. Reformatio ecclesiæ.

PRINCIPES IVLIACENSES, CLIVENSES ET Bergenses.

IVliaci à Iulio Cæsare conditi aut nominati, comites fuerunt Guilhelmus I. circa annum C. 1060. Gerardus I. comes Iuliacensis, & post mortem Adolphi comitis Bergensis auunculi factus etiam comes Bergensis anno C. 1174. Guilhelmus II. comes Iuliacensis & Bergensis. Gerardus II. cuius filij comitatus diuiserunt anno C. 1208. & Guilhelmus quidem III. comitatum Iuliacensem, Adolphus verò Bergen- Iuliacenses olim Menapij.

Bergensem adeptus est anno C. 1288. post illos Gerardus III. & IV. comites Iuliacenses, Vuilhelmus verò & Gerardus comites Bergenses fuerunt.

Anno C. 1339. Vuilhelmus IV. marchio, deinde dux Iuliacensis creatus est à Carolo IV. imperatore, in conuentu Metensi, anno C. 1356.

Geldria. *Hic Vuilhelmus IV. Iuliacensis dux etiam Geldriæ ducatu potitus est, postquam defecit familia Eduardi Geldriæ ducis, cuius sororem germanam is in matrimonio habuit. Anno C. 1288. Adolphus comes Bergensis in conflictu cum Reginaldo Geldriæ comite cepit archiepiscopum Coloniensem Sifridum, nec nisi post septennium è captiuitate, accepta grandi pecunia, dimisit. Non multò pòst Adolphus ab archiepiscopo illo vicissim interceptus contra omnem fidem caueæ ferreæ inclusus est, quæ cum melle illita esset, muscarum aculeis miserè tandem extinctus est anno C. 1296. Adolpho suc-* Comitatus Montensis. *cessit Vuilhelmus comes Montensis siue Bergensis, Vuilhelmo Gerardus, Gerardo*

alius

alius Vuilhelmus, qui primus dux Bergensis ab imperatore Vuenceslao creatus est anno C. 1389. Hic affinis fuit imperatoris Ruperti, & captus est bis, primum ab Adolpho Cliuensi, deinde à suo filio, cum quo partiri ditionem coactus est. Dux Bergensis I.

Anno C. 1423. Adolphus Egmondanus Arnoldi Egmondani Geldriæ ducis filius in patrem extremè fuit impius. Coniurauit enim contra eum. Itaq; circumsessus à patre est, sed reconciliatus tamen ei, intercedentibus propinquis. Non multò post filius circumuenit patrem astu, & nocturno tempore nihil hostile metuentem equo impositum & thorace tantum indutum, vel vt alij scribunt, nudis pedibus equitantem abduxit, & in carcerem contrusit. Iubebatur à Friderico imperatore Carolus Burgundus, tanquam honorarius arbiter, controuersiam iudicare. Accusabatur igitur pater à filio immanissimorum facinorum. Is verò crimina obiecta diluebat, & ad singulare certamen filium prouocabat, quo innocentiam suam liquidò demonstraret. Burgundus lata sententia

Geldriæ duces.

Exemplum impietatis extremæ in patrem.

iubet patrem arce & oppido Graua, cum annuo victu contentum esse, ducatu verò abstinere, solo eius titulo retento. Adolphus filius reiecta sententia aufugit: sed retractus ex fuga in custodiam datur. Interim Arnoldus pater in libertatem ducatumq́ Geldriæ restitutus, vendit eum cum comitatu Zutphaniæ nonaginta duobus aureorũ millibus Carolo Burgundo, filium verò Adolphum exhæredat. Etsi autem ex custodia citatus Adolphus pro tribunali se defendere conatur: tamen iterum lata sententia contractus Arnoldi testamentumq́ comprobatur, & paulò pòst etiam Friderici imperatoris, autoritate confirmatur. Filius autem impius Adolphus perpetuo carceri destinatur. Mox Carolus Burgundus Geldriam & Zutphaniam occupat. Quæ nunc etiam in potestate ducum Burgundiæ permanent.

Geldria vendita Burgundo.

Rupertus dux Iuliacensis & Bergensis circa annum C.1429. Anno C.1475. Gerardus dux Iuliacensis & Bergensis siue Montensis, comes Rauenspurgius fuit, qui Geldriam Carolo Burgundo ita vt vendita erat,

ta erat, concessit. Anno C. 1539. è vita decessit Ioannes III. Cliuiæ dux, Marchiæque Vestualicæ comes, cognomento pacificus. Cui successit vnicus filius Vuilhelmus Iuliacensis, Bergensis, Cliuiæ, Marcæ, Geldriæ, Zuthuaniæ, Rauenspurgi dux, amplissimarum prouinciarum ad vtramque Rheni ripam dominus. Hic anno 1542. occupauit Geldriam, duce eius mortuo, fretus Galli opibus. Sed cum Carolus V. eam sibi vendicaret, exortum est inde bellum Geldriense. Anno 1592. ad exitum vitæ vocatus filium vnicum post se reliquit, Ioannem Vuilhelmum, & filias tres, quarum vna Maria Leonora Alberto Friderico Borussiæ duci nupta est, altera Philippo Ludouico, tertia Ioanni, Palatinis comitibus fratribus. Cum autem mente non satis valere videretur Ioannes Vuilhelmus, affines Palatini comites, vnà cum principe Borussiæ matrona prudentissima gubernationem sibi committi voluerunt. Quod Cæsarei & pontificij arbitri recusarunt, propterea quod ducis Ioannis Vuilhelmi coniunx, satis animi & sapientiæ ad gu-

Cliuia.

Ioan. Vuilhelmus.

bernationem haberet, nec spes procreandæ sobolis ex ea deesset.

DVCES VVIRTENBERGICI ET TECCII, COMITES Mompeligardenses.

Vvirtenberga est vetus specula non procul ab vrbe Studgarda, vnde ducatus Vvirtenbergicus nominari cœpit.

PRimus Vvirtenbergensis comes nominatur Cunradus, circa annum C. 1110. ex Beutelspachensium Baronum familia, ex Sueuis, vel Germanis propagata. Maiores eius serie longa recensentur ab anno C. 752. Sed comitis titulum atque honorem primus in hanc familiam intulit Conradus is, de quo dictum. Post eum nominatur comes, Vlricus, cuius frater Ioannes Studgardiam Vvirtenbergico comitatui per matrimonium cum Rudolphi Marchionis Badensis filia adiunxit anno C. 1141.

Studgardia

Teccensis dux.

Anno C. 1175. primus Teccensium dux nominatur Albertus, sub Friderico I. Barbarossa, cuius maiores comites à Deck castro appellati sunt. Comitatus verò tandem ad Vvirtenbergenses comites per coniugium Eberhardi I. cum filia ducis Zæringensis Bertholdi translatus est,

est, circa an. C. 1210. Prodierunt autem ex familia Vuirtenbergica multi præstantes virtute & rerum gestarum gloria comites vsq; ad Eberhardum, qui comitatu Mompelgardico domum Vuirtenbergicam auxit, ducta in vxorem Henrica Mompelgardi comite, cuius pater Henricus ad Nicopolim à Turcis cæsus est anno C. 1395. Ex Eberardo natus est Ludouicus & Vlricus Adamatus. Ludouicus verò genuit Eberardum cognomento Barbatum, cuius sapientia non domi solùm, in gubernatione placida, sed in communibus etiam imperij negocijs & conuentibus eluxit. Sueuici fœderis, quod pacis tuendæ causa factum est, socius fuit an. C. 1438. A Friderico autem imperatore an. C. 1491. in sodalitatem siue ordinem aurei velleris cooptatus est, & triennio post nempe anno C. 1495. solenni ritu primus dux Vuirtenbergensis & Teccensis inauguratus. Huius impensis, subsidio verò patrui Vlrici fundata est Academia Tubingensis anno C. 1477. Prædicantibus aliquando principibus imperij præcipua suarum ditionum

Mompelgardicus comitatus.

Eberardus barbatus.

Primus dux Vuirtenb.

commoda atq; ornamenta: Palatino quidem vini copiam, Saxone argenti vim ex fodinis metallicis, alijs alia: ipse nihil, inquit, est, de quo magnopere glorier, Vnicum est, cuius causa beatum me puto, quod tutus in gremio cuiusq; subditorum meorum dormire possum. Maximilianus Cæsar quodam tempore intuens sepulcrum huius principis, hoc elogium ei tribuit: hic conditus est princeps ea prudentia & virtute, qua nullum ego præditum in imperio habui. Sæpe mihi eius consilia profuerunt. Marsilius quoq; Ficinus his verbis laudem huius ducis extulit: Ingens admirabilium tuarum virtutum quasi stellarum splendor, ad nos vsq; refulgens incredibilem in nobis iam accendit ardorem, ad te vehementer amandum & colendum in primis, atq; venerandum. Exijt è vita Tubingæ anno C. 1496.

Elogia Eberardi.

Vlricus.

Vlricus dux Vuirtenbergensis anno C. 1504. in bello Bauarico ademit Philippo Palatino aliquot oppida, exemplo aliorum principum, qui de Palatini proscripti ditionibus, quantum ferè quisq; poterat, decer-

decerpebant. Anno Christi 1519. vrbem imperialem Reutlingam obsidebat, vexabat, & expugnabat. Sed mox inde à Sueuici fœderis socijs expulsus, totoq́ ducatu eiectus est. Conabatur quidem anno Christi 1525. Helueticis copijs adiutus ditionem suam recuperare, sed de spe conatuq́ depellebatur, prouincia verò Cæsari tradebatur à fœdere Sueuico, & postea Ferdinando tribuebatur in diuisione hæreditatis. Cum autem in annum vndecimum exulasset Vlricus, Hassiæ Landgrauius, & alij quidam principes, Augustæ in comitijs anno 1533. pro eo, vt in gratiam reciperetur, & in integrum restitueretur, deprecati sunt. At Cæsar, excluso Vlrico, fratri suo Ferdinando insignia ducatus illius publicè contulit. Misit quoq́ Franciscus Galliæ rex oratorem suum Guilhelmum Langæum, qui orationibus grauissimis restitutionem Vlrici, & filij eius innocentis in conuentu sociorum fœderis Sueuici flagitauit, sed frustra. Ab eo igitur tempore Landgrauius consilium de restitutione Vlrici per vim cepit.

Ditio Mompelgardica oppignorata.

In exitu iam erat fœdus Sueuicum, quod annos vndecim durarat. Itaq; ad Galliæ regem proficiscitur Landgrauius, & pecuniæ summam ab eo impetrat, pro pignore tradita ei Mompelgardica ditione, hac lege, vt si intra triennium non liberetur, pro sua eam sibi vendicent reges Galliæ. Ad hanc summam accessionem aliquam nunquam repetendam sponte sua rex pollicetur. Verùm id debitum quantumcunq; fuit, constituto tempore dissolutum est. Anno sequente 1534. Landgrauius exercitum educit, & quare id faciat, datis ad regem Ferdinandum literis declarat. Habebat autem suas etiam copias Ferdinandus, quas Palatinus princeps Philippus ducebat. Cum his ad oppidum Laufenum in agro Vuirtenbergico congressus Landgrauius, fundit eas, & ducem ipsum Palatinum in pede vulnerat. Fugientes verò multi in Neccare flumine pereunt. Profligato ad hunc modum hoste, Landgrauius totam ditionem Vuirtenbergicam in potestatem suam redigit, exulemq; Vlricum in eam reducit. Edicit quidem

Restitutio Vlrici.

quidem Cæsar, & Ferdinandus, ne quis socium sese tanti facinoris præbeat. Sed quod factum erat, iam infectum esse non poterat. Ante factum consuluerat Landgrauius Lutherum & Melanchthonem, quorum vterq; dissuaserat quidem, sed dixisse ferunt Landgrauium: Quid? si nihilominus faciam? Fecit igitur, & facti rationem, quantum potuit, reddidit. Suspensi erant plerorumq; omnium animi, propter expectationem euentus. Sed interponunt sese in pacificationem Saxoniæ princeps elector, & Moguntinus archipræsul, tantumq; efficiunt, vt Ferdinandus vtile dominium ducatus Vuirtenbergici Vlrico concedat, directum verò sibi retineat.

Hoc modo composita est controuersia, dimissusq; à Landgrauio exercitus. Est verò laude digna vtriusq; principis moderatio: Ferdinandi quidem, quod de iure suo concedere maluit, quàm belli grauioris causam præbere: Landgrauij verò, quod in tanto rerum successu ab armis destitit. Exardescente bello Germanico, an. C. 1546

Vlricus viciſsim ſuas copias, quæ erant ad viginti quatuor ſigna peditum, cum Landgrauij & Saxonis milite coniungit. Quod factum poſtea apud Victorem Cæſarem literis ſupplicibus deprecatur, & initio anni quadrageſimi ſeptimi in gratiam recipitur. Nihilominus tamen ſimul atq; per valetudinem licet, Vlmæ ſupplex fit Cæſari, quemadmodum pollicitus erat. An. C. 1548. cum decretum de religione à pontificijs factum vrgeret Cæſar, Vlricus Brentium exulem occultabat: ſed metu tamen victoris, & præſidij Hiſpanici, quod omnia iſta loca complerat, librum Interimiſticum ſubditis de ſuggeſtis recitari ſinit, miſſas permittit, & miniſtros reclamantes dimittit. Anno C. 1550. è vita exit.

Chriſtophorus. *Chriſtophorus Vlrici filius, patri in gubernatione ſucceſsit anno C. 1550. educatus in pueritia à Guilhelmo Bauariæ principe auunculo & tutore. Inde traductus in aulam Ferdinandi liberaliter literis & omni virtutis doctrina principe digna*

Tiffernus. *eruditus eſt à Tifferno Viennenſis Academiæ profeſſore, qui in infantia ſua faſcijs*

ſciјs inuolutus ex Turcorum in Pannoniæ atque Germaniæ finibus prædantium manibus ereptus fuit. Inde cum in Hiſpaniam eum abducere ſecum vellet Carolus V. clàm cum præceptore per Carnicas alpes aufugit, & in Bauariam euaſit. Hinc in Galliam ad regem profectus, opem illius ad reſtituendum patrem exulem implorauit. In Gallia rex Franciſcus pontifici Rom. Paulo III. pedem dextrum oſculabatur. Fecere idem reliqui principes. Solus Chriſtophorus dux oſculari noluit. Eiuſq; exemplum reliqui proceres Germani ferè imitati ſunt. In bello Germanico formam religionis pontificiam fugiens Baſileam conceſſit. Patre verò mortuo diſſipatam & conturbatam eccleſiam, Academiam, & ſcholas ſuæ ditionis collegit, firmauit, & auxit. In Academia profeſſores & alumnos fouit, totamq; gubernationis ſuæ formam eò direxit, vt ex omni parte religio, iuſtitia, & pax florerent. Deceſſit è vita an. C. 1568. ætatis verò ſuæ 53.

Ludouicus Vvirtenbergenſis & Teccenſis dux, patris Chriſtophori boni et ſalutaris Ludouicus.

taris principis bonus & salutaris filius, verum Dei cultum secundum Augustanam confessionem, literas, artes, pacem, & alia commoda suæ ditionis studiosè liberaliterq́ fouit & tutatus est.

Fridericus. *An. C. 1593. Fridericus comes Mumpelgardensis, Ludouici patruelis, gubernationem ducatus Vuirtenbergensis & Teccensis suscepit, pariq́; cum superioribus principibus optimis, prudentia atq; felicitate ditiones hæreditarias administrat.*

DVCES LIGNICENSES, BREGENSES, ET ALII in Silesia.

Silesij idem qui Quadi. *Silesios ex Lygijs & Elysiis nominatos esse verisimile est. Etsi enim Lygij à Slauis oppreßi sunt, Slauicaq́; lingua in Silesiam infusa est: mansit tamen vetus appellatio, & deducti ex Germania coloni linguam & mores Germanicos in Silesiam importarunt. Inde Lignicij vrbis nomen est, & Lignicensium principum, quorum stirps vetusta est, à Pyasto Poloniæ principe, quoad paternam, à Carolo Magno*

autem,

autem, quoad maternam originem, orta. Ac Pyastus quidem ille Crusuicensis ad principatum Poloniæ vocatus est, anno C. 806. Carolus Magnus verò imperator Rom. anno C. 800. designatus est. Hoc quidem tempore Lignicensis ducatus cum Bregensi ita coniunctus est, vt ijdem principes sint Lignicenses & Bregenses. Sed sunt eiusdem Silesiæ principes quoq; Teschinenses, Monsterbergenses, Olsnicenses, Tropauienses, Opolienses, Nissenses, & Vratislauienses. Ac Teschinensi quidem duci Boleslao Vvenceslaus imperator partem ducatus Glogouiensis, Ioanni verò duci Tropauiensi Monsterbergam tribuit an. C. 1399. Cœperunt autem primi principes Silesiæ anno C. 1163. quando filij Vladislai, regis Poloniæ & principis Silesiæ, diuiserunt Silesiam hoc modo, vt Poleslaus Procerus ditionem mediam, in qua sunt Lignicium & Vratislauia, Mieslaus superiorem, Conradus inferiorem teneret. Natì sunt hi matre Germanica, & Germanicis imbuti moribus. Itaq; etiam autores morum & cultuum Germanicorum suis

Teschinens.

Initium principum Silesiæ.

Silesia Poloniæ prouincia.

ſuis ſubditis fuerunt. Sileſia verò ipſa regni Poloniæ prouincia fuit annos 860. Inde reges Poloniæ etiam Sileſiæ principes appellantur. Secutus eſt Boleslaum Henricus Barbatus, Henricum Barbatum Henricus Pius, qui ſeſe Tartaris Pannoniam, Poloniam, & Sileſiam vaſtantibus oppoſuit, & pro patria propugnans in acie occubuit, an. C. 1241. Henricum Pium ſecuti ſunt Boleslaus Caluus vel ſæuus dux Lignicenſis, & Cunradus dux Glogouiæ, Croſnæ, & Saganæ. Caluus quidem princeps delirus & tyrannicus an. C. 1278. extinctus eſt. Eum ſecutus eſt Henricus Obeſus princeps Lignicenſis, & poſtea etiam Vratislauienſis, item Boleslaus princeps Suidnicenſis. Conradus verò Glogouienſis ſucceſſorem habuit Henricum, Henricus Henricum Ferreum, Ferreus Henricum Medium, Medius Ioannem & Henricum: Ioannes iterum Ioannem poſtremum ducem Saganæ & Glogouiæ. Henrico Obeſo ſucceſſerunt Boleslaus Bregenſis & Lignicenſis dux, Ludouicus & alij, vſq; ad Fridericum I. qui poſt varios

motus

motus, interemto tandem senatu in seditione, Lignicium recuperauit, & paulò pòst beneficio Matthiæ regis Boiemiæ, & subsidio Alberti Marchionis Brandepurgici toto ducatu Lignicensi potitus est anno C. 1454. Anno C. 1488. Matthias Vngariæ rex Glogauiam vrbem obsedit & cepit: ducem verò Ioannem ducatu exuit & expulit, eo quod senatores Glogouiæ fame necarat. Hoc bellum Glogouiense, & Rascianum, propter Rascios equites, qui in castris Matthiæ fuerunt, dictum est. An. C. 1333. Silesia partim sponte sua, partim armis, siue minis compulsa sese in fidem Ioannis Boiemiæ regis dedidit. Fridericum I. secutus est Fridericus II. qui an. C. 1499. gubernationem ducatus Lignicensis suscepit: Georgius verò frater Bregensem regere aggressus est, Hic Fridericus II. an. C. 1509. Vratislauienses oppugnauit. Friderico II. successit Fridericus III. dux Lignicensis & Bregensis: ad exitum vitæ vocatus an. C. 1570. Fridericũ III. excepit Fridericus IV. filius, natus an. C. 1552. princeps laudibus pietatis, iustitiæ, doctrinæ literarum, &

Bellum Glogouiense.

Silesia à Polonis ad Boiemos transit.

con-

constantiæ abundans. Anno C. 1586. è vita discessit princeps longè optimus & salutaris maximè Georgius II. Lignicensis & Brigensis dux, qui tam religionis veræ, quàm literarum doctrinam præcipuo quodam, & ardenti amore complexus est, fouit, & propagauit. Ludum aperuit, cuius inspector ipsemet fuit, disciplinam custodiuit, & ordinem doctrinæ gubernauit. Pios quidem sedulosq́; alumnos laudauit, & præmijs affecit, ignauos verò & dissolutos obiurgauit, & ne verus sensus scripturæ Propheticæ, & apostolicæ corrumperetur, prouidit. Post eum filius Ioachimus Fridericus Brigæ floret. Fridericus verò ex fratre ipsius Friderico natus Lignicij anno C. 1596. è vita migrauit.

Anno C. 1538. Ioachimus marchio Brandepurgicus ducatum Crosnensem & Zollich in inferiori Silesia hæreditarium accepit. Saganum verò ducatum anno C. 1548. Sax. dux Mauricius Ferdinando regi tradidit, postquam annos 577. in ditione ac potestate Saxoniæ principum fuerat.

HENNEBERGENSES PRINCIPES.

Fabula est Hennebergensem familiam à Gallina, quæ Columnio cuidam ob Attilæ tyrannidem ex Italia in Franconiam venienti locum ædificandæ arcis monstrarit. Etsi autem antiqua est familia: tamen in historijs nulla penè eius mentio fit ante Carolum Magnum & Henricum Aucupem. Tunc enim comites duo Hennebergici Gotuualdus & Otho socios belli contra Vngaros ad Mersepurgum sese præbuerunt. Deinde Popo Hennebergensis comes Henricum IV. imperatorem adiuuit in prælio cum Rudolpho Sueuo, in quo etiam strenuè pro imperatore dimicans interemtus est. Ab eo serie continua numerantur comites Hennebergici vsq; ad Bertholdum, qui Sleusingæ, frater verò eius Aschaci vixit. Vterq; suam sobolem florentem habuit: Hermannus quidem vsq; ad annum C. 1549. quo, sine hærede mortuo Alberto, Aschacensis ditio ad Vuilhelmum IV. Sleusingensem principem deuenit. Bertholdus autem domi militiaq; Berthold.

 fortem

fortem sese præstitit, & in expeditione contra autores laniénæ in vesperis Siculis à Carolo Siciliæ rege suscepta, extinctus est. Huius filius Bertholdus ex matre Sophia Suuarcepurgica natus an. C. 1272. tanquam lumen aliquod in hac familia eluxit. Nam & consilio intelligentiaq́; valuit, & manu promtus fuit. Itaq; ad summorum munerum & negociorum administrationem ab imperatoribus Romanis adhibitus est. Anno C. 1304. ab Alberto imperatore in numerum consiliariorum imperij cooptatus est. Ab Henrico autem VII. vicarius imperij designatus, nec multò pòst, nempe anno C. 1310. Francofurti ad Mœnum solenniter, faustisq́; omnium ordinum acclamationib. imperij princeps renunciatus est. Anno autem C. 1313. Ioannes Boiemiæ & Poloniæ rex administrationem vtriusq; regni in absentia sua illi commendauit. Ab hac administratione denuo in aulam accitus à Ludouico imperatore, secretis illius præfectus est. Magna in primis fuit virtus huius principis, præclara industria. Vnde etiam Sapi-

Bertholdus Sapiens.

Hennebergensis princeps I.

Sapientis nomen deportauit. Quin in bellicis etiam rebus, in legationibus, & magnarum controuersiarum dijudicatione fortitudo & prudentia eius eminuit, multumq; rebus communibus & priuatis profuit. Nam & orator verborum, & actor rerum insignis fuit. Quamobrem accessio honorum & opum magna ad familiam Hennebergicam per illum facta est, quod etiam priuilegium ab imperatore & electoribus concessum ostendit. Quo sanè dignitas atq; potestas tanta tribuitur genti Hennebergicæ, vt non liceat alibi cum subdito huius ditionis iure experiri, aut ius suum persequi, quàm coram principe Hennebergico. Exijt è vita an. C. 1334. Testamento autem cauit, vt liberorum natu maximus quouis tempore solus gubernaret, cæteri verò suis reditibus contenti essent. Itaq; Henricus eius filius natu maximus in gubernatione illi successit, & filiam suam Catharinam Friderico Marchioni Misniæ, qui Strenuus est cognominatus, desponsauit, dotisq; nomine ditionem Coburgicam ei tradidit. Estq; hac ipsa

Coburgica ditio quomodo ad Sax. duces peruenerit.

dote ditio illa tandem ad Saxoniæ duces deuoluta, à quibus etiam adhuc poßidetur ad annos ducentos & amplius. Alteri filio Bertholdi Ioanni succeßit filius Henricus, Henrico Vuilelmus I. Vuilhelmo I. secundus, secundo tertius, tertio quartus, cuius pietas virtusq́; totius posteritatis laude digna est. Ex Vuilhelmo IV. nati sunt Georgius Ernestus an. 1511. Popo an. 1513. principes boni, qui tametsi coniuges habuerint, tamen sobolem nullam post se reliquerunt. Itaq; factum est, vt deficiente Hennebergiaca stirpe in maribus, bona ditionis ad Landgrauium Haßiæ iure clientelæ pertinentia deuenerint: Reliqua verò Saxoniæ principes ex contractu ab imperatore confirmato occuparint. Quod factum est anno C.1583. Cum enim oppreßi essent alieno ære Hennebergiaci principes, per Saxoniæ principes ab eo liberati sunt ea lege, vt si masculo hærede stirps Hennebergiaca destitueretur, Saxoniæ principes reliqua, ad Hassorum principes non spectantia, occuparent, quæ pactio ab imperatore Hennebergensium feudo-

rum

rum domino confirmata est, & ius succedendi Saxoniæ electori, & patruis ipsius, sub certa conditione concessum.

COMITES ALDENPVRGENSES, ET DELMENhorstenses.

ALdenpurgum arx condita est à Vualberto Angriuariæ, Nordalbingiæ, & Vuestualiæ duce, anno C. 856. Hæc arx cum ditione Aldenpurgensi in potestate comitum Aldenpurgicorum fuit vsque ad Othonem comitem Aldenpurgensem, qui cum fratre Christiano ditionem diuisit, & in sua parte hæreditaria Hoiensi comitatui, & Bremensi ciuitati vicina, arcem condidit ad riuum Delmæ, cui Delmenhorsti nomen indidit, an. C. 1247. Inde comites Aldenpurgenses & Delmenhorstenses ortum habent. Delmenhorst. *Etsi enim distincti comitatus fuerunt propter distinctos agnatos, qui eos tenuerunt; tamen hæres vtriusque comitatus tandem factus est Theodoricus Fortunatus, in cuius familia vsque ad hoc tempus permansit. Ex hac*

Aldenburgica stirpe reges Daniæ, qui hodie rerum potiuntur, propagati sunt, Christianus I. rex Daniæ, & successores eius in regno Danico. Ex quo etiam fit, vt titulum Oldenpurgici & Delmenhorstensis comitatus cum agnatis suis comitibus Oldenpurgicis & Delmenhorstensibus, Ioanne, Antonio Gunthero vsurpent.

SVVARTZPVRGICI COMITES.

SVvartzpurgici comites ab arce in saltu Duringico ad Salam, Schwartzburck/*nominari cœperunt fermè ab an. C. 800. Primus comes Suuartzpurgi Vvitikindus fuit, vir bellicosus, à Carolo magno ad fidem Christianam traductus, & tractu Duringici saltus ad miliaria viginti in longitudine, ad decem verò in latitudine donatus est. Inde præstantes multi comites orti accessione honorum & opum ditionem auxerunt. Anno C. 1184. Henricus comes Svvartzpurgensis Erfurdiæ cum Rudolpho imperatore, & alijs multis congregatus in loco templi editiore supra cloa-*

cloacam, ruente propter molem tabulato in cœnum decidit & cum sex comitibus ac dominis, centumq́ aliis hominibus in eo periit. Imperator ægrè in clathro seu fenestra ferrata adhærens seruatus est. Caussam quidem dißidij inter archiepisc. Moguntinum, & Landgrauium Duringiæ, ad quod componendum Cæsar conuentum in isto loco egit, non paruam dedisse hic Suuartzburgius dicitur: quippe qui in ore habuit hoc quasi prouerbium: Hoc si fecero, mergar in latrina: quo inscius sibi mortem, quam obiturus esset, prædixit. Crantzius in Metropoli. Huius filius Guntherus omnibus heroicis virtutibus conspicuus imperator Romanus designatus est anno C.1340. de quo in Cæsaribus Romanis. Guntherus maior an. C.1481. non solùm Suuartzpurgi comes, sed etiam Arnsteti & Sondershusij dynasta appellatus est, eosq́ titulos ac ditiones ad posteros etiã propagauit. Guntherus bellicosus natus an. C.1529. à primis annis militiam secutus, primum in Gallia, deinde in Dania, tertiò in Vngaria contra Turcas, quartò

in Duringia contra Gotham vrbem, postremo in Belgio contra Hispanos belli dux fuit, vbi etiam diem obiјt anno C. 1583. Frater Guntheri Vvilhelmus liberali doctrina perpolitus, & laude illustri celebratus comes, sapientiæ singularis opinionem nobis omnibus affert. Vicina Schvvartz- Leutenberga. *burgico comitatui Leutenbergiæ ditio, mortuo Philippo comite Schvvartzpurgico & Leutenbergæ dynasta, ad agnatos comites Schvvartzpurgicos deuenit.*

COMITES NASSOVII.

P*Rimus comes Nassouius in chronicis nominatur Otho, qui Suabachium, Cadelsburgum, & alia quædam oppida tenuit, circa annum C. 1180. Ex Othone natus Henricus cognomento diues cum comitatu Nassouiensi tenuit Dilbergam, Beilsteinam, Vveilpurgum, & Idsteinam. Henrici filiј fuerunt Valramus vel Volradus & Otho. Ex Volrado natus est Adolphus imperator, & reliqui vsq; ad Philibertum, qui floruit vsq; ad annum C. 1530. quo in obsidione Florentiæ interiјt. Ex Otho-*

Othone nati ſunt comites Naſſouienſes in Dillenberg. Ex qua familia etiam prodijt Henricus eques aurei velleris, & cubicularius Caroli V. mortuus an. C. 1536. Ex Henrico natus comes Naſſouienſis & Cattimelibocenſis Renatus eques aurei velleris, & à Philiberto auunculo hæres, Auraniæq; princeps factus, in obſidione Landriſcana interijt anno C. 1544. Renatus viciſſim hæredem inſtituit Vuilhelmum patruelem, cognomento diuitem, qui iuſtitiam & religionem veram ſecundum Auguſtanam confeſſionem amauit & tutatus eſt, tum de comitatu Cattimelibocenſi cum Philippo Heſſorum principe diſceptauit, mortuus anno C. 1559. Ex Vuilhelmo prognati ſunt Vuilhelmus & Ioannes. Ac Vuilhelmus quidem natus anno C. 1533. Auraniæ princeps, aurei velleris, eques, ordinum euangelicorum in Belgio præſes, & copiarum militarium ductor contra Albanum, ducem de terra noua, Ioannem de Auſtria, Medinam cœli & Parmenſem ab anno C. 1564. vſque ad annum C. 1582. fuit. Tot enim annis pro

libertate & religione in Belgio contra Hispanicam vim & impreßionem dimicauit. bis in hac militia insidijs Hispanicis petitus, semel quidem Antuerpiæ, vbi globo per mandibulam traiectus euasit, vulnere sanato: iterum verò & quidem biennio post Delphij in Holandia, quando tribus venenatis globulis à nobili quodam familiari suo Balthasare Serak confossus interijt. Socij eiusdem militiæ fratres Adolphus & Ludouicus post varia certamina & cum hostibus Hispanis prælia tandem occubuerunt. Filios autem ex prima coniuge Anna Maximiliani comitis Egmontani filia suscepit Carolum Vuilhelmum, qui ab Albano duce Hispanico à literis auulsus, quas Louanij discebat, in Hispaniam an. C. 1568. missus est. Ex secunda verò coniuge Anna Mauricij Saxoniæ electoris filia Mauritium, qui post patrem dux militiæ Euangelicorum contra Hispanos existit, nauus, industrius, felix & salutaris. Ex quarta deniq; Ludouica Casparis Kolignij filia Fridericum Henricum. Ioannes porro frater Vuilhelmi, co-

mi, comes Nassouiæ prole copiosa familiam dilatauit, in qua eminuit etiam Ludouicus, qui belli, omnisq́; fortunæ socium in Belgico aduersus Hispanos sese præbuit, & anno C. 1574. è vita exijt.

Comites Hanauienses ab Hulderico vsq; qui circa annum C. 1400. vixit, laudibus floruerunt. Auxit autem comitatum Hanauiensem noua accessione Philippus natus an. C. 1449. & primus comes Hanouius, Minzepergæq́; dominus appellatus est. Post eum alius Philippus, qui an. C. 1561. è vita cessit, ad priores titulos comitatus Reineccensis titulum adiecit. Ex quo cum posteris suis comes Hanauius & Reineccij Minzepergæq́; dominus est dictus. Nec multò pòst Philippus cognomento senior, ducta in matrimonium Anna domina à Lichtenberg, primus titulum domini Lichtenbergi vsurpauit, qui etiam in posteris hæret. Accessit tandem etiam Bitschensis comitatus & Ochsensteinæ dynastia, vt hodie ijdem sint comites Hanauienses & Bitschæi, Lichtenbergæ & Ochsensteinæ domini. Hanauienses.

In Sol-

Solmenses. *In Solmensium comitum familia recensentur inde ab Henrico, qui circa annum C. 1220. vixit, latè diffusi posteri: quorum vnus Otho circa annum C. 1400. ex coniugio cum Agnete comite Falcosteiniæ, & Minzebergiæ comitatum Minzebergæ adeptus est. Ex quo tam ipse quàm posteri comites Solmenses & Minzebergij nuncupantur. Nostra quidem ætate Ioannes Georgius Solmensis & Minzebergius floruit, ac euangelij doctrinam repurgatam plurimum amauit & prouexit.*

Salmenses. *Salmenses verò comites numerantur ab an. C. 1416. quo Ioannes IV. in hac familia floruit, cui Ioannes V. & VI. successerunt. Ex VI. natus est Nicolaus rerum bello gestarum gloria clarus, à quo comites Salmenses in Austria deriuantur, quemadmodum à fratre eius Ioanne VII. comites in Lotharingia.*

Vvaldeccij. *Comites Vvaldeccij à tempore Caroli Magni floruerunt. Primus in ea familia vocatur Vvitikindus comes in Sualenberg, cuius pronepos vel abnepos Otho circa annum C. 1300. comitatum Vvaldeccensem*

censem tenuit. Othonem secutus est Henricus Ferreus, qui anno C. 1366. Corbachiam in potestatem suam redegit. Prodierunt ex hac familia multi episcopi & bellatores præclari. Ex quibus Volradus II. pietatis & eruditionis laude præcellens colloquij Ratisbonensis an. C. 1546. præses fuit. Sed & Franciscus Mindensis, Monasteriensis, & Osnabrugensis episcopus ecclesiæ sibi commissæ doctrinam secundum Augustanæ confeßionis formulam emendare conatus est, sed de spe conatuq́ depulsus.

Comitum Fuggarorum familiæ autor fuit Reïmundus Fuggarus, cui cum fratre Antonio titulus comitatus Kirchbergi, ob merita in imperium, in conuentu imperiali tributus est: ex quo primi comites Kirchbergi & Vveisenhorni appellati sunt. Excelluerunt in hac prosapia in primis Antonius & Ioannes Iacobus, quorum ille literatos plurimum adiuuit, hic verò literas politiores apprimè calluit, earumq́ cultores fouit. Fuggari.

Isenburgij comites recensentur à Salenti- Isenburgij.

lentino vsq;, cuius posteri etiam domini Grensauij dicuntur. Prodierunt ex ea familia Ioannes Treuirensis archiepiscopus anno C. 1547. designatus, & Salentinus Coloniensis archipræsul electus anno C. 1567. Qui tamen relicto ordine sacro vxorem duxit, vt familiam suscepta sobole conseruaret.

Lippienses. *Lippienses comites ex historia Caroli Magni & Henrici Aucupis noti sunt. Et quidem circa annum C. 1150. Bernhardus comes loco Obervvaldi vrbem Lippiam ad occidentalem Visurgis ripam supra Mindam & Heruordiam condidit. Sed tempore Henrici Leonis ditionibus suis priuatus monasticum vitæ genus secutus est & episcopus factus in Liuonia. Præbuit hæc familia multos sacri & militaris ordinis comites vsq; ad Simonem, qui hodie cum sobole sua floret.*

Caspar Schlickius patre germano Franco de Lazanorum familia, matre verò Itala, comite de Alto colle natus, ob multa & præclara sua merita à Sigismundo imperatore comitis titulo insignitus & An-

cona

cona siue Elboga vel Cubito arce in finibus Boiemiæ sita donatus est. Integritas eius in Constantiensi concilio enituit, cum omni gestu declarauit sibi damnationem Ioannis Husi displicere. Cancellarius trium imperatorum Sigismundi, Alberti II. & Friderici III. fuit. Posteri eius Passauni & Vveissenkirchæ comites appellantur. Tum Slackenvverdæ etiam dynastiam adeptus est Ioachimus ille Sligkius, qui operam nauauit imperatori Carolo V. in bellis & legationibus: Cameræ item iudicio præfuit, & anno C. 1585. hanc vitam vitalem deseruit. Reliquit filium Iulium, ex quo natus Ioachimus Andreas Saxoniæ principibus, Christiani electoris filijs, studium fidemq́; egregiam præstat.

Comites vetusti sunt Vvethini, Mersburgi, Plissenses, Ilenpurgi, Cylnpurgi, Seusslicij, item Burggrauij Soraborum, & alij, qui iam in vnam familiam Saxoniæ ducum confluxerunt. Vvethini Pleiss. Cylnpurgi.

Oetingenses comites in Risa Sueuiæ & Bauariæ finibus longa serie deducuntur à Cunrado, cuius filius Ludouicus circa annum Oetingenses.

annum C. 1205. vixit. Tempore illucescentis doctrinæ reformatæ Ludouicus Oetingensis comes euangelicorum principum socius fuit contra Cæsarem Carolum V. Filius eius Ludouicus restitutionem Vlrici ducis Vuirtembergici adiuuit, aduersus Turcam pugnauit, & propter societatem cum protestantibus principibus in bello Germanico cum patre proscriptus, communes exilij ærumnas cum eo annos nouem tolerauit. Tandem verò restitutus patriæ ditioni an. C. 1569. vitam finiuit.

Furstenbergij. *Furstenbergij & Vuerdenbergij comites ab Egone propagati familiæ dignitatem à maioribus acceptam, præclarè tutati sunt. Ex hac familia ortus Vuilhelmus cum principibus protestantibus contra imperatorem Carolum V. stetit, & in Gallia militauit. Frater verò Fridericus, Cæsaris partes secutus, euangelicos seu protestantes cum eo oppugnauit.*

Helffensteinij. *Helffensteinij comites, domini Gundelfingæ, ab Vlrico orti, suum genus & ditionem tuentur. Vnde etiam prodijt Georgius ille Helffensteini comes, Gundelfingæ Baro,*

Baro, qui trium imperatorum, Caroli V. Ferdinandi, & Maximiliani II. dux militaris fuit, in bello Germanico protestantes oppugnauit, & in Vngaria bis legiones Germanicas duxit contra Turcos, documenta fortitudinis multa dedit. Mortuus anno C. 1573.

Comites Hoienses & Brocchusiani inter vtramq; ripam Visurgis, Mindam & Bremam, inde vsq; ab Henrico celebres fuerunt, & partim episcopatus rexerunt, partim bellis gerendis enituerunt. Filius eius Ioannes circa an. C. 1290. vixit, ex quo longo interuallo propagatus Ioannes cognomento bellicosus & seuerus fratrem Ericum episcopum Osnabrugensem restituere conatus est, sed casu quodam infesto captus, post annos septem demum liberatus est: & an. C. 1455. è vita exijt. Filius Ioannis fuit Iodocus, ex quo natus Iodocus Hoiensis & Brocchusanus comes à ducibus Brunsuigi, dominis feudi pulsus est cum omnibus propinquis, vixq; septennio post restitutionem impetrauit. Pietatem iustitiamq; amauit, & effulgentem in his Hoienses.

regionibus euangelij lucem maturè amplexus est, quamuis periculum sibi impendere magnum perspiceret, mortuus est an. C. 1542. Ioannes Hoiensis comes in Dania & Suecia miles fuit; & ob res bene gestas Gostaui Sueciæ regis filiam in matrimonium accepit.

Baro. Vval-purgij.

Barones Vvalpurgij S. Rom. imperij dapiferi ab Eberhardis, inde vsque ab anno C. 1380. propagati auitam ditionem dilatarunt. Postremus de familia Truchsessiorum Ioannes liber Baro Vvalpurgius Sueuiæ præfectus, oppidis multis rem suam auxit, mortuus an. C. 1403. Filius verò eius Eberhardus liber Baro Vvalpurgius comitatum Sonnebergicum ab imperatore Friderico III. emit, & comitis titulum consecutus est, qui tamen non multò post ad Sigismundum Austriacum per emtionem translatus est. Anno C. 1460. mortuus est in hac familia Iacobus Truchsessus, liber baro Vvalpurgius, eques auratus, quem non longo interuallo secutus Vvilhelmus liber Baro Vvalpurgius, imperij Rom. dapifer, Ferdinandi, & Maximiliani imperato-

ratorum curialis. Huius nepos fuit Eberhardus, qui hac ætate archiepiscopatu Coloniensi motus est, propter mutatam religionem, & ductam vxorem an. C.1583.

Barones Limpurgici semper liberi, S. Rom. imperij pincernæ hæreditarij, autorem habent Conradum, qui primus S. Rom. imperij pincerna hæreditarius appellatur. Limpurg.

Vngnadij Barones quondã dicti Vveissenuuolffij ab anno C. 1147. in imperatorum Rom. historijs commemorantur. Hoc enim anno quidam Theodoricus Vveissenvvolfius Conradum imperatorem secutus est in Palæstinam, ad bellum contra Saracenos. Origo eorum est ex Francia orientali. Inde enim in Carinthiam traducti sedem rerum ac fortunarum suarum ibi collocarunt. Idq; factum ea occasione. Cum in Carinthia tumultus excitatus esset, misit episcopus Bambergensis Theodoricum Vveissenuuolffium eò ad sedandas turbas, & ad tuendum oppida, quæ ad episcopatum Bambergensem pertinerent. Quod officij munus, cum singulare fide & prudentia exequeretur Theodoricus, Vngnadij.

remansit ibi, & omnibus posteris suis segetem materiamq; amplissimorum honorum, quibus perfuncti sunt, præbuit. Vix enim reperias vnum imperatorem Romanum, cui non vel dandis consilijs, vel obeundis legationibus, vel sustinendis militiæ laboribus fidem industriamq; suam Vveissenvvolffij probarint. Itaq; dignitatibus maximis ab imperatoribus decorati, plurimiq; eorum vel aurati equites facti, vel muneribus in aula, aut prouincia aliqua præfecti sunt. Vngnadij autem inde nominari cœperunt, quod Henricus Vveissenuuolfius Vlrico Carinthiæ duci militauit, & vnà cum eo arcem Schachenstein, quam tyrannus quidam incolebat, multaq; incommoda inde vicinis ferebat, expugnauit, & cum nullis precibus flecti posset à tyranni vxore, vt parceret, alta & sæpius iterata voce illa exclamauit, Vngnad. Ex quo cognomen hic Vveissenuuolfius deportauit, idq; ad posteros suos propagauit. Anno C. 1492. imperator Fridericus II. Ioannem Vngnadium propter plurima merita donauit Baronatu in Carinthia, cui nomen est

Son-

Sonneck, ex quo Barones à Sonneck Vngnadij nominantur. Egregia virtus, & pietas admirabilis in hoc Ioanne fuit. Etsi enim honoribus maximis fungebatur in Styria & Carinthia, quibus à Ferdinando imperatore præfectus fuit: tamen cum reformatæ religionis libertatem nullam impetrare posset, cessit bonis omnibus, & in exilio sacra Biblia, Augustanam confessionem, & scripta quædam Lutheri suis impensis in exteras linguas, Turcicam & Croaticam conuertenda curauit, vt pluribus gentibus & nationibus innotescerent. Reliquus est hodie filius huius Ioannis, Simeon & patruelis Dauid Vngnad Baro in Sonneck, Cesareæ maiestatis consiliarius præcipuus, cuius authoritas, prudentia, & fides eximia domi militiæque cognita est. Sonneck.

COMITES MANSFELDICI.

SI *longissimè volumus respicere, & à capite familiam Mansfeldicam arcessere, reperimus circa annum C. 542. Hoieri Ruffi comitis Mansfeldici nomen in* Nomen.

historia Arturi Britanniæ regis. Quanquam sunt, qui opinentur Mansfeldiæ nomen à Manno esse, qui Tuisconis vel Ascenæ filius fuit, cuius prima mentio fit in Beroso, lib. 5. anno post conditum mundum

Situs. *1963. Situs autem est Mansfeldiæ comitatus in superiori Saxonia ad syluam Harcyniam, inter Salam flumen, Mersepurgum: Duringiam, & comitatum Suuartzpurgicum in radicibus Meliboci montis.*

Hoierus. *Nobilitata est in primis fortitudo Hoieri comitis Mansfeldici, qui in prælio ad Vvelphonis syluam Henricum V. imperatorem adiuuit, contra Lotarium comitem in Supplenburg & Querfurd, in quo etiam occubuit an. C. 1115. Initium autem eruendi,*

Cupri initium. *aut effodiendi æris Cyprij incidit fermè in annum Christi 1199. quo metallici duo non procul ab oppido Hecstet æs inuenerunt, ex quo cupri mons ille locus appellari cepit.*

Feudum. *Etsi autem ab imperatoribus feuda acceperunt comites Mansfeldici: tamen anno C. 1487. post longam & acrem disceptationem, gratia, & venia imperatoris Romani iura feudorum metallicorum ad Sa-*

xoniæ

xoniæ principes translata sunt: Lipsiæ in die Ioannis ante portam omni lite & contentione sublata. Anno C. 1475. mortuus est Guntherus Mansfeldiæ comes, qui quasi arbor quædam fecunda in surculos plurimos diffusa gentem Mansfeldicam insigniter dilatauit. Hinc Ioannes Georgius extitit, qui Moguntino archiepiscopo Alberto primum, deinde electoribus Saxoniæ operam vicariam nauauit, & an. C. 1579. mortuus est. Item Albertus ille, quem religionis reformatæ professio libera, & in bellis cognita industria nobilitauit. Nam & doctrinam Augustanæ confessionis constanter tutatus est, & in bello Germanico eius partis socius fuit, quæ furori pontificiorum sese opponebat. Ob hanc constantiam proscriptus à Carolo V. bonis omnibus exutus est. In exilio proscriptis Magdepurgensibus auxilio & solatio magno fuit. Nam & præsidiariorum ducem sese præbuit, & suo consilio virtuteq́ue obsidionis difficilimæ pericula & molestias leniuit, belliq́ue impetum sustinuit atque repreßit. Tandem anno C. 1550. Mauritio

Guntherus.

Carolus

Ioan. Georgius.

Albertus.

Saxone Cæsarem oppugnante, receptus est in gratiam, & restitutus in integrum. Exijt è vita anno 1560. Ex hoc Alberto nati sunt filij complures, Caspar, Volradus militaris dux, Vvolfgangus. Ex Petro Ernesto Hispaniarum regis militari duce in Belgio natus est Carolus, qui bellica laude abundans, & reb. gestis clarus dux fuit in Gallia, Belgio, & tandem etiam in Pannonia, quo anno 1595. à Cæsare Rudolpho II. vocatus, supremus Mareschallus in bello contra Turcas designatus, disciplinam militarem instituit, Strigonium circumsedit, & Turcas Buda magno numero aduentantes, vt subsidio essent circumsessis, fortiter repulit, solertia admirabili astutiam eorum fregit, copias dissipauit, in prælio multos cecidit, & victoriam præclaram deportauit. Mortuus tamen est ante deditum Strigonium, ex castris æger Comoram delatus, vbi expirauit.

Mansfeldicus.

Insigne autem ornamentũ comitatus Mansfeldici fuit Martinus Lutherus, qui inde progressus clarissimum lumen euangelij cunctis gentibus & nationibus prætulit.

Martinus Lutherus.

tulit. Anno C. 1510. à Maximiliano I. imperatore tributus est comiti Mansfeldiæ Hoiero, atq; adeò omnibus huius ditionis comitibus generosorum titulus ac dignitas, concessumq́; vt deinceps pro viridi, cera rubra vterentur. Titulus generosorum. Cera rubra.

DYNASTÆ, SEV NOBILES DOMINI QVERfurdenses.

QVerfurd à domino loci, quasi Geronis vadum Gernsfurd / *vel à Varinis Sueuis, quasi Variner* furd / *dici videtur. Nobiles dominos habuit serie continua inde ab anno C. 880. per octodecim gradus, ad annum vsq; C. 1496. Primus enim nobilis dominus Querfurdensis Bruno nominatur, à quo tanquam à stipite descenderunt ferè sexcentorum & sedecim annorum spacio præstantes virtute, dignitate, & rerum gestarum gloria clari domini. In primis Lotharius nobilis dominus Quernfurti, comes Supplenburgi & Northeimi, dux Luneburgi, elector Saxoniæ, & laudibus omnibus abundans imperator* Nomen. Lotharius imperator.

an. C. 1125. Deinde Burggrauij Magdeburgici nouem, quorum primus Burchardus III. ab imperatore Lothario patruele an. C. 1136. confirmatus est. Quem secuti reliqui octo Quernfurti dynastæ, Burggrauiatum illum ad annos penè centum quinquaginta ex dignitate & reipub. commodo magno gesserunt. Tum archiepiscopi duo ex hac familia prodierunt, Conradus II. Magdeburgi anno C. 1136. & Albertus an. C. 1382. Sed & Busso I. anno C. 1277. electus quidem est, sed non confirmatus. Episcopi quinq; ex hac familia numerantur, Reinhardus & Burchardus Mersepurgi, Conradus & Sigefridus Gildeshemi; quorum ille etiam Vvurcepurgi & Lubeci episcopatum gubernauit. Bruno IV. Cizij & Numpurgi. Præpositos item complures hæc ipsa familia protulit, in qua etiam excellit Bruno Sanctus, qui natus ex Brunone nobili domino Querfurti, à primis annis ad studia doctrinæ & pietatis adhibitus est. Inde canonicus Magdepurgi factus, & tandem monachus Benedictinus à pontifice Gregorio V. &

Bruno Sanctus.

postea

postea à Syluestro II. in Borußiam missus est ad docendum euangelium, & ad conuertendos Borussos infideles ad fidem Christianam, anno C. 999. In Borußia annos fermè tres vrbes & oppida peragrans ad religionem Christianam, quotquot potuit, flexit, & cum periculum sibi ab infidelibus non paruum impendere videret, inde digressus Romam rediit, & apostoli Borussorum cognomen deportauit. Roma Querfurdum reuersus, more suo rura, precandi caussa, peragrauit: vbi occurrit ei mulier properans & trepidans, quæ sub palla infantes aheno exceptos baiulabat. Hos vagientes exaudit Bruno, miratur & sciscitatur quid sit. Mulier catulos esse ait. At Bruno inquirere non desinit, priusquam rem explorarit. Retecta igitur palla infantes octo inuenit, exhorrescit, & vrget mulierem, vt vnde sint, dicat. Hæc multis verbis vix tandem persuasa narrat, coniugem Gebhardi nobilis domini Quernfurti vno partu enixam esse nouem infantes, quorum vnus tantum domi remanserit, reliquos octo iam à se exportari, vt in pi-

Apostolus Boruss.

Historia de nongeminis.

in piſcina extra vrbem ſub arce, aheno lapidibus grauato, extinguantur. Idq́ eò fieri, quod nobilis dominus Gebhardus credere nunquam voluerit, honeſtè fieri poſſe, vt vna fœmina plures fœtus ſimul edat. Itaq; coniugem ipſius metu ad necandos octo infantes impulſam eſſe. Sanctus Bruno, acceptis infantibus mox eos baptiſat, & alendos diuerſis in locis tradit mulieribus. Mulieri verò exportanti grauiter edicit, ne cui quid factum ſit, indicet, ſed matrem etiam ipſam celet. Poſt annos complures, antequam in Boruſsiam rediret, S. Bruno fratri ſuo Gebhardo nobili domino rem omnem, quomodo ſe habeat, aperit, & primum quidem obiurgat, quod impiè & malè iudicarit de mulieribus, plures fœtus vno partu edentibus. Deinde verò hortatus ſeriò ad amplectendum infantes, & coniugem ſuam. Compellat quoque coniugem eius matrem infantium necandorum, obiurgans primum vehementer propter facinus tam immane, tum erigens rurſum, & bene ſperare iubens. Mox in conſpectum vtriuſq; parentis octo in-

fantes

fantes vno modo vestitos producit & parentibus commendat. Mater visa sobole sua, gaudio incredibili completur, sed coniuncto tamen cum acerbo dolore animi, quem ex immanitate sua capiebat. Agnoscunt ambo ex se prognatam sobolem, vni illi, qui domi relictus fuit, prorsus similem. Ahenum verò, in quo exportati sunt infantes, Quernfurti reliquum est, monumentum rei tam incredibilis perpetuum.

Sanctus Bruno autem etiamsi in Borussiam redire constituerit, tamen ab imperatore Henrico persuadetur, vt diaconus illius fiat: ea tamen conditione, vt si tempus necessitasq́ postulet, in Borussiam proficisci sibi liceat. Venit tempus, quo in Borussiam sibi redeundum intelligit. Itaque salutato fratre cum coniuge & liberis eius, mulo, paucis comitatus, insidet, & cum vix vrbe egressus est, mulus consistit, nec vi vlla propelli potest. Agnoscit Gebhardus diuinitus id fieri, vt ad manendum domi inuitetur frater. Reuertitur igitur Sanctus Bruno cum fratre: sed quiescere non potest, priusquam iter cogitatum perficiat. S. Bruno martyr.

ficiat. Ita reuertitur in Borußiam, conciones ibi habet, & ab idolomania ethnica multos abducit. Sed inualescit sæuitia infidelium in Christianos, vt è medio eos tollant. A quibus etiam Sanctus Bruno tandem resectis manibus & pedibus, & collo denique ipso, miserè excruciatur & necatur anno C. 1008. vel 1009.

Bruno Vltimus.

Anno C. 1496. mortuus est sine filijs & nepotibus masculis Bruno nobilis dominus Quernfurtensis. Ideoque ditio eius distracta est & occupata partim ab archiepiscopo Magdeburgico Ernesto, partim etiam à Saxoniæ duce Alberto. Pertinuit quidem succeßio Querfurdensis dynastiæ ad Mansfeldiæ comites ex pactis hæreditarijs: sed quare ad alios translata sit, certò sciri non potest.

COMITES STOLBERGICI.

STolberga arx vetus in Harcynia sylua ædificari cœpta est circa annum C. 566. à nobili quodam Romano, Othone de columna, qui imperatori Iustino iuniori mili-

militauit, & nigrum ceruum in Stolbergicis montibus captum, ei donauit. Huic imperator vicißim insigne cerui nigri in clypeo & locum etiam, in quo captus fuit ceruus, tribuit. Inde tractum illum cum posteris suis is sibi vendicauit. Ab hoc dynastæ & comites Stolbergici longo ordine numerantur, qui comitatum Stolbergensem multis alijs comitatibus & dynastijs, Vvernigerodensi, Königsteinensi, Rutzchesurtensi, Vvertheimensi, Heringensi, Kelbrensi, & alijs auxerunt. Floruit paulò ante nostram ætatem in hac familia Botho, qui anno Christi 1493. equitis aurati insignia adeptus est. Item Ludouicus à Königstein, qui Caroli V. Ferdinandi, & Maximiliani consiliarius & orator fuit.

Comites Hoensteinij in aditu Harcyniæ versus Duringiam numerantur inde vsque à Theodorico, qui ob dissensionem inter agnatos nocte intempesta captus est à Friderico Heldcrungo an. C. 1412. Ex quo propagati Hoensteinij comites, et Lahræ, Clettenburgique domini sunt vsque ad Ernestum, qui Hoensteinij.

qui anno C. 1593. absq; hærede masculo mortuus est, & bona sua ex pacto veteri Svarceburgicis, & Stolbergensibus comitibus reliquit. Ita enim iam olim conuenit inter familias Hoensteinensium, Suarceburgensium, & Stolbergensium comitum, vt deficiente earum vna, superstites in bonis illius succederent: Fuerunt autem bona Hoensteiniorum comitum partim in electoris, partim in episcoporum Halberstadensium clientela, sed Augustus septemuir Saxoniæ ante annos non ita multos, sede episcopatus Halberstadensis vacante cum capitulo permutationis rationem fecit, ita vt Honsteinius retineret quædam bona, & cliens Saxoniæ electoris maneret. Iam mortuo Honsteinio, Suarceburgenses, & Stolbergenses in ijs bonis, quæ penes Saxonem remanserunt, successere: reliqua Brunsuicenses occuparunt, expulsis Suarceburgicis, & Stolbergensibus. Idq; sic excusarunt, quod comites illi non renouassent legitimo tempore post permutationem, ius successionis, vt in feudis fieri solet. At hi petijsse se quidem aiunt, & paruisse

ruisse legibus clientelæ, sed nihil impetrare potuisse. Itaq; res deducta est in iudicium imperatorium, quod Spiræ est, vbi restitutionem ablatorum bonorum spoliati comites petunt.

Leisnicenses comites, & Penicij domini ad Muldam, ortum ducunt à Vvirperto, qui comes Groicensis, Marchio Lusatiæ & Leisnicij, dominus Budissinæ, Nyssinæ, Suanfeldæ, & Orlæ fuit. Varia autem fortuna hic Vvipertus conflictatus est. Anno enim C. 1106. Henricum iuniorem Misniæ & Lusatiæ Marchionem profligauit, ditionemq́; illius occupauit. Deinde an. C. 1113. circumsessus est in arce sua Groiza ab Henrico V. imperatore, sed expugnari non potuit. Non multò pòst tamen captus est ab Hoiero Mansfeldiæ comite, traditusq́; Cæsari, triennium in custodia remansit. Sed non multò pòst liber factus filij beneficio suam ditionem recuperauit, & insuper Misniæ Lusatiæq́; Marchio ab imperatore designatus est, tum Burggrauiatum etiam seu præfecturam imperij consecutus est. Tandem eiectus ab Henri- Leisnicenses.

co iuniore, Lotharij Saxonis electoris subsidio, monasterium Pegauiense ingressus est, & vitam anno C. 1124. ibi finiuit. Ab hoc prognati sunt comites & Burggrauij Leisnicenses vsq; ad Hugonem, qui ad exitum vitæ vocatus ditionem Penicensem in Georgium Saxoniæ ducem, feudi dominum, transmouit. Mauritius verò Saxoniæ dux anno C. 1543. permutatione Barones Schonpurg. *facta Penicensem ditionem Baronibus Schonpurgijs pro arce Hoensteina supra Dresdam dedit.*

Barbienses. *Comites Barbienses & Mulingenses ad Albis & Budæ confluentem recensentur inde vsq; ab anno C. 1149. quo Burcardus comes à Barbi vixit. Horum multi omnibus penè ætatibus bellica laude clari fuerunt. Et nunc etiam honoribus & gratia florent. Vuolffgangus natus an. C. 1502. quinq; electorum Saxoniæ, Friderici, & sequentium consiliarius fuit. Vuolffgangus II. natus anno C. 1531. industriam suam in plærisq; bellis suæ ætatis in Germania & Gallia gestis declarauit. Albertus anno C. 1534. natus, præclaram operam*

ram

ram in bello contra Turcas in Vngaria, in bello ad S. Quintinum in Gallia, & contra Albanum in Belgio nauauit. Burcardus IV. natus anno Christi 1536. August. Saxoniæ electoris consiliarius & vicarius fuit, in Dania, Vngaria, Gallia, & Duringia, cum Gotha oppugnaretur, militauit, mortuus anno C. 1586.

COMITES REINSTEINII.

R*Einstein ab arce rupi puræ vel solidæ incisa nomen habet. Inde comites dicti Reinsteinij, & dynastæ Blanckopurgij, ab Henrico, qui vixit circa annum C. 1190. numerantur ad nostra vsq; tempora, quibus vixit Vlricus Reinsteinensis comes, Plancopurgi dynasta, qui documentum insigne dedit constantiæ in professione doctrinæ veræ, & patientiæ in perferendis aduersis, tum beneficentiæ etiam erga egenos, & pietatis in subditos vsq; ad an. C. 1551. quo è vita migrauit.*

Gleichæ comites & dynastæ in Tonna, licet multò vetustiores sint: tamen ab an. Gleichenses comites.

C. 1275. demum in historijs nomen eorum reperitur. Mirum est historiam memorabilem cuiusdam comitis à Gleichen non esse mandatam literis: cuius tamen monumentum insigne conspicitur Erfurdiæ in templo Petrino, vbi lapidi incisa eius effigies est cum duabus coniugibus, vtrinq; positis, quarum vna Germanica, altera Saracenica fuisse dicitur. Quam historiam sic describunt chronica Duringica. Profectus est ille comes Gleichensis cum Ludouico Duringiæ Landgrauio in Palæstinam an. C. 1227. quo Fridericus II. imperator cruce signatas copias contra infideles in Asiam duxit. Etsi autem Ludouicus Duringiæ Landgrauius febre ardenti arreptus Hydrunti extinctus est: tamen iter susceptum cum imperatore continuauit Gleichensis comes. In Palæstina verò casu infesto captus in custodiam datus est, in qua tamen admirabili Dei bonitate ita captiuitatis ærumnæ mitigatæ sunt, vt amari cœptus sit à filia Saracenici domini. Hæc clam, quoad eius facere potuit, beneficia in eum contulit. & si coniugium

Historia comitis Bigami.

gium promittere vellet, liberationem certam ei pollicita est. Comes ingenuè vt res erat, se domi legitimam vxorem reliquisse fassus est: & tamen si dux esse ad libertatem vellet, & cum altera coniuge domi sine discordia viuere, fidem matrimonij dedit. Annuit puella, & cum eo periculosæ fugæ sese dedit. Elapsi autem de Saracenorum manibus, Romam aduenerunt, & pontifici rem omnem, vt se haberet, narrarunt. Pontifex fidem vtrinq; datam neq; rescindendam, neq; Saracenicæ mulieri salutarem ad religionem Christianam conuersionem inuidendam existimans, bigamiam approbat. Reuersus inde domum comes, iubet Saracenicam coniugem foris præstolari: ipse verò ad vxorem suam ingreditur. A qua agnitus & acceptus amantißimè est. nec ita multò post exponit ei quomodo per mulierem Saracenicam liberatus sit à iugo hostium immanium, eiq; matrimonium promiserit. Hanc se adduxisse secum, & si gratum reditum suum habeat, vt eam, cuius beneficio redierit, acceptam habeat petit: præsertim cum

 spes

spes sit, eam sic sese gesturam, vt querela nulla de ea esse posit. Læta coniunx mariti sui reditu, mox ingredi Saracenicam iubet, eamq́ amanter complectitur, & sociam thori esse sinit. Sic autem gubernabatur diuinitus hæc bigamia, vt Saracenica sterilis esset, Germanica verò liberos pareret. Hoc pacto vtraq; chara marito fuit: Saracenica quidem propter formam & speciem liberalem, Germanica verò proter sobolis procreationem. Accedebat etiam hoc commodum, vt Saracenica liberos ex Germanica natos verè amaret & curaret, perinde ac si ex ipsa editi essent.

COMITES DASSELIENSES.

Comitatus Dasseliensis inter Visurgim, & Linam, Gotingam, Northeimum, Cattenelbogum, Hamburgum, & Eberſteinum situs, à Vualthero primum anno C. 700. cultus. Complures comites generosos, & inter hos etiam archiepiscopos duos Colonienses, Reinoldum, & Annonem protulit. Desijt verò anno C. 1329. Simone postremo absq; hærede mortuo,

mortuo, occupatusq́; est ab episcopo Hildesheimensi, Othone comite Vvoldenbergensi. Ab eo tempore mansit in potestate episcopatus Hildesheimensis vsq; ad episcopum Ioannem, & annum C. 1523. quo ad duces Brunsuigi translatus est.

COMITATVS GROIZENSIS.

VIpertus Groicensis comes, marchio Lusatiæ, Burggrauius Magdeburgi & Leisnicij, ex Teutonum gente, stirpe verò Helmerici Holsati à matre missus est ad Sigefridum marchionem & electorem Brandepurgicum, à quo educatus est, & ob insignem animi magnitudinem in bellis declaratam primum Tangermunda in veteri marchia donatus est. Deinde permutatione facta, comitatum Groicensem inter Elystrum & Myldam ad Pegauium ab eodem marchione accepit. Hunc comitatum exornauit, & amplificauit Vipertus, extructa arce magnifica, quam postea Adolphus Cæsar anno Christi 1294. destruxit. Insigne Viperti fuit equus currens in

campo rubro. Pulsus autem ex Groicensi comitatu Vipertus à nobilibus vicinis, ad Ladislaum Boiemiæ regem profugit. A quo honorificè habitus, cum sexaginta equis ad Henricum IV. imperatorem missus est, cui in bellis Italicis contra Hildebrandum pontificem præclaram operam nauauit. Cumq́; Cæsar in quadam velitatione à militibus Hildebrandi circumfusus esset, suo corpore eum texit Vipertus, & fusis hostibus seruauit. Tum in vrbem ipsam aditum Cæsari dedit, & annis septem in Italia deseruijt. Romæ cum leone famelico in se, iussu Cæsaris dimisso, pugnauit, eumq́; à se repulit. Ob quod facinus Cæsari iratus quidem fuit, & discedere ab eo voluit, sed placatus ab episcopis est, qui muneribus magnis eum affecerunt. Cæsar verò arcem Leisnicensem cum oppido & Burggrauiatu ad Myldam, in Soraborum terra, paulò pòst etiam reditus magnos Camburgum, & Dornburgum ad Salam in Duringia ei attribuit.

Tot bonis feudalibus à Cæsare donatus Vipertus Iuditam Ladislai Boiemici regis

filiam

filiam vxorem duxit. Anno C. 1104. à marchione Ecberto oppugnatus est, & in prælio duos dentes lancea elisos amisit, sed se suaque tamen fortiter defendit. Incurrit quoque in offensionem Cæsaris Henrici IV. ob eamque rem Romam, inde, ad S. Iacobum profectus veniam peccatorum suorum auiditate magna expetiuit.

Anno C. 1106. cœnobium Pegauiense ad Elystrum ordinis S. Benedicti fundauit. Idque Adelgatus Magdeburgensis archiepiscopus, & vicini episcopi inaugurarunt. Vipertus eidem cœnobio eam libertatem impetrauit, vt nulli nisi Rom. pontifici pareret. Fundauit etiam duo cœnobia, virginum Viceburgense, & Bichlingense, quæ postea translata sunt Reinsdorfium ad Vnstrotum. Accepit ab Henrico V. imperatore Zuiccauiam, vel Cygneam vrbem, & marchiam Lusatiæ, ab Adelgato verò Magdepurgensi archiepiscopo Magdeburgi Burggrauiatum. Zuiccauiam autem filius eius Vipertus Iunior absque mascula sobole mortuus iterum amisit. Captus etiam hic Vipertus Iunior ab Henrico V. vnà cum

Bosuino Boiemiæ rege, à patre sic liberatus est, vt arce, & Burggrauiatu Leisnicensi cederet. Cæsar vicissim ei arcem Eccardisbergam concessit. Imperante verò Henrico V. fortuna varia conflictatus est. Nam filius eius Vipertus Iunior ab hoc imperatore cum excommunicatus à pontifice Rom. esset, incitatus est aduersus patrem, propterea quod is sese cum Saxonicis principibus contra Cæsarem coniunxisset. Hic ergo amplis promissis inductus filij personam exuit, & hostis induit. Circumsedit enim patrem in arce Groicensi, & oppugnauit acerrimè. Sed depulsus est inde, amissis in oppugnatione quingentis Boiemis, quos adduxerat. Hac clade accepta, Vipertus iunior promissa à Cæsare bona flagitauit. Verùm is non exoluit. Itaq; ab eo defecit comes Vipertus Iunior, & ad patrem rediit, gratiamq; consecutus est. Anno C. 1113. conuentum principum Saxonicorum Erfurdiæ indixit Cæsar: quo cum non venissent principes, proscripti sunt à Cæsare, & oppressi paulò pòst partim occisi sunt, partim capti. Inter hos

etiam

etiam Vipertus senior fuit, qui acceptis vulneribus in custodiam primum datus, deinde coram principibus Vuurcepurgi in comitijs læsæ maiestatis accusatus, & capitis damnatus est. Cum verò executio parumper differretur, Vipertus Iunior, suasu amicorum arcem Groicensem cum omnibus ad eam pertinentibus Cæsari tradidit. Quo facto nonnihil placatus Cæsar, vitam quidem Viperto damnato donauit, sed in custodia nihilominus ad annos tres eum detinuit. Filij verò eius, Vipertus, & Henricus tam arcis, quàm patris iactura commoti grauius, de integro cum Saxonibus sese aduersus Cæsarem coniunxerunt. Sed proscripti sunt statim, & latere in syluis coacti. Vipertus autem, vbi finem vitæ sibi imminere sensit, abiecta omni alia cura, mente tota sese ad Deum conuertit. Ac vt viam salutis certam ingredi posset, accersiuit sororis suæ filium Rutgerum Magdepurgensem archiepiscopum, Arnoldum Mersepurgensem, Richuuinum Cicensem, & Godebaldũ Misnensem episcopos, ab ijsq́; solatium ac veræ salutis rationem sibi prabe-

præberi petijt. At hi melius consilium se dare nullum posse responderunt, quàm vt monasticum habitum assumeret, in S. Benedicti ordinem reciperetur, & per eum peccatorum suorum remissionem consequeretur. Quod profectò remedium fuit nimis tenue, vel horribile potius atq; detestandum. Obsecutus tamen est Vipertus, radi sese passus est, & cucullum induit, mortuus an. C. 1123. & sepultus Pegauij.

Burgou. Marchiones.

Marchiones Burgouienses à comitibus de Berge, & Schelklingen orti, Austriæq; principibus subiecti, inter Augustam, & Vlmam sedem rerum ac fortunarum suarum habuerunt: sic nominati ex oppido Burgou ad fluuium Mindel sito. Vltimus huius familiæ fuit Henricus, qui anno C. 1283. è vita cessit, & in cœnobio Vvettenhusio sepultus est.

Zollerenses seu comites de alto colle.

Zollerenses comites in Sueuia à Perfrido vno de Columnensium familia apud Romanos ortum habuerunt. Is enim aduersarijs suis cedens ad Cæsarem Henricum II. in Germaniam venit, circa an. C. 1040. & quanto in odio esset apud suos, propter

studium

ſtudium quod in ipſum haberet, expoſuit. Cæſar benè illum ſperare iuſsit, & vt in Germania manere poſſet, montem ei tribuit, in quo arx Hohenzollera extructa eſt. Neq; id ſolùm, ſed etiam territorium adiunctum, & imperij quædam vectigalia illi donauit, quæ cum poſteris ſuis beneficij vel feudi loco ab imperio teneret. Inde dicta eſt arx Hohenzollera ab altitudine ſcilicet loci, & donatis vectigalibus. Pòſt cum familia Burggrauiorum Norimbergenſium defeciſſet, Rudolphus imperator Fridericum Zollerenſem comitem Burggrauium Norimbergenſem deſignauit.

Ludouicus imperatoris Ludouici pij filius Germaniæ rex factus eſt an. C. 843. Hic Germaniam omnem tenuit inter Rhenum, & Balthicum mare, atq; adeò Duringiæ, Haſsiæ, Saxoniæ, Slauorum, Miſniæ, & Harcyniæ dominus fuit. Ab hoc quidam Cunradus comes, dynaſta Donenſis conſtitutus eſt, qui primus pontem in Albi, vbi Dreſdam allabitur, faciendum curauit, & vectigal à tranſeuntibus exegit. Ab eo igitur tempore vectigalis ille pons fuit Donenſi-

Donenſes Barones & Burggrauij.

nensibus dynastis, vsq; ad Augustum electorem Sax. qui vectigal illud, soluto precio, in suam potestatem redegit. In historia Misnensium episcoporum legitur, Othonem Henrici Burggrauij Donensis filium nonnulla donasse Henrico episcopo Misnensi, qui anno C. 1230. episcopalem dignitatem assecutus est. Imperante Friderico II. Otho dynasta Donensis templum, quod Donæ est, beatæ virgini inscriptum extruxit. Ionas verò dynasta & Burgrauius Donensis circa annum C. 1313. feudalia iura cuidam nobili de Gosa contulit. Sed anno C. 1402. arx destructa est, à marchione Misniæ, propter colaphum ipsi à dynasta Donensi inflictum, cum marchio inter saltandum coniugem Donensis dynastæ eximia pulcritudine præditam osculatus esset. Hanc enim ignominiam vlturus marchio arcem Donensem circumsedisse, & euertisse dicitur. In obsidione verò vxor dynastæ à marchione fertur petijsse, vt sibi potestatem faceret, efferendi ex arce quicquid humeris suis portare posset. Annuit marchio, & the-

sauros

ſauros ſuos eam exportaturam eſſe putauit. At ea, ſpretis alijs omnibus, liberos humeris ſuis, & pediſſequarum impoſitos extulit. Quod ſpectaculum admiratione & plauſu dignum fuit. Inde reliquos eſſe generoſos dominos de Dona paßim in Boiemia, Sileſia, & Borußia nonnulli ſcribunt. Alij verò ad familiam nobilem Corbiciorum cauſam deſtructæ arcis referunt. Valuit enim hæc familia opibus & autoritate. Donenſium verò Burggrauiorum tanta erat potentia, vt quatuordecim nobiles feuda ab eis accipere cogerentur. Hinc ergo facilè odium mutuum inter Donenſes, & Corbitios exarſit, quod aliquandiu tacitis diſcordijs contentum tandem in grauem offenſionem erupit. Accedebat odium acerbum, quod tam Boiemiæ rex Ioannes, qui anno C. 1311. deſignatus eſt, quàm Miſniæ marchio in Donenſem Baronem habebant. Nec parum augebatur illud odium incurſu & frequentia latronum, quibus Donenſis in vtraq; Albis ripa receptaculum prædæ præbuit. Hanc facultatem lædendi, quæcunq; tunc dabatur,

arri-

arripuerunt Corbitij, & armis Donensem oppugnarunt, eumq́ superatum fortunis omnibus expulerunt. Fit mentio cuiusdam dynastæ à Dona in historia horrendi dissidij duorum fratrum, Friderici VIIuiri, & Vuilhelmi ducis Saxoniæ, in quo dux Vuilhelmus Diterico Coloniensi archiepiscopo subsidio misit sexaginta signa ex Boiemis, Saxonibus, & Duringis collecta, currus verò mille nongentos, & quadraginta in Vuestualiam an. C. 1447. Ac Boiemorum quidē dux fuit dominus à Dona & Sternberg: Saxonum verò Magnus Hildesheimensis episcopus. Meminimus etiam anno C. 1587. Fabianum à Dona ductorem exercitus Germanici esse, in expeditione ea, quam Ioannes Casimirus Palatinus Nauarræi causa in Galliam suscipiebat, in qua quinquies mille Germani equites, & vicies mille pedites erant.

FINIS.

Ora-

VVERTERI IN DVRINGIA ROMANOGERmanici imperij cubicularij.

VVErteri à specula, quæ Germanis est Vvart, nomen adepti videntur: Rudera enim quæ reliqua sunt, ostendunt complures speculas in locis Herciniæ syluæ, Chattis, & Meliboco monti finitimis extitisse. Ex quo Vverteri quasi in specula collocati vel præfecti talium specularum sunt cognominati. Nomen.

Familia hæc iam satis omnibus vetustate probata, & imperio toti cognita est. Duci enim genealogia eius ab annis fermè sexcentis potest, quibus serie continua viros non tam insignibus equestribus, quàm magnitudinis animi, iustitiæ, constantiæ, & cæterarum virtutum ornamentis conspicuos progenuit. Vetustas gentis.

Circa annum C. 969. Iodocus de Vverter, affuit in frequentissima celebritate ludorum equestrium, qui torneamenta vocantur, cum Ridacus Misnensis Mar- Iodocus I.

chio, & comes Martiſpurgicus tertium eos Martiſpurgi ad Salam inſtituiſſet.

Iodocus II. *Non multò pòſt anno ſcilicet Chriſti 1024. alius Ioannes eiuſdem generis ludis à Cunrado II. Imperatore Treuiri ad Moſellam celebratis interfuit.*

Iodocus III. *Anno Chriſti 1119. alius Iodocus de Vverter Gôtingæ equeſtria ornamenta Francis nobilibus diuiſit, in ludis à Ludolpho Saxonum duce indictis.*

Cubicularij dignitas. *Circa annum C. 1247. Antonius de Vverter eques & miles inſignis, primus dignitatem cubicularij in gentem Vverterorum intulit. Huius elogium extat in cœnobio Vvalkenridenſi his verbis. Antonius de Vverter miles & miniſter cæſaris. Sunt in cœnobio Vvalkenridenſi, in quo ampliſsimum ſacellum habuerunt Vverteri, reliqua nomina Theodorici de Vverter, & Bartholdi I. equitum. Reperitur quoq; nomen Bartholdi II. notatum in mortuorum libro, qui illic aſſeruatur.*

Anno C. 1346. Henricus de Vverter eques

eques cum Hermanno Stolbergensi comite arcem Eckersbergum in Hercinijs, contra comitem Sundershusij eiusq; socios Erfurdenses atq; Northusinos defendit. Hac igitur expugnata cum Hermanno socio pari pœna capitis affectus est.

Anno C. 1367. Sifridus de Vverter, eques comitatus Honstenij præfecturam gessit. Inde monumentum ei factum est in sacello Vvalkenridensi: Sifridus miles vetus dominorum in Honstein requiescat. Sifridus.

Fridericus de Vverter eques Vvalkenridensis Ecclesiæ reditus auxit, ibiq; cum vxore Adelheida sepultus est. Fridericus.

Anno C. 1420. Ioannes I. de Vverter à Sigismundo Imperatore confirmationem cubicularij dignitatis iam antè huic genti tributam impetrauit Pragæ Boëmorum. Priuilegia porrò huic dignitati adhærentia sunt immunitas octo virorum, trium agri iugerum, nouem pratorum campi, decem hortorum in pago Suerstetensi. Ex hoc nati sunt Ioannes, Georgius, Albertus, Theodoricus. Ex Ioannes.

Theodoricus cancell. *Georgio natus Theodoricus comitatus Stolbergensis cancellarius fuit. Albertus sacris initiatus virginibus Tondorfij, Ilmenoæ, & Ecclesiæ Sundershusianæ præfuit. Theodoricus verò secundus cum Guilhelmo Saxonum duce Hierosolymam profectus equestrem splendorem consecutus est. Emit de Suartzburgicis comitibus oppidum Vihæ, natura munitum, & vbertate agrorum excellens in valle Grimmentali situm ad Vnstrum fluuium. A cuius emtione cum deterrere eum nonnulli vellent, quod eiusmodi esset loci illius genius, vt minueret non augeret domini sui opes: respondit hic Theodoricus: viro diligenti & sedulo etiam genium solere esse propitium. Cum Georgio ab Hopsgarten emit de Vvitzlebijs tertiam partem omnium prouentuum munitissimæ arcis Steinij in Duringia. Vxorem habuit Elisabetham de Heime, filiamq́ matri cognominem quæ nupta est Friderico de Vvitzleben, & filium Ioannem. Ioannes III. Theodorici filius*

Viha.

Steinium arx.

Ioan. III.

Hiero-

Hierosolymis equestri titulo ornatus est. Ad rei familiaris administrationem maturè, ducta vxore, animum appulit, eamq; sic amplificauit, vt arcem in Viha splendidiorem effecerit, arcem Aluerstetensem de Brunone Quernfurdensi domino emerit, Helmæpontem de Christophoro de Vuitzleben, Frondorfium de comitibus Stolbergi, Beichlingum de Adamo comite & supremo equitum magistro, Vvernigerodam ad Herciniam syluam de comite Honstenensi, Leubingam ad Vnstrum de comite Beichlingensi. Alberti principis consiliarius fuit, eoq; in Frisiis bellum gerente, cum Cæsare Pflugio Ostrolandiam administrauit. Præfecturam item gessit Friburgi ad Salam. Locupletatus est sine detrimento proximi, volens neminem læsit. Pecuniam in fœnore nunquam posuit, suos exactionibus haud onerauit; adire aut alloqui volentibus, facilem se se præbuit. Tanta fuit de eo iustitiæ & innocentiæ opinio, vt cum accusatus esset ab inuidis, quibus vir-

tus & felicitas alterius semper inuisa est, quod præfecturam cupidè & iniustè gessisset; princeps Georgius non auditis testibus, quos ille produxerat, eum absoluerit. Dixit aliquando Saxoniæ Dux Georgius, se habere aliquid præcipuum. Quod cum cuiusmodi esset exponere vellet, senem hunc Vverterum cum tribus filijs canicie venerandis, & ad patris nutum voluntatemq́ sese accommodantibus, ostendit.

Apophthegmata. *Apophthegmata eius sunt: Diuitias cupio, sed per iniuriam parare nolo. Qui contentus præsenti fortuna est, raro ad altiorem ascendit. Cum minimè diuturnam fore inter aliquos consuetudinem indicare vellet, dixit, ita futuros concordes, vt duos in vnis ædibus dominos. Mortuus anno 1533. ætatis penè 90. sepultus Vihæ.*

Georgius II. *Georgius secundus Matthiæ Coruini regis Pannoniæ miles, Maximiliani I. imperatoris aulicus, comitis Suartzburgici consiliarius, & Mareschallus Sunders-*

dershusij, præfectus Reblingi fuit, cælebs mansit, & mathematicis sese oblectauit.

Theodoricus III. Ioannis filius, Erfurdiæ primum, post Bononiæ literas coluit, & Iureconsultos audiuit, à quibus etiam titulum I.V. D. consecutus est. Præfuit germanicæ nationi, Bononiæ, eiusq́ mores dissolutos correxit. Cum nouem annos ibi contriuisset, domum reuocatus Friderici Sax. ducis & Teutonicæ militiæ magistri in Borussia, post eum etiam Georgij Saxonum ducis consiliarius fuit. Legatus est missus ad omnes pene germaniæ principes, bis ad Maximilianum I. Imperatorem, & semel ad Sigismundum Polonorum regem. Interfuit comitijs imperialibus, Norinbergæ, & Augustæ habitis: Fuit grauis, moderatus tamen & diligens in omni officio. Multa legit, nec librum habuit vllum, in quo non sua manu multa notarit. Pius inprimis & ardens diuini numinis cultor. In ore & animo habuit hæc dicta: Post Deum veritas

Theodoricus III.

Doctor.

Dicta memorabilia.

ritas colenda, quæ ſola hominem Deo proximum facit. Facilè contemnit omnia, qui ſe ſemper cogitat eſſe moriturum. Iudicaturus odium & amorem depone. Viatica liberis oportet parare, in quæ fortuna non habet imperium. Obijt Beichlingi ſexagenario maior, anno Chriſti 1536. Coledæ.

Ioan IV. *Ioannes IIII. comitum Suartzburgi præfectus & Mansfeldenſium Marſchallus Heldrungi fuit, Gruningi item & totius diœceſios Halberſtatenſis præſes. Sepultus Vihæ anno 1534.*

Vvolfgangus. *Vvolfgangus I. Theodorici doctoris filius, natus anno 1519. vixit in literis ab ineunte ætate, primum Lipſiæ. Inde Vvitebergam cogitauit, vt audiret Philippum Melanchthonem, ſed non licuit ei per Georgium Sax. ducem. Poſt Patauiam profectus Lazaro Bonamico operam dedit, Inſubriam perluſtrauit, Romam, Neapolim, Capuam, Caiætam, puteolos vidit, & Academias adijt. Bononienſem, Piſanam, & cæteras prope omnes.*

omnes. Comites & socios itinerum suorum habuit, Georgium Fabricium & Vvolfgangum Meurerum. Reuersus domū, cum constituere rem familiarem studeret, incidit in controuersiam cum Mauritio principe Sax. cuius componendæ causa Christophori Carlouicij intercessione & opera vsus est. Interfuit cruento prælio in Saxonia ad Sinershusen anno 1553. Et paulò pòst in offensionem Augusti Electoris Sax. incidit, quæ annis compluribus durauit. Beichlingam in multis partibus erexit. Sublata tandem cum Augusto Electore controuersia, diuisit cum fratribus paterna bona, & ipsi Beichlingam: Philippo arx Vverteriana, Antonio verò Helmæpons sorte obtigit. Mansit in cœlibatu, & cum equitandi studio coniunxit literarum cultum diligentem. Excelluit dicendi & scribendi facultate & copia tanta, vt orator Germaniæ iure omni haberi posset. Mortuus anno 1583. ætatis verò 64. sepultus Coledæ. Philippus I. Theodorici doctoris filius natus Vihæ

Orator Germaniæ.

Philippus.

anno 1525. consumsit primos annos ætatis in literis, primum Lipsiæ, deinde Vuitebergæ, tum Argentorati, quo sese contulit cum Georgio Fabricio, quo etiam duce & moderatore itineris in Italiam vsus est, & Romam aliaq́; spectauit. Domum reuersus anno Christi 1566. Annam virginem Christophori ab Hagen filiam duxit, qua absq; sobole extincta, cælibem vitam egit. Assessor dicasterij prouincialis, quod Lipsiæ est, præside Volcmaro Erico à Berlepsch, viro integerrimo & consultissimo multis annis fuit, legationes obijt, & transactionibus magni momenti interfuit. Augusto Elect. Gotham oppugnanti operam nauauit. Religionem Augustanæ confessionis constantia & grauitate summa tuebatur, multa legebat, bibliothecam habebat instructissimam, & temperantiam præcipuo studio colebat. Extinctus est Apoplexia Beichlingi anno climacterico, Christi verò 1588.

Antonius. *Antonius II. Theodorici doctoris filius*

filius Vibæ natus anno C. 1527. perpolitus fuit literis, in quibus tantas progreßiones fecit, vt non tam æquare quàm superare fratrem velle videretur. Argentoratum primum, tum in Italiam cum fratre abijt, vnde reuersus Helmæponte cælibem vitam egit, omneq́ studium in linguarum & philosophiæ cultu posuit, disputauit acutè, iudicauit solerter. Mortuus anno 1577. ætatis verò 51.

Christophorus Ioannis filius anno 1512. natus, re equestri delectatus, domi rem familiarem tractauit, ducta in vxorem Anna Paridis de Brandestein filia. Fuit Mauritij Saxonis consiliarius, & Sangershusij præfectus, postea Martispurgensem præfecturam administrauit. cum D. Ioanne Stramburgo Spiram missus est legatus, & anno 1566. Frondorfij è vita emigrauit. Christophorus.

Henricus II. natus anno 1514. sine sobole cum vxore sua mortuus est anno 1566. Henricus II.

Georgius III. Ioannis filius natus Georgius III.

anno

anno C. 1515. in aula Mansfeldensi adolescentiæ annos transegit: tum in Vngarica expeditione, anno 1542. suscepta, ductum Marchionis Brandeburgici secutus est. Consiliarius Augusti Sax. & dicasterij summi Lipsensis assessor extitit. In matrimonio habuit primum Catharinam Vvolfgangi de Brandstein in Teschem filiam, postea Elisabetham Christophori ab Elleben filiam, mortuus anno 1576.

Ioan. Georgius. *Ioannes Georgius Georgij filius altero anno ætatis è vita exijt.*

Ioannes V. *Ioannes V. Georgij filius successor in omnibus feudi bonis. Primum ætatem egit in literis Lipsiæ & Ienæ: Deinde in Galliam profectus militiæ labores expertus est. Tum ad vsus priuatos & publicos in patria curam & cogitationem contulit. Tantumq́ facultatis & autoritatis consecutus est, vt in communibus & ciuilibus officijs eius vigeat & valeat industria. Mortuo in Duringia Volcmaro Erico, viro omni laude cumulato, successit*

in lo-

in locum eius hic Ioannes à Vverter, & prouinciæ Duringicæ capitaneus siue præses factus est. Quo munere, cum sese propter curam suarum rerum abdicasset, ad alia vocatus est non minùs laboriosa, sed Reipub. tamen necessaria officia, vt & prouinciæ consilijs prouideat, & contributionum publicarum præfectus sit. Vxorem primum duxit filiam Ioannis de Ponikau, cuius acumen in iudicando, consilium in prouidendo, dexteritas in agendo, & felicitas in conficiendo notissima est. Hac amissa alteram sibi elegit Mariam Tilonis de Trotta filiam, qui & principibus Saxoniæ à consilijs fuit, & præfecturam in Vveida gessit. Reliqui sunt ex priori coniugio suscepti filij, Tobias, Georgius, Ioannes, Philippus.

COMITES LEININGII SEMPER LIBERI, & Vvesterburgij.

C*Hronicon M. Alberti Argentinensis in historia Rudolphi Habspurgij regis Roma-*

Romani ponit Fridericum Comitem de Leiningen. Ex quo liquet eo ipso tempore, & quidem multò antè comites huius stemmatis extitisse. Commemorantur autem comites huius familiæ hoc ordine. Schafhardus comes de Leiningen, cui ex vxore Margarita Rudolphi Magni marchionis Badensis filia nati sunt Ioannes cognomento nobilis, & Emico. Ex Emicone natus est Cuno comes Leiningius. Ex Cunone & vxore eius Metta Ruperti comitis Virneburgij filia. Reinhardus comes de Leiningen & dominus de Vvesterburg. Ex Reinhardo natus est Cuno comes de Leiningen & Vvesterburg. Ex Cunone Reinhardus comes de Leiningen, semper liber, Vvesterburgius & Schaumpurgius. Ex Reinhardo, & vxore eius Otilia Arnoldi comitis Manderschetij & Blancohamij filia natus est Emico, & Ioannes Ludouicus, qui canonicus ecclesiæ Argentinensis factus est. Ex Emicone & vxore eius Maria Vvolfgangi principis Palatini ad Rhenum filia natus est, Philippus Casimirus an. C. 1588.

Digna

Digna est memoria & laude sempiterna Fronsbergiorum familia propter Georgium Fronsbergium, cuius industria in imperio Romano bellis compluribus eluxit. Est autem natus Georgius patre Vlrico Barone de Fronsberg, à quo tanquam ab autore fœdus Sueuicum est firmatum. Dominus fuit in Mindelheim, Petersberg, & Sterzingen. Robore corporis tanto eminuit, vt arreptum equum quantumuis currentem enixè potuerit reprimere. Miræ fortitudinis exempla edidit. Quindecies iusto prælio cum hoste concertauit, extra ordinem quoque vicies & amplius. Duxit exercitus imperatore Maximiliano I. & Carolo V. in Germania, Italia & Gallia, vbi ad Papiam Franciscum regem prælio victum cepit. Meritò igitur celebratur eius heroica fortitudo. Mortuus est an. C. 1528. relicto filio Georgio, qui & ipse Philippo Hispaniarum regi militauit in Belgio & Gallia, & copias duxit. Fronsbergii.

Orationes DE TRIBVS ELECTORIBVS SAXONIÆ.

ILLVSTRISSIMIS PRINCIPIBVS, AC DOMINIS, DOMINO CHRISTIANO, Domino IOANNI GEORGIO, Domino AVGVSTO, Ducibus Saxoniæ, Landgrauijs Duringiæ, Marchionibus Misniæ, & Burggrauijs Magdepurgi, Dominis suis clementissimis.

VIDEO, ILLVSTRISSIMI Principes, Domini clementissimi, maiorum vestrorum imagines summo studio, maximisq; impensis curari. Et est profectò pietas Deo grata, ac parentibus debita, tota mente in eam curam incumbere, vt benè meritorum principum ne posteritas quidem omnium seculorum immemor esse possit. Certum est enim in tenebris iacere omnia, quæ literarum & monumentorum lu-

mine non accenduntur. Quamobrem prædicandum est veris laudibus omne studium, quod in maiorum vestrorum monumentis, atq; elogijs collocatur: Patris scilicet Christiani, aut Augusti, & proaui Henrici: quorum sepulcra Friberga in summo templo, è viuo marmore, non aliunde importato, sed in hoc solo nato, ingeniosè, affabrè, splendideq́; extructa, omnes posteros de ipsorum animi magnitudine, virtute, & meritis admonere poterunt. Mauricij verò patrui magni monumentum eodem in templo visitur, ex marmore exotico fabricatum magnificentissimè.

Sed præter monumenta illa præclara, quæ artificis manu finguntur, & sub aspectu ponuntur, orationis etiam facultate, literarumq́; luce opus est: vt non tam oculi quàm mentes ipsæ monumentorum splendore incendantur, & ad gratam recordationem celebrationemq́; inuitentur. Ea enim vis orationis est, vt animos audientium ad præteritorum memoriam reuocet, & consilia factaq́; omnia sic illustret, vt à cunctis cognosci queant.

Profiteor autem, me non minus quàm alios quoscunq; in hac Academia, hanc gratiam pijs maiorum vestrorum manibus debere, vt beneficia illorum maxima in Ecclesiam & Rempub. Christianam, sermone & literis, quantum facultas mea exigua, & professio histori-

ca

tafert, celebrem. Cùm ergo more institutoq́; Academiæ, iussu verò Rectoris, anniuersaria memoria trium Principum Electorum Saxoniæ, Mauritij, Augusti, & Christiani recolenda mihi superiori anno 94. in templo Paulino esset: operam, quantam potui, dedi, vt eximium memorabileq́; aliquod facinus vniuscuiusq; illorum enarrarem, eiusq́; amplitudinem & vtilitatem inculcarem, tum ad hanc tempestatem accommodarem. Itaq; commonefactiones graues seriasq́; identidem aspersi: vt in quos turbines procellasq́; Reipub. Christianæ deuenerimus, intelligi posset. Quæ cùm ad vestras Excelsitates maximè pertineant: apparere etiam orationes illas in nomine vestro volui: vt & morem Academiæ huius in conseruanda memoria parentum vestrorum perspiciatis, & laudem eorum omnem ad vos spectare firmius vobis persuadeatis.

Quod superest, in primis illustrissimos Principes ac Dominos, Dominum FRIDERICVM UVILHELMVM, Saxoniæ Ducem ac Proseptemuirum, ac Dominum IOANNEM GEORGIVM, Brandeburgi Electorem, vestrumq́; Tutorem, tum vos etiam Dominos meos clementissimos, rogo, vt hoc meum factum mitiorem in partem interpretemini. DEVM verò, fontem & datorem omnis bonitatis, sapientiæ, & felicitatis huma-

næ, inuoco & oro, vt adoleſcentiam veſtram ſic foueat ac regat, vt in omni diſciplina liberalia ac pia erudiamini, & ad optimos Patriæ atq; Imperij vſus diuinitùs inſtruamini: Procul verò à ceruicibus noſtris arceat immaniſſimum Turcam, qui vt libertatis omnis inimicus eſt, ita nobiles & principes familias acerrimè odit, & extirpat. Quò ſanè magis extimeſcendum eſt fatum, quod vrget Germaniam, & in tempore omnes honeſtæ rationes expediendæ ſalutis quærendæ ſunt, ne in poteſtatem tanti Tyranni veniamus. Lipſiæ Calend. Februar. Anno reparatæ ſalutis, 1595.

Celſitudinum V.

Subiectiſsimus

Matthæus Dreſſerus.

ORA-

Oratio IN SOLENNI ET ANNIVERSARIA FESTIVITATE MAVRITII SAxoniæ Ducis & Electoris: habita in Academia Lipſ. 11. Iul. an. XCIV.

DE BELLO TVRCICO ad Peſtum in Vngaria, anno 42. geſto, tum de expeditione, quæ hoc tempore contra Turcam ſuſcepta eſt.

RENOVAT NOBIS HAEC dies XI. Iulij memoriam Mauritij Sax. Ducis & Electoris, quæ propter dona & merita ipſius in Rempub. & Eccleſiam Chriſtianam ampliſsima, ſolennis, & iucunda nobis omnibus eſſe debet. Ita enim vixit Mauritius, vt magnitudine animi & rerum geſtarum totum imperium impleuerit. Ita mortuus eſt, vt triſte deſiderium authoritatis ſuæ nobis & poſteris omnibus reliquerit. Simul atq; enim ſuſpicio, aut periculum alicuius belli increpat, Mauritium Sax. requirimus, cuius virtute, induſtria, & authoritate ho-

ſtis à ceruicibus noſtris depelli, & pax, tranquillitas, ociumq́; conſeruari poſsit.

Quis omnium eſt, qui non hoc tempore in grauiſsimo bello aduerſus Turcas Mauritium ducem depoſcat & expetat? Quò igitur ægriùs eo ad tuendam ſalutē propriam & communem caremus: eò firmior nobis eſſe debet illius recordatio.

Atq; hoc ipſo conſilio arbitror inſtitutam eſſe hanc ſolennitatem & memoriā Mauritij anniuerſariam, vt quanta bona per mortem ipſius immaturam amiſerimus, perpendamus, & ardentioribus animis atq; votis ſalutē patriæ Deo commendemus. Tum petere etiam nos hoc ipſo actu decet, vt non ſinat Deus nobis deeſſe copiam aliquam Principum fortium & ſalutarium. Mihi quidem, quoniam à Magnifico domino Rectore partes dicendi in hoc ſolenni conuentu datæ ſunt, curæ fuit magnæ, vt orationem afferrem huiuſmodi, quæ & præſenti neceſsitati inſeruiret, & vtilitatem aliquam præcipuam auditoribus afferret. Verùm in tanta varietate, vt fit, varia in mentem venerunt. Modò enim beneficium conſtitutorū illuſtrium ludorum in hoc Ducatu celebrare animus geſtijt; modò operam, quam in bello Germanico, & obſi-

obſidione Magdepurgica Carolo V. Cæſari Mauritius nauauit, commemorare cupiui: modò tranſactionem Paſſauienſem hoc ipſo auctore efflagitatam & impetratam explicare, in animum induxi.

Verùm tandem, his remotis, ad aliud argumentum præſens bellum Turcicum, quod tanta contentione in Vngaria geritur, me vocauit. Meminimus enim contra eundem hoſtem Turcam, quo cum hoc tempore conflictatur Imperium, iam ante annos quinquaginta duos, etiam Ducem Mauritium depugnâſſe, & documenta fortitudinis præclara dediſſe. Hoc argumentum, quoniam præſenti tempori maximè congruens eſt, præter cætera delegi, vt belli, quod tunc ab Imperio contra Turcam geſtum fuit, cum præſenti bello, quod nunc opibus Imperatoris & imperij totius geritur, collatio fieri poſsit. Semel enim ingreſsi in hanc de bello Turcico cogitationem, cauſſam inſiſtendi iuſtam adepti videbimur, vt huius etiam belli cura magis afficiamur, & de exitu eius vehementius angamur. Vos, magnifice domine Rector, illuſtriſſime princeps Vlrice, Noruegiæ hæres, Sleſuici, & Holſatiæ dux, generoſi Barones, Electorales vicarij, Præfecti aulici,

Professores ordinarij, Doctores atq; Magistri, & adolescentes rectissimis studijs dediti, spero non grauatè me de tanto argumento disserentè audituros esse: efficiam profectò, vt non solùm non molesta propter copiam, sed etiam iucunda propter rerum magnitudinem, oratio mea esse videatur.

Postquam Turcorum tyrannus Solymannus anno 1521. Belgradum, ianuam & clauem Vngariæ occupârat, & regem ipsum Ludouicum anno 26. in acie deuicerat, spiritus magnos sumebat, & magnitudine rerum gestarum quasi ebrius, in omnes illius regni possessiones atq; fortunas immanissimos oculos spe & mente defigebat. Nec deerat consilijs & conatib. eius successus. Sexies enim ab eo tempore in Vngariam regnante Ferdinando, venit, & ad centum sexaginta miliaria in isto regno in ditionem potestatemq; suam redegit. Ter quidem exercitus Christianus conatibus eius occurrit, sed cæsus fugatusq; cladem magnam accepit: Semel quidem ad Exechium anno 37. vbi strages Christiani militis tanta est edita, vt expleti satietate sanguinis Turci, cæde omissa, ad prædam sese totos conuerterint. Iterum ad metropolim regni

gni Budam anno 41. qua frustra oppugnata, ampliùs viginti Christianorum millia occubuerunt. Tertiò ad Pestum anno 42. cùm dux noster Mauritius etiam consors & socius dimicationis atq; periculi fuit.

Certatũ est tot annis, & quidem summis viribus de hoc regno, quod Turca partim ob victum à se, & è medio sublatum regem tanquam bello partum sibi vendicauit, partim à quibusdam Vngaris ad se delatum appetebat. Ferdinand⁹ verò ex fœdere, quod cum Ioanne rege Vngarorũ fecerat, idem sibi deberi existimabat. Ita enim cautum erat, vt mortuo Ioanne, Pannonia potiretur Ferdinandus. Inde ergo infelix hoc regnum, quasi pila quædam fortunæ extitit, quod ab immanissimis Turcis vndiq; afflictũ, direptum, vexatum, laceratum, & inflammatum est, nec hactenus ex ore ac faucibus eius eripi potuit. Tentatum hoc quidem sæpius, & eo ipso etiam anno, quem dixi, 42. quo Ferdinandus rex in comitijs Imperij, quæ Norinbergæ indicta erant, à proceribus & ordinibus Imperij ad bellum Turcis inferendum triginta millia peditũ, & septem millia equitum armatorum ex Germania impetrauit.

Quibus accesserunt Ferdinandi copiæ, ex Austria & Stiria comparatæ. Ex Austria enim nominatim euocati fuerunt quam plurimi: ex Stiria verò, & Carinthia, & finitimis prouincijs decem millia equitum Vngarico exercitui, qui ad numerũ quindecim millium fuit, sese adiunxerunt. Adiecit ad hunc numerum tria millia delectorum peditum Paulus III. Pontifex. Melitenses verò equites pro sua virili parte hanc sacram expeditionem Imperij quoq; adiuuerunt.

Duces in hoc bello complures fuerũt; summum quidem imperium Ioachimus elector Brandepurgicus tenebat, qui iam antè etiam bello Turcico ad Viennã interfuerat. Delecti præterea sunt octo viri ætate prouecti & vsu periti, qui Imperatori consilijs adessent. Vngaricas copias ductabat Petrus Perenus nobilis Vngarus, & exercitatus miles. Pontificis verò loco erat Alexander Vitellius, vir impiger & fortis. Danubianæ classis præfectus erat Philippus Tomiellus. Alæ sexcentorum equitum ad Padum conscriptorum Sfortia Palauicinus præerat. His sese sponte & voluntate sua adiunxit Mauritius Sax. Dux, vigesimum primum ætatis annum agens, ad Christianorum

exer-

exercitum, tanquam in militiæ disciplinam profectus.

His copijs atq; ducibus expeditio hæc suscipiebatur: Sed tardè admodum, & lento gradu procedebat, vt fit plerunq;, cùm res grauior aut maior gerenda est. Querebantur de hac mora multis mòdis duces cordati, & veterani milites. Dolebãt enim eis bonam partem anni, & quidem maximè opportunam rei gerendæ ita dilabi, & hostium vires interea augeri. Erat enim eo ipso tempore dissipatus rumor de Solymanno Budæ præfecto, & Stephano Verbecio peste extinctis. Itaq; non tam Pesti quàm Budæ expugnationem facilem fore pleriq; existimabant. Tandem lentis itineribus Ioachimus Brandepurgicus Strigoniũ peruenit: Secuti sunt reliqui duces ordine, cum tormentis minoribus, falconibus, & colubrinis ad campestres vsus accommodatis. Agmen erat longè speciosissimum, viris & armis præfulgens.

In itinere Vngarico deliberatio difficilis incidit, vtrum Budam rectà contendere expediret, an verò [illegible] priùs oppugnare satiùs esset. A[illegible] cùm diuersa darentur à ducibus consilia, approbatum tandem est Ioannis Tarnouij Po-

loni

loni responsum, quod dedit, cùm de belli euentu rogatus esset: Vix aliquam victoriam, inquiens, de Turcis sperandam esse Christianis; nisi concordes sint, & omnes in vnam aciem cogantur. Placuit tamen tandem Pestum ante omnia oppugnare, quòd & facilior eius videretur expugnatio, & in eius oppugnatione hostium consilia ac vires perspici, & firmioribus animis, minoriq; periculo postea vrbs Buda oppugnari posset. Vicit hæc sententia, quæ maiori parti melior videbatur, & ad obsidendum Pestum recta via proceditur.

Est autem Pestum in plano situm contra Budam, interlabente Danubio, distantq; Buda, Alba regalis, & Strigoniũ paribus ferè interuallis, sic vt trianguli figuram viginti miliaria complectentem efficiant. In obsidione, vt fit, ad manus atq; ad pugnam sæpius cum hoste venitur. In primis Vitellius, caussa explorandi loci ad statuenda tormenta cum cohortibus tribus, & turmis duabus egressus, cum nemo hostium adhuc conspiceretur, subitò à Turcis ex vrbe erumpentibus circumdatur. Fit prælium acre, in quo complures cæsi, nonnulli vulnerati sunt, sed plus tamen incommodi acce-

pe-

perunt Christiani, quàm Turci. Hoc ergo damnum vindicaturus Vitellius, iterum suos educit, sed circumfusus hostium multitudine pedē refert. Elati ergo hoc successu hostes, magna vi atque impetu Christianos lacessunt & vrgent. Quod conspicatus Perenus hostem cum suis valida manu aggreditur, & fugienti reditum in vrbem intercludit.

Perenum cum Germanis & Vngaris consequitur Mauritius Saxo, & in prælio circumfusus ab hostibus, equo deijcitur, ac in terram prosternitur. Iacet humi fortissimus princeps, iacentem verò turba & colluuio barbarorum premit, vrget, & cædem vultu & manu minitatur. Præsto est vnicus administer, ac satelles corporis Bartolomæus Ribischius nobilis Duringus, quem βαρύπνοον, den schnauwer populares nominârunt. Is, vt è faucibus Turcorum eripiat principem suum, in discrimen apertum vitæ sese conijcit, corpore suo domini corpus tegens, & ictus hostiles excipiens, ne ad principem penetrare queant. Dum hoc modo impetum Turcorum sustinet, equites Mauritiani aduolant, Turcos dissipant, & subleuatum Dominum suum furori hostium subtrahunt.

Satel-

Satelles verò Ribiſchius acceptis vulneribus multis in caſtra relatus eſt, nec multò pòſt animam efflauit. Turci autem virtute Chriſtianorum militum territi, & ſpe conatuq; depulſi in fugam ſe conijciunt. Ac propter præcipitem curſum partim ſuorum haſtis confixi, partim in flumen acti ſunt. Compertum eſt, eo die ſupra ducentos Ianizaros, & trecentos alios perijſſe.

Addidit animos Chriſtianis hæc victoria, effecitq;, vt admouere propiùs tormenta, & concutere murum cœperint. Hic quadraginta maioribus tormentis aſsiduè verberatus tandē corruit, & aditū ad inuadendam vrbem Chriſtianis patefecit. Mox ergo Vitellius cum ſuis Italis irrupit. Hūc ſecuti Germani & Vngari, & reliqui contento curſu per ruinas in murum penetrant. Silent Turci, nec priùs arma expediunt, quàm Chriſtiani vexilla defixiſſent, tum demum vim ſagittarum & glandium expromunt, Chriſtianos de conatu depellunt, & eorum ſeptingentos trucidant, plures verò vulnerant. Hac clade non parum conterriti Chriſtiani concilium conuocant, & vtrū perſequi inceptam oppugnationem, an verò deſiſtere, & exercitum reducere ſa-

tius

tiùs ſit, deliberant. Prolatæ ſunt cauſſæ complures, quæ reditum in Auſtriã ſuadere videbantur. Vna erat hyemis appropinquatio, altera morbus epidemius, quo multi extinguebantur. Accedebat metus non paruus à nouis copijs Turcorum, quæ aduenire ex Thracia dicebantur. Tum difficilis etiam & periculoſa erat vrbis expugnatio. Itaq; omiſſo diuturniore bello, exercitum in Auſtriam reducendum eſſe ſtatuerunt. Etſi autem fugam diſsimulantes, tanquam certamẽ inſtauraturi, tormentis iterum mœnia quatiunt: tamen in fuga à barbaris laceſſuntur. Quocirca equites amplius quingenti cum illis congrediuntur, & multi ex vtraq; parte concidunt ac ſauciantur. Sed nocte ſequente tormenta & copiæ omnes abſcedunt. Inſequuntur iterum barbari, & Chriſtianos à tergo carpunt, adeóq; premunt, vt conuerſi eos depellere cogantur. Acris ergo exardeſcit pugna, quæ in multam noctem prorogatur, in qua Chriſtiani fugientes Turcas ad portas vſq; inſequuntur. Inde nonnihil compreſſus furor hoſtium Chriſtianis facultatem diſcedendi dedit. In ægros verò, qui ad diſcedendum minùs expediti erant, immaniter ſæuiunt barbari, eorumq;

rumq; fermè septingentos obtruncant.

Hic finis; hic exitus fuit expeditionis Christianorum aduersus Turcas, recuperandæ Budæ caussa susceptæ, infelix quidem satis & tristis. Irritus enim fuit conatus, & militum iactura tanta est facta, vt penè dimidia pars fuerit desiderata Laborârunt quidem strenuè Vngari, non operæ pepercerunt Germani, non segnes fuerunt Itali, & reliqui, sed defuit successus. Memorabilis verò est in primis Mauritij Sax. virtus, qui documenta Ducis magnanimi & fortis tunc dedit, & Turcis terrori esse cœpit. Quòd si diuinitus adiuta esset huius ducis, & reliquorum Christianorum industria, frangi ac debilitari hostis truculentissimus potuisset.

At vrgebant fata Vngariam, & pœnam etiam minitabatur Deus Germaniæ. Iccirco vinci patiebatur Christianos, vincere verò sinebat Turcas. Curæ quidem erat Ferdinando regi bellum contra Turcas: Sed Carolus Cæsar quasi oblitus imperij cum Gallo priuatis odijs decertabat, & sua regna augere, quàm imperium tueri aut ampliare malebat. Rex verò Gallorum Franciscus I. Polinum legatum ad Solymannum Turcorum

tum Tyrannum misit, & opem aduersus Carolum Imperatorem petijt. Erat in ipso etiam imperio mala inter Pontificios & Euangelicos gratia. Et penè magis optabant pontificij Euangelicorum, quàm Turcorum internecionem. Id quod bellum sequens in Germaniæ visceribus gestum declarauit. Ita scilicet placuit Deo, metu externorum & internorum hostium Christianos exercere, & ad cultum veræ pietatis atque modestiæ inflammare. Præuiderat Martinus Lutherus pater sanctus hunc infelicem expeditionis exitum. Ideoq; epistolam scripsit ad electorem Brandeburgicum, in qua conqueritur, suas preces pro salute Germaniæ conceptas propter tres caussas languidiores fieri: propter furorem Pontificiorum: propter impiam securitatem Euangelicorum: & propter laxatam disciplinam militarem. Quæ tres caussæ, præsertim verò posteriores duæ adhuc Deum vehementer offendunt, & sæuitiam Turcorum in nos cumulant.

Sequente, hoc est, quadragesimo tertio anno, Solymannus Turcorum Tyrannus iterum in Pannoniam copias ingentes duxit, & primùm Valponium vel

Vvalpam oppidum, non procul ab Exechio expugnauit. Inde Soclos oppugnauit, cuius quidem oppidi incolę, cùm vim Turcorum fortiter aliquandiu propulsassent: tandem fracti arbitrio Tyranni sese dediderunt, & porta egresſi, ad vnum omnes interfecti sunt. Hinc progressus Strigonium summa vi adortus est: Sed clade magna ibi accepta, tandem per proditionem cuiusdam Calabri illud cepit. Vrbem verò ingredi priùs noluit, quàm expiatum templum, ceremonijsq; ac ritibus Turcicis initiatum esset. A capto Strigonio, ad Albam regalem contendit cum exercitu, eamque tanto conatu oppugnauit, vt sustinere molem diutius oppidani non possent. Itaque dedita est vrbs, postquam milites, qui in præsidijs erant, vitam, libertatem, & incolumitatem impetrâssent. Nec compertum est, exeuntibus militibus tunc quicquam à Turcis ademtum esse, præter sclopeta parua, quæ de ephippijs suspensa gestabant Germani equites. Talia enim nondum viderant Turci. Mirabantur igitur artificium nouæ machinæ, & nimia cupiditate illius incensi Germanis auferebant.

Defessa iam penè erat vtraq; pars labori-

boribus diuturni belli. Itaq; pax à Ferdinando petita certis conditionibus à Solymanno ad aliquot annos concedebatur. Sæpius enim iter ex Thracia Solymannus fecerat. Ferdinandus verò maiorem & florentiorem partẽ Vngariæ amiserat, & infeliciter, quicquid contra Turcas moliretur, eueniebat. Solymannus autem pactas inducias sæpiùs violauit, donec capto Fileco, castro in Vngaria munitissimo, eas confirmauit. Hoc modo tributarius Turcici Imperatoris factus Ferdinandus, quotannis quadraginta quinq; millia Ioachimicorum, præter honoraria, singulis penè Bassis offerenda, quæ singulatim recensentur, in itinerario Dauidis Vngnadi, quod in manibus est, ad portam Othomannicam per legatos suos deinceps misit, & pacem, quoad in vita remansit, pecunia redemit.

Post eum verò, imperante Maximiliano II. Solymannus supremo vitæ suæ tempore, vltimum suum furorem effundere in Christianos cupiens, exercitum ingentem iterum in Pannoniam duxit, & Sigetum circumsedit. Comparatæ sunt contra eum copiæ magnæ ab imperio, & in Vngariam missæ, imperatore Maximiliano II. anno Christi LXVI. Sed ir-

ritus fuit omnis Christianorum conatus. Expugnatum est à Turcis Sigetum, & capta Iula. Ac nisi fatali calamitate, vel diuinitus potiùs in castris extinctus esset Solymannus, damni plurimum rebus Christianorum dedisset. Ab eo tempore Turci in oriente Persas afflixerunt, & bonam partem regni eis ademerunt, Cyprum Venetis abstulerunt, Africam Hispanis eripuerunt. In Croatia oppidum & arcem Vvihitzsch, quæ annis 150. propugnaculum aduersus Turcos in eo tractu fuit, anno XCII. per Hazam Bassam Bosnensem in potestatem suam redegerunt. Quin Sissekium etiam manu validissima oppugnârunt, sed expugnare tunc nequiuerunt: fortiter scilicet illud defendentibus, Nicolao Miccacio præfecto, & præsidiarijs militibus. Sequente verò anno 93. idem Bassa cum Sangiacbegis suis nouem, Treschinum Episcopi Zagrabiensis castellum vi cepit, & ad oppugnationem Sissekij reuersus multò maiori conatu, quàm antè, illud inuasit.

Induit hæc immanis ferocia Turcorum Christianis militibus iusta arma, Slauoniæ Bano, Auersbergio, Ekenbergero, & Redero Baroni Silesio, vt quam-
uis

uis numero & viribus hosti minimè pares essent: tamen Sissekium in summas angustias adductum subleuare in animum inducerent. Igitur celeri cursu ad hostes contenderunt, eosque ad Colapim fluuium adorti sic compresserunt, vt aut gladio Christianorum cadendum, aut in flumine pereundum sibi prospicerent. Maluerunt ergo in flumine mergi, quàm in Christianorum manus venire. Vidisses insano prorsus impetu Turcos præcipitari, & in aquis magno numero suffocari. In quibus etiam Bassa ipse Hazan erat, & Sinanbegus sororis Turcici Imperatoris filius. Vindicta hæc erat diuina prorsus. Eò enim iam progressa erat Turcorum audacia & furor, vt quatuor millia Christianorum in seruitutem horribilem abduxerint, & in Croatia ampliùs milliaria quadraginta occupârint: tum ponte super Colapim constructo, inuadere in Carniolam, Stiriam, Carinthiam, & Austriam deniq; ipsam cogitauerint.

Nihilominùs susceptum bellum continuaturus, & cladem ignominiamque in Colapi à Christianis acceptam vindicaturus Turca, minis & barbaro terrore vim apertam Rudolpho II. imperatori

denunciat, ducesq; cùm alios, tùm Sinam Bassam Vesirium, & Greciæ Beglerbegũ in Vngariam contra Christianos mittit. Hi Sissekium primùm adorti ceperunt, & sæuitiam horrendam exercuerũt, præsidiarios milites omnes concisos in Colapim fluuium proiecerunt, & circiter quinquies mille hominum abduxerunt. Inde ad Vesprimium castra posuerunt, eoq; in potestatem suam redacto, Palotam circumsederunt, & præsidiarijs incolumitatem, si se dederent, promiserunt. Sed postea deditos, & miliare vnum progressos omnes trucidârunt.

Nihil hic erat moræ, celeri cursu & contentione summa opem à Cæsare Rudolpho proceres regni petunt: ac si deserantur, actum de se & salute omni esse demonstrant. Interim nihilominùs Vngari molem belli sustinent, & arces, Zabatha, Tilekinum, & alias, Duce Stephano de Bathor, Sigismundo Rakozio, Francisco Dobo, & Stephano Homannai capiunt, vexilla in turribus figunt, tantaq; animi magnitudine ac virtute rem agunt, vt à Cassouiensi Capitaneo aurati milites omnes nominati sint.

Accidit autem diuinitus, credo, vt Sinam Bassa de medio furore ad comprimendum

mendum Georgianos & Persas res nouas molientes auocaretur. Itaq; Christiani duces ac milites accepto è Stiria, Carinthia, Austria, Boëmia præsidio, in Turcas magno & infracto animo eunt. In primis verò Tiffenbachius, generosus ac felix bellator, Filecum cum multis alijs castellis, magna vi oppugnatum capit, & ad spem bonam Christianorum animos erigit. Egregium facinus, & prædicatione nostra & posteritatis dignum. Tribuat illi Deus præmia, & præbeat in reliquum etiam tempus successum & victoriam. Inde accedunt Duces Christiani ad obsidendam Albam regalem, & suburbium vnum capiunt, sed potiri vrbe haud queunt. Iccirco oppugnatione omissa, in discessu in agmen militum incidunt, quod Budensis Bassa ad defendendam Albam ducebat. Cum eo igitur confligunt Christiani, & duce Deo, comite virtute, exercitum totum cædunt & profligant. Interim Imperator Rom. sedulò dat operã, missis ad omnes principes Imperij, & externos, legatis, vt communibus imperij impensis exercitus contra Turcas alatur. Quod etiam impetratum est, missis à singulis penè principibus haud contemnendis auxilijs. Et

nunc in conuentu imperiali absq; dubio nerui maiores ac stabiliores contra eundem hostem decernentur.

In Vngaria verò non cessarunt milites Christiani circumsidere & occupare quæcunq; per Deum ac fortunam hactenus licuit. Recuperârunt post Filecum firmissimum castellum Nouigrodum, duce Matthia Austrio. Prælia verò complura fuerunt commissa, quibus Turcicarum copiarum flos, & multitudo magna interijt. Et nunc in expugnando Strigonio & Hatuuano toti sunt occupati Christiani. Ac Strigonij quidem expugnatio iam antè anno 43. perdifficilis fuit, nunc autem absque dubio difficilior multò est, propter munitiones, quæ post illud tempus ex omni parte accesserunt.

Vidimus, ex omnibus partibus Germaniæ equites & pedites magno numero tanquam ad sacrum bellum communibus viribus Christianorum gerendum proficisci. Attingit enim hoc incendium nostros fines, & perleui momento hostis irruere in penetralia & viscera imperij potest. Itaque decet nos non minùs de hoc incendio extinguendo solicitos esse, quàm de conseruanda vita, religione, libertate & fortunis omnibus. Etsi enim

in

in acie collocati non ſumus: tamen precibus & votis pijs non minùs pugnare contra communem illum hoſtem debemus, quàm milites ipſi, qui molem belli ſuſtinent. Ac bene quidem ſeſe dederunt initia huius expeditionis, pro quibus gratias meritò & iure omni Deo agimus. Contrà verò detrimenta non parua à Turcis accepimus. Amiſſum eſt Vvihizium: ereptum Siſſekium, abducta tot hominum millia, tot millia Chriſtianorum cæſi. Tentata eſt à Chriſtianis expugnatio Albæ regalis, ſed irrito conatu. Oppugnatum eſt Strigonium, ſed non expugnatum. Præ ſe ferunt Vngari in vrbibus & oppidis, quæ ſub Turca hactenus fuerunt, beneuolentiam & fidem erga Chriſtianos. Sed ſimul ac auctæ fuerint in Vngaria Turcorum opes, facilè à Chriſtianis ad Turcas deficere cogentur. Optamus ſummis votis, vt multa oppida & arces recuperent Chriſtiani, eaque ex immaniſsimorum barbarorum faucibus eripiant. At recuperata, ſi Deo ita fortè viſum fuerit, quibus opibus ac præſidijs tuebimur? In promtu eſt, inquies, imperij auxilium. At quàm lentum illud & tardum? An non illud nobis ac-

cidit, quod de Romanis trito iam vetustate prouerbio dicitur: Dum Romæ consultatur, Saguntum expugnatur.

Vidimus quàm lentis itineribus hi, qui à nobis profecti sunt, in Vngariam peruenerint, & postquam in terram hostilem penetrarunt, quid effecerint, aut nauauerint, nondum audimus. Res est periculi plenissima. Turci spem in celeritate, nos in tarditate positam habemus. Turci vigilant, nos stertimus. Turci sunt sobrij, nos voluptates & earum instrumenta quærimus. Turci religiosi sunt & sanctè viuunt: nos nomine Dei nostri tam de nobis meriti scelerate abutimur, & per vulnera Sacramentaq; Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi horribili ausu, alius alium execramur. Turci frugales sunt, nos luxu corpus & fortunas minuimus. Turci suis ritibus & vestibus contenti, externas illecebras magno animo contemnunt: nos nouitate vestium, ciborum, & morum delectamur, ac Deum mirabiliter offendimus: Securi sumus, & pleriq;, ne minima quidem ex parte, bellum Turcicum ad nos pertinere arbitramur. Quodq; caput est, Turcus Draconi similis est, cui vnum caput, caudæ plures sunt: Christiani verò, Draconi multorum

capi-

capitum, sed vnius caudæ, similes esse videntur, quemadmodum Solymannus Turcorum Imperator dixit.

Hæc ego præsagia magna esse, iudico, impendentis pœnæ grauissimæ, nec video, qua gente alia Deus vsurus sit, ad coërcendam nostram superbiam & luxuriam, quam Turcica. Extant quidem vaticinia, cùm alia, tum etiam Antonij Torquati Ferrariensis astrologi, quibus Turcici regni interitus prædicitur. Extant etiam vaticinia de conuersione Turcorũ ad fidem Christianam. Sed plus multò apud me valet vaticinium Danielis Prophetæ, qui grassaturum esse Turcam vsq; ad Christi iudicis aduentum significat. Idem sentit D. Lutherus & Melanchthon, qui Hiltenij etiam Isenacensis monachi prædictionem non contemnendam esse putârunt, fore scilicet, vt anno millesimo sexcentesimo Christi, Turca per totam Europam dominetur. Quod sic tamen intelligendum esse existimo, Turcam esse afflicturum Christianos grauiter in bona magnaq; parte Europæ, sed imperio Rom. tamen non esse potiturum.

Quòd si caussas remoueremus pœnarum, crederem etiam pœnas remoueri aut mitigari posse. Sed quia in diem viuimus,

uimus, & peccata peccatis ſine pœnitentia cumulamus, facilè intelligimus omnes, pœnam diu abfuturam non eſſe. Sed ſpero tamen priùs me ex hac turba & colluuione diſceſſurum eſſe, quàm Turcica barbaries Germaniam obruat. Interimus iam, quod exedere oportebit liberos & poſteros noſtros, Confido interim, Deum ſuis Chriſtianis puſillum laxamenti daturum eſſe in Vngaria, ſi Perſico & Georgiano bello implicatus fuerit Turca, vt minùs effundere furorē ſuum omnem in nos poſsit:& ſi exercitus Chriſtianus ei opponatur,in quo aliquid roboris reperitur:ſimul ac verò is copias ſuas & opes omnes ad noſtrum periculum conuertere cœperit, horribilis laniena & ingens vaſtitas fiet.

Hæc ſunt, magnifice Domine Rector, illuſtriſsime princeps, generoſi Barones, Electorales vicarij, Aulici præfecti, profeſſores ordinarij, Doctores, Magiſtri, & ſtudioſi cariſsimi, quæ in hac ſolenni, & anniuerſaria feſtiuitate Mauritij Saxoniæ Ducis & Electoris nos meditari, & cum animis noſtris conſiderare diligenter decet. Nauauit operam bonam in bello Turcico Mauritius Saxo, nauauit ante eum Matthias Vngarorum Rex, qui Baiaze-

iazetem eximia fortitudine ab Vngaria repulit, & in eas angustias adduxit, vt de pace legatos miserit. Nauauit Vladislaus, Ludouicus, Ferdinandus; & post eum Maximilianus II. sed defuit ad conficiendum bellum fortuna, quam diuinitus adiungi necesse est. Nunc quædam ad meliorem spem inclinatio hoc imperatore Rudolpho II. ostenditur, qualis visa & cognita non est, inde vsque ab Ioanne Huniade, qui fortissimè pro patria dimicauit, gloriosis victorijs regnum impleuit, & terrorem magnum Turcis iniecit. Sed anno Christi 1456. mortuus est. Quòd si fatum adfert, vel diuina potiùs voluntas fert, vt potentia Turcorum, qui hactenus floruerunt, & nimis insolenter sese extulerunt, in Vngaria diminuatur, aut infirmetur: fatebimur sanè nos diuino beneficio præter omne meritum nostrum affici, Deumque rogabimus, vt Duces Huniadi & MAVRITIO Saxoni similes nobis largiatur, quorum virtute hostium ferocia comprimatur, & pax optata in orbe Christiano recuperetur. Perleui momento fortunæ inclinationes magnæ in bello fieri solent. Non igitur vllo tempore vota facere de-

te desinamus, vt Deus læta initia belli contra barbaros nouis accesſionibus augeat, & vires hoſtium ita frangat, vt sæuire deinceps in Chriſtianos, quemadmodum ad hunc vſq; diem fecerunt, minus poſsint. Ingens eſt multitudo gentis Turcicæ, vt ſi cum Chriſtianis conferatur, numero eam facilè vincat. Sed non modò non impoſsibile, ſed ne arduum quidem & difficile eſt Deo, iuuare eos, qui minus habent virium & roboris, quales nos ſumus. Fuit etiam omnibus ætatibus exiguus numerus eorum, qui Deum verè inuocârunt & coluerunt in mundo: & propter paucos tamen illos pepercit Deus Chriſtianorum cœtui. Quare ne nunc quidem diffidere debemus, quin paucorum preces reſpecturus & exauditurus ſit Deus, & pœnam iuſtam meritamque vel mitigaturus, vel retardaturus, donec ad liberandum nos ab omni malo venerit Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cui ſit gratia, honos, & gloria infinitis ſeculis.

DE

DE PACE, QVÆ RELIGIONI DATA est, anno 1555.

ORATIO

HABITA IN DIE ANniuersario mortis Augusti, Saxoniæ Ducis & Electoris, anno XCIIII. Lipsiæ.

ANNIVERSARIVS HIC EST dies vndecimus Februarij, quo ante annos octo à capite nostro ablatus est inclytus Saxoniæ Dux Augustus, S. R. I. Archimarschallus & septemuir. Cuius quidem memoria & recordatio cùm nobis grata iucundaque esse debeat: magnifici nostri Rectoris iussu surrexi, non electus vnus, qui maximo ingenio dicere possit, sed excerptus ex omnibus, cui historia Saxonica propter professionem debeat esse notissima. Fateor autem, vtrumq; quidem iustum esse, vt & Augusti, à quo ad munus docendi in hoc ducatu vocatus sum, in nos merita, oratione graui & memori celebrem, & dicto audiens sim Rectoris, cum quo mihi necessitudo singularis est. Sed quæ facultas, aut quod orationis flumen

men poteſt eſſe tantum, vt magnitudinem animi, virtutis, ſapientiæ, & in gerendis rebus felicitatis in hoc Principe poſsit exponere? Equidem cùm res atq; promerita eius ex alto repetere inſtituo, tantum cumulum illorum reperio, vt neq; complecti illa orando, neq; percenſere numerando poſsim. Nec verò libet in hoc ampliſsimo campo ita vagari, vt liberè quaſi fluere videatur oratio, & dum omnia perſequi coner, nulli parti ſatisfaciam. Satius eſſe arbitror multò, ex tanta copia & varietate, in qua poſsit exultare oratio, particulam duntaxat aliquam excerpere, eamq́;, quoad anguſtia temporis capit, explicare. Talem particulam hiſtoriæ Auguſti eſſe iudico pacem, quæ anno quinquageſimo quinto ſupra milleſimum quingenteſimum religioni data eſt. De hac igitur dicere inſtituam, vt quanto labore conſtiterit, quantamq́ue vim & vtilitatem habeat, paulò attentiùs conſideremus. Vt autem ordine procedat oratio, hos fines terminosq́ue mihi conſtituam, vt primùm de cauſſa efficiente, deinde de forma, tum de effectu huius pacis dicam, & quatenus hæc omnia ad AVGVSTVM noſtrum pertineant, demonſtrem. Ita enim animo

mo proſpicere iam antè vnuſquiſq; poteſt, quibus de rebus auditurus ſit. Deum oro, vt benignitate ſua immenſa orationem meam proueħat. A vobis vero; magnifice Domine Rector, viriq; literatiſſimi, peto, vt me benignè audiatis. Studioſos vtiq; ſpero libenter, quæ dicam, percepturos eſſe, eaq; penitus animis & mentibus ſuis mandaturos.

Dulce in primis eſt nomen pacis, res verò ipſa ſalutaris, inquit Cicero. Quare nobis etiam non nomen tantùm huius pacis, quæ religioni data eſt, iucundum eſſe ſemper debet, ſed res ipſa etiam tanquam præcipuus imperij theſaurus, maximæ curæ. Cùm autem pacem confectam eſſe inter Pontificios & Euangelicos audimus, bellum fuiſſe vel anteceſsiſſe intelligimus. At quod bellum? Annis viginti quinq; antè meditatum & præparatum. Id quod indicant voces & comminationes crebræ, quibus non obſcurè effectus, qui ſecutus eſt, ſignificabatur. Tot enim annis dilata eſt executio decretorum, quæ aduerſus Euangelicos, compluribus imperij conuentibus facta erant. Hoc tanto temporis ſpatio, vt dicam quod res eſt, Cæſar Carolus pacis magis quàm belli inteſtini ſtu-

diosus, omnes vias persecutus est, quibus dissidium acre inter Pontificios & Euangelicos componi posset. Itaq; congressus & colloquia multa, de religionis doctrina passim in frequentibus imperij vrbibus instituit, quibus dissidentes partes in consensum concordiamq́; adduci posse sperauit. Sed frustra susceptus est omnis labor, penitusq́; spes compositionis euanuit. Non enim propositum fuit Pontificijs, vt æquitate & moderatione lis dirimeretur, & veritati locus aliquis relinqueretur, sed vt vi & impressione Euangelij lux, quæ in Germania affulserat, deleretur. Impulerunt optimum Cæsarem statim anno vicesimo primo, cùm vix habenas imperij suscepisset, vt decreto publico tam Lutherum, quàm eos omnes, qui quocunq; modo ei vel fauerent, vel commodarent, proscriberet. Quod præiudicium satis graue & durum fuit, præsertim in eos, qui nulla ignominia affecti, nullo iudicio conuicti erant. Quid enim aliud erat, Lutherum & cum eo sentientes proscribere, quàm omnes Euangelicos damnare, & vim oppressionemq́; illis minari? Hunc enim esse proscriptionis effectum nemo ignorat, Hinc cùm in tanto periculo sese versari intel-

intelligerent principes & ciuitates Euangelium profitentes, ſocietates ac fœdera quærebant, quibus muniti vim illatam vi repellere poſſent.

Acceſſerunt non ita multò pòſt alia decreta Pontificiorum impulſu, quibus prægrauabantur Euangelici, donec anno XXIX. in Spirenſi conuentu, proteſtandi cauſſam iuſtam nacti, proteſtationis formulam ediderunt, ex qua proteſtantium nomen eſt natum. Certum eſt eodem anno Pontificem in Bononienſi congreſſu atq; colloquio cum Cæſare, non concilium, ſed bellum ad euertendos Lutheranos efflagitâſſe. Sic enim D. Eccius apertè dixit: Si Cæſar conſilio Pontificis Bononiæ dato, obſecutus eſſet, & gladio in Lutheranos animaduertiſſet, ſalua res eſſet: ſimul ac verò Electorem Sax. audiuit, magis laborare cœpimus. Quid in conuentu Auguſtano magno & toto orbe diuulgato accidit? An non, decreto facto, poſtulauit Cæſar, vt Saxo & reliqui Euangelici eadē dogmata cum Pontifice, & vniuerſo orbe Chriſtiano profiterentur? Nónne faces & authores ſeditionis atq; rebellionis ruſticorum in bona parte Germaniæ in eodem conuentu Lutherani inſimulati ſunt? Nónne

minas addidit Cæſar, ſe, niſi decreto tunc facto parerent Lutherani, eas rationes cum Pontifice reliquiſq; principibus & ordinibus initurum eſſe, vt ſecta Lutherana exterminaretur, & pax Germaniæ conciliaretur, religio vetus conſeruaretur, & integri eſſent Eccleſiaſtici ritus? Hîc quamuis interceſſerint Euangelici, & pacem omnibus precibus flagitârint; tamen incerti dubijq; dimiſsi ſunt. Iccirco fœdus Smalcaldicum fecerunt, non quidem rebellionis, ſed ſuæ defenſionis cauſſa, ſi fortè vis inferretur.

Vix tandem, anno XXXII. impetrari potuit, vt pacem Cæſar Germaniæ daret Norinbergæ, quod tamen impetratum non fuiſſet, niſi ſumma vrſiſſet neceſsitas, ſcilicet præſidia parandi ex Germania ad repellendum Turcam. Pulcerrima hæc erat pacis formula, vt ne religionis cauſſa actio vlla intentaretur in proteſtantes, nec moleſtia aliqua cuiquam religionis cauſſa crearetur, tantiſper donec per Imperij Ordines aliud ſtatueretur. Etſi autem ſpecioſa hæc pacis formula fuit: tamen fiducia pacis nulla fuit. Non enim quieſcendum ſibi eſſe exiſtimabant Pontificij, priuſquam id, quod animo concupiebant, perfeciſſent, & in ſanguine Lutherа-

theranorum totum cubitum tinxissent; quemadmodũ in concione quadam Monachus dixit. Cæsar verò, nescio, quam ob rem Ioanni Sax. Duci & Electori feuda siue prouinciarum insignia prorsus denegauit.

Itaq; anno XXXVIII. fœdus sanctum inter se fecerunt Euangelici, quo cautum est, vt si religionis pontificiæ caussa, quã catholicam appellant, vlla fieret cuiquã molestia, in promtu auxilium esset. Anno XL. palàm tanquam probrum obiecta est Euangelicis inconstantia in religione, quasi ab ea ipsa confessione, quam Augustæ exhibuerunt, discessissent, nec certi quicquam, quod sequerentur, haberent, adeoq; Turcis ipsis deteriores viderentur. Hæc enim & alia multa huiusmodi in Oratione Farnesij legati pontificis continebantur. Etsi autem pacem voce & literis semper petebant protestantes, & obedientiam Cæsari promittebant, modò Euangelij professionem haberent liberam: tamen rumores belli identidem increbrescebant, donec tandem anno 46. Cæsar bellum apertè minaretur his, qui decretis de religione obtemperare non vellent. Erant iam factæ induciæ cum Gallo & Turca, vt maiori-

bus viribus bellum aduersus Lutheranos geri posset. Itaq; scripto publico Saxonē & Landgrauium proscribit Cæsar, tanquam perfidos, rebelles, seditiosos, læsæ maiestatis reos, & communis ocij perturbatores, edicitq́;, ne quis sese cum illis coniungat, aut opem ferat, fidemq́; & iusiurandum remittit omnibus, qui eis deuincti sint, Non obtemperantibus verò eandem pœnam cum ipsis proscriptis minatur.

Protestantes, cognita tanta seueritate, bellum & ipsi denunciant Cæsari. Hinc bellum intestinum & funestum oritur, & ab vtraq; parte auxilia accersuntur. Cæsar quidem à pontifice accipit peditum millia decem, equites quingentos. Eratq́ue ductor copiarum pontificis Farnesius, qui ex Italia discedens hanc immanem vocem edidisse dicitur: tantam se daturum esse stragem per Germaniā, vt in Lutheranorum cruore vel equus ipsius natare posset. Audita erat iā ante Franciscani cuiusdam Monachi Itali concio, quam Vvormaciæ ad Cæsarem habuerat: Tempus, ait, est potentisśime Cæsar, vt curæ tuæ tandem aliquando euigilent, cessatum est nimis diu, facto nunc peropus est. Ornauit te Deus donis præclarif-

clarissimis, & Ecclesiæ suæ defensorem constituit. Iccirco exere vires tuas, & tolle è medio hoc pestiferum genus hominum, quod diutiùs intueri solem, fas non est. Confundit enim & polluit omnia. Etsi moram interponis, periclitari quotidie multa hominum millia de sua salute necesse est. Ita ergo exarsit bellum, non quidem Religionis nomine, sed rebellionis specie, quasi in ordinem redigi necesse esset principes rebelles, & restitui leges, disciplinam aliaq; commoda & ornamenta imperij.

Alliciuntur hoc specioso titulo ad societatem belli, quod gerebat Cæsar contra Saxonem & Landgrauium, etiā Euangelici quidam principes, nihil mali suspicantes, quod confecto tamen bello, non paruo incommodo suo aliter se habere cognouerunt. Victor enim Cæsar Augustæ formulam ex præscripto pontificiorum obtrudebat Euangelicis, quā qui amplecti aut probare recusabant, hi periculum sibi impendere magnum comperiebant. Spes vtrinque erat magna. Qui pontificis & Cæsaris partes sequebantur, sperabant, se deleturos esse Euangelium in Germania. Euangelici verò à se defendi oportere reli-

gionem opinabantur. Fruſtrata eſt vtraque pars. Neque enim Cæſariani victores, id, quod cupiebant, Euangelij lucem extinguebant, neque Euangelici victi cladem aliquam Euangelicæ profeſsionis ſentiebant. Deus enim hoc ſibi reſeruârat, vt Eccleſiæ ſuæ & verbi cuſtos ac tutor eſſet. Itaque irritus erat conatus vtriuſque partis, tam eius, quæ Euangelium delere volebat, quàm alterius, quæ idipſum à ſe defendi oportere putabat. Sed magis tamen laudandus eſt conatus proteſtantium, qui ob Euangelij profeſsionem ſe ſuaq; omnia obijcere in diſcrimen non dubitârunt.

Tametſi autem Cæſar poſt bellum, pontificiæ religionis formulam, quæ Interim appellabatur, acriter vrgebat, & ad ſubſcribendum concilio Tridentino compellere omnes conabatur: tamen manſit Religionis Euangelicæ libertas in imperio, & paulò pòſt multò maior euaſit. Cùm enim fraudem pontificiorum indies magis intelligeret Mauritius Sax. Elector, & Auguſtus frater: non quieſcendum ſibi eſſe arbitrabantur, priuſquam in tuto religionis Lutheranæ profeſsionem collocâſſent. Inde expeditionem Mauritius in ipſum Cæſarem

rem ſuſcepit, vt & Landgrauium è vinculis liberaret, & religionis pacem extorqueret. Impetrauit tandem anno 52. Paſſauij, vbi tranſactio, quæ Paſſauienſis dicitur, obtenta eſt, in qua pax profitentibus Auguſtanam confeſsionem perpetua conceſſa eſt. Hæc eſt tranſactio illa nobilis quæ pragmatica ſanctio dicitur, & literis monumentisq; meritò celebratur. Hæc concilium Tridentinum diſsipauit: hæc pacē in religione ſanxit: hæc captiuis principib. libertatem reddidit: hæc libro Interim finem attulit.

Hæc aurea pax precibus & armis Mauritij extorta, anno 55. in Conuentu Auguſtano, poſtulantibus, inſtantibus, vrgentibus Auguſtanæ confeſsionis principibus, in primis verò Auguſto Electore, renouata, declarata, aucta, & confirmata ſtabilitaq; eſt. Credo, quæ cauſſa huius pacis fuerit, ex hac commemoratione & ea breui ſatis percipi poſſe: bellum minabantur Pontificij annis viginti quinq;. Id cogitatum, paratum, ſed compreſſum tam diu, tandem anno 46. in actum erumpebat, nec poſt illud libertas in religione vlla obtineri poterat, donec Mauritius & Auguſtus, ille armis, hic verò conſilio & induſtria pacem obtinuit.

Nunc ipsam pacis formulam cognoscite, quæ confecta est Augustæ Vindelicorum in comitijs, supremo ferè tempore Caroli Imperatoris, absente quidem Augusto Electore Sax. cæterisque Saxoniæ principibus, propter reliqua ex superiori bello pericula, sed per legatos tamen vrgente promissam in transactione Passauiensi pacem. Promulgata verò est 25. Septembris, comprobantibus & ratam habentibus eam Cæsare, Rege Ferdinando, Electoribus, Principibus, Ordinibusq; cæteris. Formula ipsa in quatuor partes, vt mihi quidem videtur, distributa est, quarum vna doctrinam, altera ritus, tertia iurisdictionem, quarta verò bona Ecclesiæ complectitur. Doctrina quidem duplex; vtraque tamen Christiana in hac formula comprehensa est: vna pontificia, quam veterem, quam catholicam appellant, altera Euangelica, quam Lutheranā nominant, cuius capita in Augustana confessione continentur, ea scilicet confessione, quæ anno trigesimo à principibus & ciuitatibus quibusdam est exhibita Cæsari, & recitata in conuentu celebri. Alia enim præter hanc confessionem nulla hoc nomine appellari potest: cùm post trigesimum annum

nulla

nulla confeſsio Auguſtæ à principibus exhibita Cæſari, multò minùs in conuentu pronunciata ſit. Ab hac igitur quicquid diſcrepat aut diſſentit, id à pace religioni data excluditur.

Cumq; diſsidium & bellum omne ex mutatione religionis pontificiæ in Lutheranam, in Germaniæ quibuſdam Ducatibus, comitatibus, & ciuitatibus ortum eſſet: nullis etiam alijs religionibus dari pax potuit, quàm his duabus: ea quidem lege & conditione, vt pontificij, qui ante inſectati Religionem Euangelicam erant, inſectari deſiſterent, & contrà, Euangelici, qui religionem pontificiam abrogârent, deinceps à tali abrogatione abſtinerent, caueretque vtraque pars, ne in ſuis ducatibus, territorijs, aut dominijs quenquam ad ſuæ religionis profeſsionem cogat, aut à Religione, quam profitetur, contra ipſius conſcientiam auocet, aut depellat. Tum prouideat etiam, ne vim aut moleſtiam altera alteri propter Religionem inferat aut creet. Ritus item ſuos ac ceremonias Eccleſiaſticas vtraq; pars retineat.

De iuriſdictione verò Eccleſiaſtica id conſtitutum eſt, vt eam Epiſcopi deinceps in Auguſtanæ confeſsionis religionem,

nem, ordinationes, ceremoniaſque non exerceat. Ac ſi qua controuerſia in religione oriatur, nõ aliter quàm piè, amicè, & pacificè dirimatur: vel ſi id fieri minùs poſsit, ad generale vel Nationale concilium, vel ad conuentum imperij reijciatur. Conceſſum etiam eſt cuiq; vel à pontificia religione ad Euangelicam, vel contra ab Euangelica ad pontificiam tranſire: ea tamen conditione, vt ſi ſubditus eſt, qui id facit, bona ſua vendat, & aliò migret. Sin Eccleſiaſtica perſona à pontificia religione diſcedit, dignitates & beneficia ſua, ſaluo tamen honore & exiſtimatione, relinquat. Hæc diſpoſitio dura quidem viſa eſt Euangelicis principibus atq; ordinibus, diuque laboratum, vt mitigaretur: ſed ad extremum Ferdinandus ipſe hanc particulam huic paci ſacræ inſeruit, vt Eccleſiaſticus, qui religionem mutat, beneficio ſuo multetur ac priuetur. Etſi autem Auguſtanæ confeſsionis ſocij palàm voce & ſcriptis proteſtati ſunt: tamen obtineri amplius nihil potuit.

De bonis porrò & reditibus Eccleſiaſticis eadem formula ſic diſponit, vt quæ ante tranſactionem Paſſauienſem occupata ſunt, & ad pios vſus tranſlata, de ijs nec

nec in iudicio, nec extra iudicium quisquam conueniatur, sed pari ratione in sua religione vtraq; pars conquiescat, nec altera alterã turbet aut grauet. Hæc ferè summa est aureæ pacis, quæ inter Pontificios & Euangelicos ita conciliata est, vt ad omne tempus inuiolatè seruetur.

Nunc qui effectus eius sint, quàm breuissimè potero, exponam. Sunt autem effectus siue commoda huius pacis duo potissimum, quantum ego existimare possum, vnus quidem Ecclesiasticus est, alter verò politicus: Ecclesiasticus effectus latè patet. Sepit enim & munit Ecclesiam reformatam, quæ Augustanam confessionem profitetur, necessario præsidio, & ad omnes impetus aduersariorum quasi murus quidam opponi potest. Antea licitum sibi esse putabant Pontificij incurrere in nos cœco impetu: nunc verò ne cogitare quidem, nedum tentare absq; nefario crimine perfidiæ, seu pacis violatæ id possunt, sed ex edicto atque decreto imperij professionem Euangelij ferre ac tolerare, velint nolint, coguntur.

Quòd si etiam concilij Tridentini decreta fortè obijcere nobis velint, quasi illis obsequi nos oporteat: iure pacem

Ec-

Ecclesiæ nostræ datam opponimus, quæ ad nullum concilium pontificium alligata, sed ad Augustanæ confessionis formulam vnice directa est. Vt, si illam retinemus nullum concilij decretum nocere nobis possit. Si ergo pontificij fœdus quodcunq; contra nos ad delendam Euangelij doctrinam faciunt, crimine nefario sese polluunt: dum pacem summo consensu imperij sancitam & firmatam infringere & labefactare nituntur. Hanc enim quicunq; violandam putat, is vincula reuellit, non modò tranquillitatis necessariæ, sed etiam vtilitatis vitæq́; communis.

Quòd si etiam opinatur fortè aliquis, Ecclesiam Christi non egere isto præsidio pacis, cùm Christo ipso custode ac patrono tuta sit; is hoc responsum habent: Pacem in ecclesia ingens Dei donum esse, & votis summis semper expetendum, quatenus nihil habeat insidiarum, quod vel gloriam Dei lædat, vel conscientiæ officiat, vel professionem veritatis impediat. Talem Ecclesia omnibus ætatibus seriò expetiuit, & quandocunque eam consecuta est, summi beneficij diuini loco habuit. Ante Constantinum Magnum, & in ipso etiam imperio

perio eius, omnibus probris, maledictis, & iniurijs vexabatur religio Christiana à Maximino & Licinio, hostibus Christiani nominis: Sed accidebat tandem diuinitus, vt deletis hisce tyrannis, pax tuta tranquillaq; Ecclesiæ & Reipublicæ per Constantinum Magnum redderetur. Vnde tanquam ex turbulentissima tempestate erepti ac recreati Christiani πανήγυειν, seu festum solenne celebrabant, in quo gratias Deo pro tanto pacis commodo agebant.

Huiusmodi pax cùm etiam anno 55. Ecclesiæ reformatæ diuina gratia atque benignitate contigerit: quid facere nos conuenit aliud, quàm gratissimis animis beneficium tantum persequi? Quod si facimus, præcepto Psalmi obtemperamus, & quæ ad pacē sunt Hierosolymæ, siue Ecclesiæ, rogamus. Hoc ipsum fecerunt ante nos Lutherus, Melanchthon, & alij theologi in Augustano conuentu magno; cùm pacem siue transactionem amicam summo studio flagitârūt ab aduersarijs, his tamen conditionibus, quæ in hac formula pacis anno 55. datæ comprehenduntur, vt salua sit in primis doctrina Euangelij de fide, de operibus, de libertate Christiana, & de alijs partibus

iuxta

iuxta Augustanæ confessionis normam. Secundò, vt vsus sacramentorum integer sit. Tertiò, ne importetur necessitas restituendi priuatas missas, & inuehendi sacrificium pro viuis & mortuis. Quartò, vt coniugium permittatur sacerdotibus, & libertas in traditionibus humanis, in ciborum discrimine, & similibus retineatur. Sed quæ tunc propter aduersariorum acerbitatem obtinere non potuerunt, ea tandē hoc anno 55. per omnia cumulatè pacis formulæ inserta sunt.

Nec hîc metuo eorum repræhensionē, qui putant, nō nisi vnam religionem esse ferendam, & ex agris & finibus Ecclesiæ exterminandam esse αὐτονομίαν, siue libertatem illam diuersæ & discrepantis religionis in Ecclesia Christiana. Sic enim censeo, optandum quidem esse, vt vna sit & orthodoxa, verboq; Dei consentiens religio in Ecclesia: sed satis sit nobis, nostram religionem secundum Augustanam confessionem esse veram, & fundatam in sancto Dei verbo. Hanc ergo tueamur, & gratias Deo pro ea agamus. Pontificijs verò pontificiam religionem relinquamus: vtriq; autem intra pacis limites, quibus septi & circumdati sumus, nos contineamus, & mutuis precibus,

cibus, Christianæq; caritatis officijs professionem nostram ornemus. Errores verò pontificios fugiamus, & constanter refutemus.

Politicus porrò effectus pacis religioni datæ is est, vt imperij corpus quasi quidam neruus & vinculum contineat atque consolidet, quod corpus antè diuulsum distractumúe erat horribiliter. Quæ enim caussa distractionum antea fuit, ea per pacis formulam sublata est. Quid aliud Cæsarem à principibus Euangelicis alienauit, quàm quòd decretis de religione obtemperare recusarunt? Hanc recusationem Cæsar Pontificiorum impulsu rebellionem appellare solebat; cùm tamen principes & ciuitates, vna religione excepta, in cæteris obedientes sese Cæsari semper præstare parati essent. Hodie si vel concilij Tridentini, vel alijs decretis à Pontifice factis, minùs obtemperamus, rebelles non sumus: quia pax Religioni data, Augustanæ confessioni æquè atq; Pontificiæ religioni patrocinatur.

Quod si etiam Ecclesiasticorum bonorum, aut episcopatuum occupatorum caussa, litem nobis intendere velint Pontificij: hac ipsa pacis formula tuti esse

possumus, quæ vtrique parti permittit ea tenere, quæ ante transactionem Passauiensem occupauit, & ad pios vsus transtulit: penè ad eum modum, quo olim Thrasybulus Athenis ἀμνηστίαν siue concordiam, & omnium iniuriarum obliuionem sanxit ita, vt quisque haberet, quæ habebat.

Quid? quod omnium est vtilissimum, hac ipsa pace iugum pontificium omne à ceruicibus nostris deiectum est. Augustana enim confessio, cui pax illa data est, separat & seiungit nos penitus ab Ecclesia pontificia, vt cum ea nihil commune nobis sit ampliùs, neq; necessitate vlla astringamur ad sequendum aut tenendum Pontificia decreta, aut diplomata. Quemadmodum enim negat Pontifex, se ad Augustanæ confessionis nostræ dogmata alligatum esse: sic nos vicissim vllo decreto pontificio nos adstrictos teneri eodem iure possumus negare. Quod enim ius habet in Imperio catholica religio, quam vocant: idem habet etiam Augustana confessio. Ex quo intelligi facile potest, quàm insanus conatus Pontificis sit, cùm Lutheranam religionem, vel hæresin, vt ipse vocat, quotannis iterata execratione excommunicat.

cat.

cat. Hoc enim ipso facto hostem sese esse pacis in imperio satis demonstrat.

Quantò honestius & laudabilius fecit Augustus noster Elector, qui, vt omnibus planum faceret, se pacem hanc studiosè sanctéq; colere, cum episcopis & archiepiscopis in imperio amanter familiariterque vixit, ab iisque vicissim patris loco habitus & cultus est? Cuius exemplo nos quoque Pontificios neque odisse, neque insectari debemus, sed omnia ciuilia officia amanter fideliterque illis præstare, eaque vicissim ab ipsis expectare; vt hoc modo pax & concordia ciuilis in imperio conseruetur, & hostes à finibus nostris facilius repellantur. Id quod iam in coniunctione opum & virium contra communem hostem Turcam vsu venire ipsa re comperimus.

Quod autem obijci potest de Episcopatu Coloniensi, cuius antistitem propter mutatam Religionem, loco motum esse scimus, & de ciuitatibus etiam nonnullis, quæ libertatem in religione nullam hactenus consequi potuerunt: expeditu facile est, si ea, quæ hactenus exposita sunt, de pace religioni data, perpendere diligenter volumus. Est enim pax data duntaxat Augustanam confes-

ſionem profitentibus, nec prohibitum eſt vlli à pontificia religione ad Euangelicam tranſire: modò præſcripta pacis norma ſeruetur.

Sed contraho vela, ne extra modum prodeat oratio. Quicquid autem de pace religionis dixi hactenus, id omne eò pertinet, vt cùm ante illam confectam plenum fuerit imperium non modò ſuſpicionibus, ſed etiam diſtractionibus, & bello denique ipſo, nunc verò ingenti Dei beneficio tutam tranquillamque Eccleſiam & rempub. habeamus; gratiam Deo nos debere pro tanto theſauro agnoſcamus & profiteamur. Id quod hoc ipſo etiam actu facere nos conuenit. Itaque tibi omnipotens & æterne Deus, æterne pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, gratias agimus, quòd per ſalutare organum tuum principem Auguſtum imperij Septemuirum pacem nobis & poſteris conciliâſti. Teq́; oramus, vt ad amorem ſtudiumq́ue huius pacis mentes noſtras incendas, quò deinceps etiam, quemadmodum iam inde ab anno quinquageſimo quinto factum eſt, tranquillitate commoda in Eccleſia & politia fruamur. Et quia iam hoſtis immaniſſimus Turca ceruicibus noſtris imminet,

&

& vi impreſsioneq; Eccleſiam ac Rempub. noſtram euertere conatur, ardentibus votis te rogamus, vt omnes motus conatusque illius prohibeas, & Chriſtianis ſucceſſum atque felicitatem, quemadmodum facere cœpiſti, largiri pergas: vt ſanguis Chriſtianorum innocentium profuſus vindicetur, & gloria ſanctiſsimi tui nominis, quod Turci contumelia afficiunt, aſſeratur. Poſtremò quia attentiſsimis animis ſumma cum benignitate auditus ſum, gratias etiam ago vobis omnibus & ſingulis: quibus etiam pro ingenio & ſtudio meo meritam debitamque gratiam referre paratus ſum.

DE CHRISTIANO, INCLYTO ET MAGNANIMO DVCE ELECTORE SAXONIAE,

Oratio funebris:

HABITA IN ACADEmia Lipsica, Anno Christi M. D. XCI. *die* VIIIbris XXVI.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

FRIDERICO GVILELMO, DVCI SAXONIAE, TVTORI, ET ADMINISTRATORI Electoratus Sax. Landgrauio Duringiæ, Marchioni Misniæ, Domino clementissimo.

QVO DOLOR NOSTER ex illustrissimi ducis Electoris nostri Christiani obitu conceptus acerbior fuit:

fuit: eò tuæ celsitatis, Friderice Guilelme, Saxonum dux inclyte, lætior nobis accessus extitit. Morte quidem Christiani ducis damnum fecimus maius, quàm deplorare satis possumus. Tuæ verò Celsitatis aduentu sic recreati sumus, vt respirasse, & emersisse non parùm ex luctu squaloreq́; nostro videamur. Vt enim paulò antè in luctu erat totus septemuiralis ducatus, squalebant omnes ordines, affligebantur Academiæ & Scholæ, mœrebant ciuitates: ita nunc vniuersi & singuli capita erigere incipiunt, & spem sibi certam solatij, salutis, & felicitatis in tutela patrocinioq́; tuæ gubernationis iustissimæ atq; æquissimæ collocant. Equidem præsidia ad administrandum septemuiratum Saxonicum, & ad regendam Rempub. hanc vniuersam adfers satis firma & magna, sapientiam, fortitudinem, vigilantiam, authoritatem, & felicitatem: quæ quidem ante oculos posita, & in vsu quotidiano collocata cernimus. Verùm in his virtutibus & ornamentis summis elucet maximè vera erga Deum pietas, & iusta conueniensq́; rebus immaturo principis Christiani obitu afflictis atq; perturbatis moderatio. Hæc tuam illustrissimam Celsitatem Deo inprimis acceptam, nobis verò subditis optandam & prædicandam reddit, tum apud exteras etiam nationes gloria amplissima decorabit.

bit. Merito igitur & iure omni in ista tuæ Celsitatis bonitate & moderatione acquiescimus, gratisq; animis hoc diuinum in nos collatum beneficium agnoscimus ac celebramus, nec desistemus etiam à Deo assiduis precibus contendere, vt gaudere diu hoc tam excellenti bono possimus.

Hæreditaria hæc est possessio virtutis, moderationis, & constantiæ, inde vsq; à parentibus & maioribus longa annorum serie in tuam Celsitatem propagata. Quoad enim longissimè possumus respicere, & ab vltimo initio repurgatam religionem repetere: non alios duces atq; tutores eius, post Deum immortalem, reperimus, quam parentes & maiores Celsitatis tuæ inclytos. Quis conatus Martini Lutheri diuinos primus adiuuit, portasq; illucescenti doctrinæ Euangelij aperuit, & hospitium atq; patrocinium reformatæ Ecclesiæ præbuit, nisi Fridericus dux Saxoniæ, Elector sapiens? Quis cursum atq; libertatem Euangelij contentione maiori atq; constantia defendit, quam Ioannes dux Saxoniæ Elector constantissimus? Hic nimirum est, qui in conuentibus imperij tribus, Spiræ in primis anno millesimo quingentesimo vicesimo septimo, & iterum anno millesimo quingentesimo vicesimo nono, tum Augustæ etiam anno trigesimo coram Imperatore, & ordinibus

cun-

cunctis erecto, excelsoq́; animo religionem professus est, & confessionem, quæ sola & vna confessio Augustana est, Imperatori, imperijq́; ordinibus exhibuit. Falluntur enim, & tota re errant, quicunq; vllam confessionem Augustanam fingunt, aut obtrudunt, præter hanc anno trigesimo, per selecta Dei organa, Ioannem Saxoniæ Electorem, & coniunctos in vera fide principes, ac ciuitates nonnullas Cæsari traditam, & fide constantiaq́; admirabili ab ijsdem cultam, atq; defensam. Hæc scilicet firmamentum est pacis, quæ religioni nostræ ab imperatoribus concessa atq; tributa est.

Aemulus paternæ constantiæ atq; pietatis omnis erat filius, Ioannes Fridericus primus, Celsitatis tuæ auus, qui fortunis omnibus priuari, & exilij, captiuitatisq́; ærumnas perferre maluit, quàm Euangelij professionem abijcere, aut in vllo officio Deo & Ecclesiæ eius debito claudicare. Quapropter non cognomen solùm constantiæ deportauit, sed speculum etiam, & documentum eiusdem iure omni habetur. Quid? filius huius, Ioannes Guilelmus Saxoniæ dux, pater Celsitatis tuæ, an non laudem summam virtutis eiusdem in animis & memoria nostra largiter reliquit? Ex quo prognata Celsitas tua cunctis viribus enititur, omni consilio proui-

det, maximaq́ autoritate efficit, vt ne qua in parte vel minima vel maxima ab hoc laudatissimo maiorum curriculo deflexisse videatur.

Testis est locuples ducatus Vvimariensis, quem moderatione incredibili sic rexisti annis compluribus, vt omnes ferè partes eius accessionem sibi fecerint, creuerit ad Salam Academia, caput erexerit Ecclesia, & pace ocioq́ optato fruantur omnes subditi. Testis iam incipit esse cunctus ducatus septemuiralis, quem administrandum legitimæ tutelæ nomine suscepisti, sicq́ hactenus gubernas, vt religio in Ecclesia, literarum scientia in scholis, iusticia in politia, & tranquillitas in omnibus partibus Reipub. efflorescat. Hoc summum bonum quanta æquitate & moderatione aggressus sis, ac prouehere perficereq́ studeas, in dies singulos magis atq́ magis perspicimus. Ac nos quidem in hoc tanto & diuino opere tuam Celsitatem iuuare obœdientia, studio, & precibus parati dies ac noctes sumus. Adsit modò rebus Celsitatis tuæ is, qui maiorum conatus diuinos in tuenda & propaganda Euangelij doctrina integra & inuiolata fortunauit: vt tua cura, & vigilantia sarta tecta conseruetur Ecclesia, vigeant literæ, colatur iusticia, & commodo pacis lætetur tota domus Saxonica. Quod quidem votum commune mihi cum omnibus pijs, expromere in hoc prooemio orationis, de inclyto

duce

duce Christiano, à me in hac Academia habita libuit. Quod vt pro sua eximia & singulari clementia atq; æquitate in partem optimam tua Celsitas accipiat, Academiamq́; Lipsicam beneuolentia sua complectatur & foueat, precibus supplicibus contendo. Lips. Calend. Ian. anno IESV CHRISTI *millesimo, quingentesimo, nonagesimo secundo.*

Illustrissimæ Celsitatis tuæ

Subiectissimus

Matthæus Dresserus.
vtriusq; linguæ & historiarum professor.

ORA-

ORATIO.

IN ARGONAVTICA expeditione cum labores multos exantlassent fortissimi milites iamque superatis Hellesponti angustijs, Cyaneos scopulos præteruecti essent, Herculem amiserunt: quo duce & bellum susceperant, & confecturum se sperabant. Hac iactura, quamuis perturbati mirificè, cursum tamen susceptũ continuant, & ad Lycum regem velis passis peruehuntur. Ab hoc vbi accepti & recreati fuerunt benignè, præter opinionem omnem noua calamitate cumulantur, & Idmona vatem, Tiphymq; rectorem nauis sapientissimum & felicissimum amittunt. Tum demum in sordibus, lamentis, luctuq; iacent, itaq; anguntur, vt vix quid faciendum sequendumq; sit reperiant.

Eadem penè fortuna nos etiam in his turbulentissimis tempestatibus exercet, viri magnifici, ornatissimiq;, & iuuenes literatissimi, vel certè non multum dissimilis. Nondum anni sex completi sunt, cum principem nostrum Electorem Augustum, pium, sapientem, & fortem nobis mors eripuit. Cuius quidem iacturæ

magni-

magnitudinem meritò deplorabimus, & nobiſcum luxit vniuerſum imperiū. Erat enim verè lumē & heros noſtræ ætatis, in quē omniū oculi coniecti, cōiunctorumque animi defixi erant: adeo & authoritate cæteros anteibat, & ſuis cōſilijs dictisq́; plurimos moderabatur. Scimus ab eo concordiam ſanctè eſſe ſeruatam, ſcimus religionem integram eſſe cultam & propagatam, ſcimus deniq; catholicos ipſos ſiue pontificios, ad pacis tranquillitatisq́, ſtudium eſſe traductos. Vix reſpirau eramus, oculos ſuſtuleramus, & ex ſqualore iuſto recreati in ſpem aliquā erecti eramus, cum Auguſtus ille filiū nobis reliquiſſet Chriſtianum, cuius ingenij vi, animiq́; magnitudine regi nos, duci, atq; defendi poſſe credebamus. Huius enim auſpicijs & ductu tranquillam nos habituros eſſe ſperabamus Eccleſiam & politiam, & ſub alis eius victuros eſſe commodè feliciterq́; confidebamus.

At ô fortunæ, ſi qua dominatur rebus humanis, aſperitatem! ô fati, cui omnia humana ſubiecta ſunt, inclementiā! quod morte nimis immatura & inopinata hūc etiam ducem Chriſtianum nobis eripuit, qui ſpes patriæ, præſidium Eccleſiæ, firmamentum Reipublicæ vnicum

poſt

post Deum immortalem, erat. Ac si iacturam nos fecisse in Augusti anima magnam multisq; lacrymis deplorandam merito & iure omni censuimus: quantam nunc factã esse putabimus, extincto eo, quem suo loco ille nobis præfecerat, & qui patrem æquare consilio, authoritate, fortitudine poterat? O tristem casum! ô luctuosum fatum, quod miseros nos tanto duce & gubernatore priuauit!

Huic cum parentalia cum supplicationibus hodierno die decreta sint, meque voce præire cæteris magnificus Rector, senatusq; academicus voluerit: agite, officium pium & debitum aggrediamur, & communibus lacrymis eiulatibusque communem nostram calamitatem prosequamur. Quod quidem vos video certatim factitare omnes, quotquot intueri ex hoc suggesto possum. Nec esse credo quenquam, qui non vehementer & ex animo doleat, angatur, & casum tantum defleat. Ego verò, quem plus animi afferre ad consolandum vos decebat, adeò mœrore vndiq; oppletus & circumfusus sum, vt penè vox mea omnis intercludatur, & quid dicam, vnde incipiam, vbi desinam, vix reperiam. Quam metuimus vel exhorruimus potius hunc funestum

&

& luctuosum diem toto Septembri, quo dux noster fortissimus graui & mortifero morbo affectus fuit: sed precibus tamen & gemitibus pro salute eius ad Deũ profusis auertere illum conati sumus. Sed fati vis maior fuit, quàm vt arceri à nobis ac propulsari potuerit. Factum tamen est id, neq; insciente, neq; repugnante Deo, cuius consiliũ tametsi intelligere satis non possumus, admirari tamẽ & suspicere debemus. Quid verò possum aliud in tanto squalore & luctu, quã quod hunc ipsum nostrum luctum, mœroremq́; augeat, dicere? Deligam tamen ex multis, quæ commemorari poterant, paucula de damno, quod, hoc duce nostro extincto, fecimus: quæ dum voce summissa, flebili, & ad miserabilem sonum inflexa persequor: vos oro, viri magnifici, spectatissimiq́; vtriusq; ordinis academici & senatorij, ac iuuenes literatissimi, vt aures benignas præbeatis.

VNICVS ERAT HIC CHRISTIANUS ex nouem filijs Augusti Electoris relictus, summa spe & animi, & ingenij præditus. Eum ergo vt oculum vnicum Saxonici ducatus sapientissimus pater probè diligenterq́; à primis annis educandum instituendumq́ue curauit. Nec

defuit matris pientissimæ sedula cura & animaduersio in vlla parte institutionis piæ, christianæ, & inclytæ. Accesserunt vtriusq; parentis vota ac preces crebræ ardentésq; ad Deum, vt veræ religionis documenta in primis imbiberet filius, tum ad omnia etiam munera officij principis boni ac salutaris instrueretur. In tali disciplina & exercitatiōe animi & corporis perseuerauit noster dux Christianus vsq; ad annum ætatis vicesimum primum, Christi verò octogesimum primū supra millesimū, quingentesimum. Hoc enim anno senatui consilioq́; aulico præses à patre datus est, vt res causasq́; communes & priuatas ducatus vniuersi cognoscere iudicareq́; inciperet. Ita ex ludo disciplinaq́;, qua ætas iuuenilis informari solet, in theatrum, lucem, sedem, & quasi templum consilij publici productus, iuris æquiq́; disceptator extitit. Quod ipsum de Cyro etiam scribit Xenophon, quod in schola iustitiæ, quales habuit regnum Persicum, bene liberaliterq́; à teneris vnguiculis institutus, in ætate paululum prouecta ad cognoscendum & iudicandum controuersias, quæ inter adolescentes suscitatæ essent, adhibitus sit.

Anno octogesimo secundo cum patre Augusto comitia imperialia, quæ à Rudolpho II. imperatore indicta erant, adijt: vbi consilia actaq; imperij spectauit, & cum patre sapiente in admiratione omni populo, cunctisq; ordinibus fuit. Eo enim in loco fuerat iam antè apud inuictissimum imperatorem Maximilianũ II. Augustus Saxo, & erat tum etiã apud filium eius Rudolphum II. vt bonã magnamq; partem dignitatis & authoritatis imperij humeris suis sustinere videretur. Itaque & Maximilianus II. illum fratris concordissimi, Rudolphus verò filius patris venerandi loco habuit, & coluit. Erat enim talis ferè, qualem Amphiraum Aeschylus describit, bonus, pius, fortis, & magnanimus: ex cuius pectore, tanquam ex sacro quodam fonte, consilia optima profluebant.

Tulit familia Saxonica duces omni laude sapientiæ, iusticiæ, fortitudinis cumulatos. Fridericum bellicosum, vt è multis paucos saltem attingam, cuius fortitudo in bellis Boiemicis maximè eluxit, & qui Academiam hanc Lipsicam anno Christi 1409. fundauit. Fridericum placidum, qui cum fratre Guilelmo de ducatu, tanquam de summa

ma rei dimicans, derepente per vnum colloquium in gratiam eum reduxit. Ernestum, qui cũ Ioanne Marchione Brandepurgico tres reges, Casimirum Polonum, Ladislaum Boiemum, & Matthiam Vngarum authoritate sua & prudentia fregit Vratislauiæ, in concordiamq; redegit. Albertum, quem dexteram manũ imperij Innocentius Pontifex VIII. in diplomate nominauit, alij Hectorem Germanicum appellarunt Fridericum III. cognomento sapientem, qui vniuersitatis Vvitebergensis author est, & imperij fasces vna mente, & vna voce Electorum ad se delatos altero statim die deposuit, & ad designandum Carolum V. principibus collegis suasor extitit. In primis verò Ecclesiæ reformationem, & doctrinæ cœlestis propagationem per salutare organum Dei Martinum Lutherum suceptam consilio & opera adiuuit. Pro quo quidem beneficio gratiam ipsi & omnibus illius posteris immortalem nos debere profitemur. Ioannem Friderici huius fratrem, qui cum coniunctis principib. & ciuitatib. quibusdam confessionem Ecclesiæ reformatæ Carolo V. & ordinibus imperij exhibuit, eamque animi constantia summa tutatus est. Ioannem

annem Fridericum, qui ob Euangelij & fidei profeſsionem nullum diſcrimen, nullas minas exhorruit: tum in ipſa etiam captiuitate, tantam animi magnitudinem patientiamq́ue adhibuit, vt nec prece, nec gratia vlla deterreri potuerit. Mauricium, cuius nobilitata eſt in bellis Gallicis, Vngaricis, & Germanicis fortitudo atq; induſtria.

Sed verè ſi iudicare volumus, virtute, conſilio, & ſapientia optimos quoſq; in hac familia Auguſtus ita æquauit, vt concordiæ vinculum, pacis author, religionis tutor, iuſticiæ cuſtos integer & ardens appellari queat. Ex hoc igitur natus dux noſter Chriſtianus magnanimitatis, prudentiæ, & integritatis, inde à prima ætate documenta præclara dedit, adeoq́ue imperij mentes & oculos in ſe conuertit, vt nullum eius factum, nullum dictum potuerit eſſe obſcurum. Ac vt ſuſtinere præclaram hanc de ſe concitatam expectationem magis poſſet, maturè à patre laudatiſsimo ad omnia pietatis, conſtantiæ, & caſtitatis munera aſſuefactus eſt, coniugemq́; duxit ex antiqua & inclyta familia Brandepurgicorum Marchionum, Ioannis Georgij Electoris filiam, Sophiam, anno Chriſti octo-

gesimo secundo: cuius ex vultu, gestu, sermone, & actione omni casti pudoris decus, summæ pietatis specimen, & probitatis constantiæq; lumen elucet. Pater verò eius Ioannes Georgius septemuir is iam in imperio Romano habetur, qui velut Nestor consilio, grauitate, moderatione, seniliq; prudentia terris hisce plurimũ commodet. Tanti igitur soceri sermonibus exemplisq; non minùs quàm ipsius parentis indies ad sapientiam virtutisq; studiũ ductus Christianus noster Elector, gerere & administrare ex dignitate & decore res suas omnes cœpit.

Ad exitũ vitæ vocatus pater Augustus, anno Christi 1586. gubernationis molem omnem in filium hunc deriuauit. Ab hoc igitur tempore cum septemuirali dignitate etiam administrationis munus dux noster inclytus suscepit & executus est. Tempus breue admodum, quinq; scilicet annorum, & nequaquam conferendum cum curriculis maiorum, Augusti, Friderici, & aliorum. A Mauricio tamen ætate & gubernationis tempore nõ longè abest. Suscepit enim is Electoratum anno ætatis suæ XXVI. Christi verò XLVII. Vocatus est è vita anno Christi LIII. ætatis verò XXXII. Hic verò noster

dux

dux Elector Christianus anno ætatis suæ XXVI. Christi verò LXXXVI. grauissimum onus gubernationis accepit, & anno ætatis XXXI. Christi verò primo & nonagesimo, die XXV. VIIbris è vita migrauit. Interuallum est exiguum. Initium quidem gubernationis vtriusque idem, exitus verò Mauricij anno vno Christiani nostri ducis obitum superat. Fridericus III. cognomento sapiens, Electoratum administrauit annos octo & triginta: Ioannes verò frater illius annos septem. Imperium Romanum Sigismundus gessit annis sex & viginti, mensibus octo. Albertus qui ei successit, biennio non integro.

Curricula quidem vitæ alijs longiora, alijs breuiora conceduntur. Idq; fato fieri, seu potius consilio diuino omnes scimus. Sed breue nimis hoc nostri ducis curriculum esse videtur, quod ætate ea, quæ ad res gerendas aptissima est, præreptus nobis sit: & quidem sic præreptus, vt hæredem annis & viribus parem tanto oneri non reliquerit, quæ sanè res luctum nostrum non parùm auget. Augusto enim extincto, Christiani hæredis & successoris spe nostrum casum solabamur. Hoc verò amisso principe, ductore, &

moderatore ad annos complures carere cogemur. Quod quid aliud eſt, quã corpus ſine capite eſſe? Sed de hoc poſtea.

In hoc breui ſpacio curriculoq́ue gubernationis Chriſtiani ducis, Deus bone, quanta varietas rerum, quanta viciſsitudo temporum, quanti motus regnorum acciderunt? Quid non ſuſceptum tentatumq́; eſt ad labefactandum conuellendumq́; Eccleſiæ & politiæ ſtatum? Scilicet vltimus hic eſt furor poſtremuſq́; conatus Satanæ, lætum aduentum filij DEI ad iudicium antecedens. Ex quo, non diu illum abſuturum eſſe, ſatis intelligere poſſumus. Proſpexit has tempeſtates primo ſtatim ingreſſu inclytus noſter Elector, & quantis malis, vel potius monſtris ſibi confligandum eſſet, maturè animaduertit. Itaq; vt ſapiens gubernator, ſiue nauarchus ea remedia quæſiuit, quibus impendentes tempeſtates propulſare poſſet. Quæ verò ſunt remedia, quibus vſus eſt? In politia quidem vidit opus ſibi eſſe neruis ad elidendos conatus varios, & impetus hoſtium, qui nobis non minus, quàm Gallis Euangelicis, quàm Belgis doctrinam repurgatã profitentibus, impendent. Itaque præſidio firmiore & copioſiore aulam ſuam muniuit

uit ac ſepſit: tum in ducatu vniuerſo plures præſides paſsim in præfecturis ordinauit, vt roboris plus & firmamenti regio aduerſus hoſtē quemcunq; haberet. Adhæc religionis iuſtitiæq́; curā ſuſcepit.

In primis verò, vt academiæ conſtituerentur operam dedit, quò in ijs iuniores ad omnia officiorum munera in ſingulis reipublicæ partibus inſtruerentur, Eccleſiæ miniſtri ſuppeterent, & iuris, pietatis, ſanctitatiſq́; cultus magis florere poſſet. Ad hanc rem remedium hoc aptiſsimum inuenit, vt ſicubi à moribus inſtitutiſq́; patris Auguſti receſſum eſſet, quàm minimo incommodo eodem rediretur. Fit enim temporum fatali quodam decurſu, ac communi rerum commutatione, vt bene etiam cepta atque conſtituta langueſcant tandem, niſi principali authoritate identidem roborentur. Capita igitur certa conſcripſit, quæ partes penè omnes Eccleſiæ, ſcholarū, & politiæ complecterentur & firmarent. Hæc indicto Torgę conuentu, anno octogeſimo ſeptimo, cunctorū ordinum hominibus propoſita atq; probata ſunt, anno verò ſequente ſcholis ꝓuincialibus, academijs, curijſq́; publicata. Vidimus quædam emendata, quædam repetita & innouata,

nonnulla etiam aucta & amplificata.

Qua quidem in re nihil alienum ab institutis maiorũ suorum tentauit: sed Augusti patris, Mauricijq́; patrui vestigia persecutus est: qui & ipsi talibus initijs gubernationem suam orsi sunt. Ad eundem modum etiam dicasteria, senatum publicum in aula, consilium appellationum, iudicia prouincialia, & Ecclesiastica stipendijs & assessorib. auxit & confirmauit. Deniq;, ne quid deesset ad iustam salutaremq́; reipub. formam, prouidit. Adhæc vt præsidij satis esset in necessaria defensione aduersus hostilem impetũ aut incursionem, equitum & peditum armigerûm inspectionem accuratam habuit.

Quid de Ecclesiæ & religionis cura dicam? quæ magnanimi nostri principis animũ valde exercuit ac fatigauit. Incidũt enim sæpenumero dissidia, certamina, controuersiæ, bella, etiam in bene constitutis regnis & Rebuspub. Sed nullum est dissidium, nullumq́; bellum, ꝙ maiori ardore geratur, quam quod religionis causa suscipitur. Exarserat semel in Ecclesia Græca dissidium horrendum de Essentia Christi ab Ario suscitatũ. At Deus bone, quanta vehementia, quamq́; ancipiti cõtentione, & varietate fortunæ vtrinq; pugna-

gnatũ eſt? modò obtinuerunt orthodoxi, pulſis Arianis, modò vicerũt Ariani, oppreſsis orthodoxis. Tentabant & perſequebantur omnes vias optimi Imperatores, Conſtantinus, Conſtantius, & alij, quibus hoc peſtiferum incendium reſtinguere poſſent. Sed quò laborabant acrius, eò malum ſerpebat latius, & totum ferè orientem atq; occidentem peruagabatur. Sed plus tamen proficiebat Conſtantinus, qui, indicta ſynodo Nicena, Arium damnabat, quàm filius eius Conſtantius, qui Arianis aures patefaciebat, & ſeduci ſe patiebatur, vt annis quatuor & viginti, quibus imperauit, nouem fidei formulas multum diſsimiles & diſcrepantes comprobaret.

Quid Gallis propinquis, quid Belgis vicinis hiſce annis proximis vſu venerit, patet in promtuq; eſt. Quorum illi ab anno ſexageſimo tertio, hi verò à ſexageſimo octauo continuis bellis & contentionibus diſtracti ob religionem tenentur. In hæc igitur exempla, neque à memoria, neq; ab oculis noſtris valde remota intuens noſter Elector, maturo quodam conſilio præcauere in ſuo ducatu diſſenſiones & cõflictiones in religionis negocio conatus eſt, vt & Eccleſiæ

ſtatum commodum tranquillumq́; haberemus, laborauit. Iudicauit autē commodiſsimè id ſeſe effecturum, ſi docentes verbum Dei ad vnam eandemq́ue formam ſecundum Prophetarum & Apoſtolorum ſcripta, ſacroſancta Symbola, Auguſtanamq́; Confeſsionem alligarentur. Iccirco Auguſti patris edictum, anno ſexageſimo ſexto publicatum, renouauit, & per vniuerſum ducatum ſanxit, vt ſecundum eam, quam dixi, normam omnes conciones inſtituerentur, erroresq́ue cum hac pugnantes refutarentur, criminationes verò, & condemnationes perſonarum, quib. infirmi magis offenduntur quàm iuuantur, omni ſtudio declinarentur. Reperimus in hiſtorijs ſimilia edicta piorum principum & Imperatorum. Zeno, vt ſcribit Euagrius lib. 3. cap. 14. Eccleſiaſticæ hiſtoriæ, edictum propoſuit, quod ἑνωτικὸν appellatur, hoc eſt, directum ad componenda & tollenda certamina in Eccleſia. Eiq́ue adiecit hanc clauſulam: Quicunq; aliud ſenſerit, aut ſentit, vel in hoc, vel in vllo alio tempore, quàm Chalcedone, vel alia quacunque ſynodo pia decretum eſt, eum condemnamus.

Eſt etiam admiratione & prædicatione

ne dignum Theodosij consilium, quo in tollendis hæresibus & componendis Ecclesiæ dissidijs vsus est. Eò iam progressa erat docentium ambitio, & nouandi studium, vt quicunq; in vocibus exiliter ad calculum reuocandis acuti volebant videri, peculiare dogma scriberent, vt inquit Socrates lib. 5. cap. 10. Theodosius verò, singulorum dogmatibus siue opinionibus collectis, attentè precatus est, vt à Deo in veritatis collectione atq; propagatione iuuaretur. Tum aduocauit Constantinopolim quarumcunq; sectarum episcopos, Nectariumq; Constantinopolitanum episcopum rogauit, quonam pacto censeret sanari Ecclesiæ vulnera, & coire concordiam posse. Respondit Nectarius, nouisse se virum sanctum sacrarumq; literarum in primis peritum, Sisinium, qui existimet disputationibus non modò non vniri schismata, sed augeri etiam contentiones & hæreses. Suasit itaque, vt omissis pugnis Dialecticis Symbolum orthodoxæ Ecclesiæ proponeretur episcopis, quæreretur que, vtrum illud probent nec ne? Quod si probent, bene esse dixit: sin improbent, siue disputatione vberiore vel moneantur, vt in viam veritatis redeant, vel penitus reijcian-

ciantur. Huic consilio obsecutus impe- rator tantum effecit, vt confusi hæretici ab errore desisterent, & orthodoxis se adiungerent.

Non dubium est eodem consilio Augustum patrem, & Christianum filium edictum hoc de vna docendi verbi diuini norma, vitandisque criminationibus & condemnationibus inutilibus in hoc ducatu publicasse: vt & dissidia tollerentur, & in concordiam salutarem animi distracti reducerentur. Sed inuidet nobis Satanas hostis veræ consensionis acerrimus tantum bonum, & in hoc ducatu, vnde doctrinæ cœlestis reformatio in vicinas regiones & regna tanquam fons sacer emanauit, in primis omnes neruos contendit, vt, suscitatis dissidijs & certaminibus, sanam & orthodoxam doctrinam turbet, & quasi quodam veneno infuso inficiat atq; corrumpat. Itaque nec Augusti patris edictum id efficere, quantumuis cum authoritate & seueritate summa coniunctum esset, potuit, vt omnes contentiones vitarentur, & digladiationes obmutescerent: nec idem à Christiano filio interpolatum hoc obtinuit, vt conflictio omnis cessaret, & certamina sopirentur. Manserunt enim

enim controuersiæ sub vtroque electore non minùs, quàm sub optimis imperatoribus Christianis semina dissensionum, & reliquiæ distractionum semper extiterunt: quæ quandoq; suppressæ nonnihil, non multò post tamen iterum eruperunt, & Ecclesiā afflixerunt ac lacerarunt.

Hæc est fortuna Ecclesiæ perpetua in hoc mundo, cuius Satanas Coryphæus, & princeps est. In primis verò is, vt dixi, in Ecclesiam Saxonici ducatus omnem curam & cogitationem videtur conuertere, vt eam euertat, & à simplicitate, quæ est in Christo Iesu, auellat, sperans sibi postea facilius fore propagatas inde Ecclesias in errorem præcipitare. Quid igitur non molitus est, vt Ecclesiæ huic labem aspergeret, & apud exteros omnes deformaret? Hinc crimen defectionis ab ea doctrina, quam Lutherus & Melanchthon nobis reliquerunt, nobis illatum est, & longè lateque disſipata fama de mutatione rituum Ecclesiasticorum. De quibus querelas iustas grauesque habere possem, nisi locus & tempus prohiberent.

Talis verò dissensio non hodie primū extitit in Ecclesia reformata, sed omni tempore pios exercuit, aduersarijsq;

no-

noſtris pontificijs materiam & ſegetem calumniarum præbuit. Quod nuper admodum diuulgatus liber de miniſtromachia Euangelicorum declarat. Nec ſoli tamen ſumus, qui de doctrina contendimus, ſed contenderunt etiam Pontificij, & opinionem varietatem magnã genuerunt. Non multò ante ſuſceptam à Luthero reformationem acerrima erat lis de Maria virgine, vtrum ſine peccato originis concepta eſſet nec ne? & quidem in tanta ſententiarum diſsimilitudine Baſilienſis ſynodus decreuit, & ſtatuit, credendum eſſe, Mariam virginem ſine peccato originali conceptam eſſe, idq́; ſingulari quodam priuilegio, Quod decretum comprobauit facultas theologica Moguntinæ academiæ, item Pariſienſes & Colonienſes theologi. Poſt exortam verò Euangelij lucem quieuerunt magis, & voluptate riſuq́; ex noſtris diſſenſionibus percepto ferè contenti fuerunt. Nec deſunt talia diſsidiorum ſemina in alijs etiã regnis, vbi lux doctrinæ cœleſtis fulget. Nam in Anglia etiam diſceptari ceptum eſt ſatis acriter de ritibus nonnullis ex Papatu in Eccleſia reformata relictis, & de epiſcoporum præeminentia, vt vocant. Vtraq; pars Euange-

angelium quidem profitetur, ſed vna ceremonias, quæ nullo malo exemplo, abſque impietate, cauſa ornatus, ordinis, & deuotionis, vt quidam loquuntur, tolerari poſſunt, retinendas eſſe cenſet: altera Puritanorum eijcienda omnia autumat, quæ in verbo Dei fundamentum non habeant. Ita turbatur etiam Anglicana Eccleſia, quæ tam multo labore & ſanguine profuſo repurgata & conſecrata eſt.

Verùm hæc ego hiſtorico more tantùm recito, quæ & aperta ſunt, & nota omnibus, non nobis ſolùm, ſed etiam exteris. Iudicium verò nullum interpono, nec ſi vellem, etiam mihi liceret propter vniuerſitatem, quæ à certaminibus controuerſiarum huiuſmodi libenter abſtinet, & in doctrina ritibuſq; acceptis à præceptoribus Luthero, & Melanchthone acquieſcit. Neq; etiam integrum mihi eſt, inquirere in omnia principum conſilia & facta, quæ interdum occulta ſunt, nec à quouis ſatis intelligi aut iudicari poſſunt. Conſtantius Romanorum imperator Conſtantini Magni pater aliquãdo explorare cupiebat, quo animo, quáue fide, & conſtantia eſſent aulici ſui erga religionem Chriſtianam, quæ tunc noua

erat

erat in imperio, & multis operibus & artibus oppugnabatur. Quid fecit optimus imperator? Edicto sanxit, vt quotquot in aula essent, vel idolis sacrificarent, vel aula excederent. Edicti asperitatẽ multi mirabantur, & seriò hoc flagitari ab imperatore credebant. Iccirco ne illum offenderent, ad imperata faciendum se paratos esse ostendebant. Quid imperator? stomacho & iracundia exarsit, inconstantesq; illos, tanquam desertores Dei, ex aula eiecit: fieri non posse, inquiens, vt Imperatori fidem suam probarent, qui Deo perfidi essent. Cæteros verò, qui Deo magis obedire, quàm Imperatori voluerant, honorib. & præmijs magnis affecit, pluris eos se æstimare dictitans, quàm omnes ærarij sui thesauros. Sed nec ista persequi licet, in tantis præsertim temporis angustijs, quibus me circumdatum video.

In reliquis pacem tranquillam & commodam habuimus, eamq; deinceps etiã nos, hoc Principe & gubernatore, habituros sperabimus. Belli incommodum nullum sensimus, à latrocinijs, direptionibus, & incursionibus hostilibus immunes fuimus. Quod quàm eximium & diuinum sit beneficium, si minus per nos

ipsos

ipsos intelligimus, ex bellis quibus vicina quædam regna concutiuntur, percipere possumus. Geritur acerrima contentione bellum in Gallico regno, cuius moles non tam in persona regis, quàm in libertate totius Reipub. consistit. Ad hoc de Germanis peditum & equitum manus profecta est; quod, quo consilio factum sit, etsi in sermone atque in ore omnium esse ceperit, nondum tamen penitus cognitum atque exploratum habeo. Sed nihil noui, eadem fabula sæpius acta. Cui enim ignotæ sunt artes, fraudes, & molitiones nefariæ pontificum Romanorum, quibus labefactare, conuellere, & imminuere dignitatem ac libertatem imperij, & regni Gallici iam olim studuerunt? experta est non semel Germania hoc malum. Primùm in imperatoribus suis, quos Papæ omnibus contumelijs iniurijsque vexarunt, excommunicarunt, de solio deiecerunt, alios substituerunt, & subditos ab obedientia erga eos liberarunt. Non necesse est hoc exemplis facere longius, quæ in promtu sunt.

Deinde in principibus etiam imperij idem tentarunt. Erat Moguntinæ sedis præsul Ditheric⁹ Isepurgius, à quo Papa

Pius II. antè dictus Aeneas Siluius, postularat, vt fidem daret, se nunquam conuocaturũ Germaniæ principes, nisi consulto prius & assentiente pontifice. Postulatio erat iniqua prorsus, & imperij dignitatẽ vehementer lædebat. Dietherícus igitur, re cum principib. imperij deliberata, negat se facturũ esse imperata. Quid fit? sede deijcitur à pontifice, & substituitur in locum eius Adolphus Nassouius. Hoc quid aliud erat, quàm bello implicare Germaniã? Induunt igitur pia & iusta arma Fridericus Palatinus ad Rhenum septemuir, Ludouicus Bauarus cognomento Diues, & alij complures principes atq; comites. Etsi autem hi, qui contra Adolphũ, sociosq; eius opibus & præsidijs munitos, imperij libertatẽ defendebant, fulmẽ pontificis Romani paratũ sibi videbant, nihil tamen eius vanitatem metuebant. Fit bellum, vincit in causa æqua & iusta Palatinus, captosque nonnullos de aduersarijs suis Heidelbergam secum abducit, & custodit, nec sine precio redemtionis magno dimittit. Recentius multo est bellum Germanicum, quod impulsu pontificis Pauli III. & aliorũ Carolus V. fortissimus imperator gessit, victorq; religionem pontificiam obtru-

obtrudere Germanis conatus est, nec prius à conatu depelli potuit, quàm armis Mauricij Saxonis libertas religionis ab eo extorqueretur.

Eodem artificio pontifex hodie in Gallico regno subditos incitat & inflammat contra regem Henricum IV. omni cura & contentione cauens, ne quid de commodis & potentia sua detrahatur: Quæ sanè manifesta vis est, & tyrannis. Quod autem iam antè contra imperiũ hoc molitus est, & hodie machinatur in Gallia: idem parat & meditatur in Germaniam. Si igitur officiũ pium facere eos iudicamus, qui ad restinguendum incendium accurrunt, cũ proximus paries ardet: rectum etiam esse fateri necesse est, oppressis & miserè vexatis vicinis præsidij & opis aliquid ferre. Non igitur vituperandi sunt, qui hisce conatibus pontificiorum obuiã eunt, & vim vi à ceruicibus innocentiũ repellere laborant. Intelligere potui ex sermonibus exterarũ quarundam gentium, quibus cum mihi aliqua intercedit necessitudo, quã ardenti desiderio expectent liberationẽ ab hoc pontificio iugo, & tyrannide, quotquot doctrinam euangelij cognouerunt, nec profiteri tamen eam audent, sed ad pontificiam re-

religionem minis & supplicijs adigun-tur. Quàm durum hoc sit, ij demum intelligunt, qui eiusmodi malis conflictati sunt. Flecti certè mitigariq́ue pontificia tyrannis nec precibus, nec lachrymis vllis hactenus potuit. Quare vt diuinitus frangatur violentia tanta, suspirijs & votis asiduis optandum est.

Etsi autem in hoc bello Gallico de summa rei, hoc est, de regno dimicatur: tamen ipsum excommunicationis pontificiæ fulmen, & literæ monitoriæ papæ Gregorij XIIII. quæ extant, satis indicant, nihil in rege Gallorum desiderari, nisi quod ab hæresi, vt Papa vocat, desistere nolit, & abiecta professione Euangelij, ad Romanam ecclesiam redire. Hinc tantus in illum, atq; adeò in omnes Euangelicos impetus. Ac si Hispani fortè religionis prætextu regionem, siue regnum ipsum affectant, viderint ipsi, quo pacto tantum facinus apud Deum excusent. Intolerabile est omne imperium, siue vis potius, vbi iuris potestatisq́ue nihil prorsus debetur. Venit in mentem sæpius memorabilis vocis P. Scipionis, quam edidit, cum incendium Carthaginis inspectauit cum lachrymis: Quàm metuo, inquiens, ne eodem fato

non

non ita multò pòst noſtra Reſpub. concidat. Sic credo, neminem eſſe noſtrum, qui calamitoſum in regno vicino ſtatum conſiderans, non communem dolorem cum afflictis Chriſtianis capiat,&, ne eadem calamitas nos aliquando arripiat, vereatur.

Suſcepta eſt olim Argonautica expeditio à Græciæ principibus & heroibus, Iaſone, Admeto, Caſtore, Polluce, Hercule, & alijs in Colchidem, propter vellus aureum. Suſcepta eſt toties expeditio à Germanis imperatoribus, alijsq́; principibus in terram ſanctam, ad profligandum Sarracenos ex Palæſtina, quæ primaria ſedes Eccleſiæ olim fuit. Suſcepta eſt ſæpius expeditio à Palatinis principibus, Vvolfgango, & Ioanne Caſimiro in Galliam, ad propulſandam vim iniuſtam ab Eccleſia, quæ Euangeliũ profitebatur. Profectus eſt eodem cum exercitu laudatiſsimus & fortiſsimus dux Saxoniæ Ioannes Guilelmus. Horum conſilia & conatus in laude poſitos eſſe abſque dubio omnes ſani iudicant. Ergo ne nunc quidem vlli vitio & culpæ dari idem ſtudium iure poterit. At quò cum in imperio ipſo, tum apud exteras etiam nationes magis eluxit excelſitas

animi & magnitudo nostri principis viui, eò nunc luctuosior erit toti Christiano orbi eiusdem mortui nuncius. De quo, quoties cogitationem suscipio, venit in mentem Argonautarum, qui in sua expeditione optimos duces amiserũt, & nihilominus tamen in proposito susceptóque consilio permanserunt, suisq; rebus exitum, quẽ optarant, consecuti sunt. Sic speremus Christianos omnes, quamuis hoc tristi casu Principis nostri grauissimè conterritos, spem tamen in Christo duce summo locaturos, & exitum optabilẽ habituros. Qui hactenus pro salute nostra, pro aris, pro focis propugnauit, is in his etiam turbulentissimis tempestatibꝰ Ecclesiam, politiam, domos, familiam, & alia, quæ cara habemus, tuebitur, efficietq;, vt grata aliqua ipsi à nobis fiant.

Hactenus acta præcipua nostri ducis & Electoris in hoc breui curriculo gubernationis, quod diuinitus illi concessum fuit, summatim, non singillatim attigi, nec magnitudinem eorum vlla ex parte assecutus sum. Vnde quo animo, qua mente singulas partes Reipub. sibi commissæ complexus ille sit, intelligi potest. Et cũ ita se dederint initia illius gubernationis, facilè æstimari potest, quàm

præ-

præclari fuerint expectandi progressus, si vitæ vsura longior ei tributa à Deo fuisset. At illi quidem factum bene, cui contigit ex tanta rerum confusione, temporumq́; asperitate in beatam quietem migrare, & ex his tenebris in cœlestem sedẽ plenam luce & læticia transire, Nobis verò ad dolorem ac mœrorẽ acerbius nihil accidere potuit, quos ille in luctu & squalore grauissimo: in his turbulentissimis tempestatib. à nobis discedens, reliquit.

Deplorabat Carolus Magnus multis lacrymis interitum Rolandi sororis suæ filij, cum in prælio Sarracenico languore & siti confectus occubuisset: Tu patriam, inquiens, repetis, nos tristi linquis in orbe. Quantò iustius est nos lamentari iacturam, quã fecimus, amisso duce & gubernatore nostro, post Deum immortalem, vnico, fide, animiq́; celsitate commemorabili prædito: his præsertim tempestatibus, quibus pericula vndiq; quasi quædã procellæ & fluctus nobis impendent? Cumq́; omnia repentina & inopinata lædant vehementius: nullis verbis consequi satis, aut exprimere magnitudinem doloris possum, quem ex hoc improuiso & insperato Principis nostri obitu cepimus. Quod si ad Plissam, & Elystrũ

duos Lipſenſis agri amnes etiam vicini duo fluuij, Mulda & Albis accederent, vix tamen tantam aquæ copiam præberent; quantam vim lacrymarum nos profundere in huius ducis noſtri exequijs conuenit: qui ætate nondum prouecta, gubernationis ſuæ anno ſexto à nobis ſublatus eſt. Nunc demum intelligo, quam vim habeat id, quod in dialogo de ſenectute Cicero ſcripſit, facilè in morbos incidunt iuniores, grauius ægrotant, triſtius curantur.

Sed non natura tantum hanc immaturam Principis noſtri mortem attulit, verùm alia ſubeſt cauſa interior, & multò grauior, fatum ſcilicet, quo vrgeri noſtrã Rempub. atq; adeo Germaniam, aliaq; regna propè cuncta non obſcurè cernimus. Quid enim vſpiam eſt ſolidi, aut integri, quod non concuſſum, labefactatum, conuulſum, & ad ruinam præcipitem inclinatum ſit? Labaſcunt omnia, tremit terra, minatur cœlum, mutantur mirabiliter ingenia, mores, ſenſus, & geſtus hominum. Quocunq; incidunt oculi noſtri, veterem conſuetudinem vitæ, & priſtinos mores requirunt. Neſtor apud Homerum gloriatur ſe tertiam hominũ ætatem viuere. Toties nimirùm viderat

factam

factam insignem mutationem hominum & morum. At nunc quoties annum decimum, aut quintum decimum egredimur, nouam quasi quandam ætatem, aut seculum ingredimur. Quæ tam crebra & inusitata hominum & rerũ mutatio nescio quid portendit: omen certè fati magnum habet. Induxit etiam nescio quod fatum iniquum, id in mores nostros, vt inusitata prorsus inter coniunctissimos necessitudine, officijs, & vsib. quotidianis diffidentia deprehendatur. Videmus & querimur omnes, plena esse insidijs, fraude, simulatione, & dissimulatione omnia. Quæ res mirabiliter distrahit, diuellit, & exulcerat animos & voluntates nostras, vt cui fidendum sit, vehementer dubitemus. Et si per officij munus liceat, vnusquisque malit extra mundum esse, quàm cum adeò peruersis ingenijs ac moribus conflictari.

Quod si votis & suspirijs nostris id tandem à Deo immortali impetrare possemus, vt quamprimum illucesceret ille dies, quo veniens filius Dei ad vniuersale iudicium, nos liberaturus est ab imminentibus & grassantibus tot tantisq; incommodis atq; periculis, quorũ recordatione nemo nostrum est, qui non intimis

ſenſibus exhorreſcat: nihil melius optatiusq́; nobis cōtingere poſſet Quid enim miſeris nobis ſpei aut præſidij relictū eſt, ſublato duce eo, cuius cura & vigilantia, poſt Deū immortalem, à multis incommodis vacui eramus? Quid eſt reliquum, quo ſolari noſtram orbitatem poſsimus, poſtquam oculum noſtræ Reipub. amiſimus? O miſeros nos in tantis periculis & calamitatib. ſine capite, ſine duce relictos! Quid ſine te ſumus, optime princeps, niſi grex paſtore ſpoliatus, aut liberi parente orbati? Tuam ergo mortem æquo animo ferre nemo noſtrum poteſt: Sed lugent te illuſtriſsima coniunx & liberi, mœrēt ordines, gemit Eccleſia, ſqualent ſcholæ, flent municipia, affligantur omnes ſubditi, agri deniq; ipſi tantū non edita voce & querelis dolorem indicant.

Sed quem tandem modum huic acerbiſsimo luctui opponemus & adhibebimus? Difficile equidem eſt modum definire atq; ſtatuere. Vltima certè hæc ſunt tempora, in quæ ætas noſtra incidit. Vt ergo in domo ruinoſa aut naui vetuſtate exeſa, multum ſordium & ſabuli colligitur: Sic in hac etiā vltima mundi ſenecta plurimum ſqualoris, morborum & viciorum exiſtere neceſſe eſt. Quò etiā ægrius

eſt

est corpus & infirmius, eò copiosiore tegumento & fomento indiget. Sic in hac quoq; collisione regnorum, confusione rerum,& defectione virium, auxilium & præsidium fortius desideramus. At vnde id petendum? A solo Deo,qui apud Prophetam sanctè pollicetur se non desertu-rum esse, aut abiecturum nos in infirmitate nostra, sed gestaturum & curaturum etiam in senecta. Ad hunc igitur fontem gratiæ in summis nostris angustijs confugiamus,ab eo opem,salutem,& defensioně petamus, huic nos totos tradamus & consecremus. Aderit is in posterum etiam nobis, nec relinquet nos orphanos, sed fouebit, nutriet, reget, & tuebitur nos, vt pater, vt pastor, vt præses & gubernator summus. Affirmat se nos gestare in aluo sua. Cuius igitur violentia esse poterit tanta, vt ex aluo Dei nos eripiat? Ventrem Dei perfodiat necesse est, qui nos lædere conatur. At ventre Dei quid valentius, quid magis munitum? Nihil igitur nostra salute & defensione certius.

Reliqui sunt tres inclyti filij impuberes, Christianus, Ioannes Georgius, & Augustus, in quibus non parum spei & præsidij locatum habemus. Hos vt Deus ratione, consilio, & intelligentia in dies sin-

ſingulos augeat, & ad gubernationis munus inſtruat oremus. Reliquæ ſunt filiæ duæ cum matre Chriſtianiſsima, de quibus non niſi ſumma nobis pollicemur. Supereſt caput Rom. imperij, Rudolphus II. cuius cura, prouidentia, ratione, conſilio & vigilantia, poſt Deum immortalem, tutam tranquillamq́; pacem trahimus. Hic vt affectione animi clementiſsima viduam illuſtriſsimam liberosq́; inclytos complectitur: Sic nos etiam ſubditos cura paterna fouebit & proteget. Supereſt agnatus proximus, Saxoniæ dux inclytus Fridericus Guilelmus, fortiſsimi ducis Guilelmi filius, caſtus fidelisq́; tutor religionis, iuſticiæ, & boni publici. Qui cum iam annis aliquot, quibus ducatui à patre relicto præfuit, documenta pietatis, prudentiæ, æquitatis, moderationis & induſtriæ præclariſsima dederit: dubium eſſe nullum poteſt, quin ſeptemuiratum quoque hunc, ducatumque adeò omnem tutelæ & adminiſtrationi ſuæ commiſſum ita geſturus ſit, vt religio vera colatur, iuſticiæ thronus ſtabiliatur, & tranquillitas pacis confirmetur. Ab eo igitur niſi ſumma & optima expectemus, amentes ſimus. Supereſt Ioannes Georgius Marchio

chio & elector Brandeburgicus, tutor alter, qui vt ætate, ſic authoritate etiam, prudentia & longo rerum vſu cæteros anteit. Hic vt viuum noſtrum ducē Chriſtianum, generum ſuum vnicè dilexit, & in oculis tulit: Sic mortui etiam viduam, liberos, & ſubditos curæ habebit. In hoc igitur tanquam in patre ſpei, opis, & præſidij plurimum eſt.

Supereſt Ioachimus Fridericus adminiſtrator Magdepurgici archiepiſcopatus, Marchio Brandepurgenſis, exemplum veræ ſanctitatis, imago virtutis, ſpecimen fortitudinis, firmamentum diſciplinæ. In hoc ergo ad bene ſperandum de noſtra Repub. quaſi ſignum aliquod Deus ſuſtulit. Supereſt Guilelmus Landgrauius, Heſſorum princeps, ex cuius pectore docto & polito conſilia ſaluberrima manant, quique documentum principibus eſt virtutis, antiquitatis, prudentiæ, humanitatis, & eruditionis. In hoc vt multum roboris eſt, ſic præſidij etiam multum ab eo ſperare poſſumus. Superſunt deniq;, ſi longius digredi liceret, complures Saxoniæ principes, ſerti rutacei vindices: ſuperſunt Marchiones Brandepurgici, ſuperſunt Landgrauij Haſsiæ. Hi principes, tutores,

&

& patroni tot & tam valentes opibus, præſidijs, ſapientia, & fortitudine non ſolùm viduam illuſtriſsimam, inclytamque ſobolem, ſed nos etiam ſubditos in hac orbitate noſtra, conſilio, opera, & alijs rebus, quibuſcunque opus fuerit, iuuabunt & conſolabuntur.

Hac igitur ſpe miſeriam noſtram ſolemur, & Deum æternum patrem domini noſtri Ieſu Chriſti, fontem ſapientiæ, bonitatis, miſericordiæ, & ſalutis omnis, aſsiduis ardentibuſque votis oremus, vt cladem hanc, & calamitates cæteras Eccleſiæ & Reipub. pro ſua immenſa clementia mitiget, inclytam domum Saxonicam foueat, amplificet, & conſeruet, mœſtam viduam, principem noſtrã clementiſsimam, vnà cum filijs, dominis noſtris generoſiſsimis, & filiabus inclytis conſoletur & erigat: tum nos etiam ſubditos ita regat & moderetur, vt in vera animorum conſenſione, voluntatumq; coniunctione, religionem veram colamus, iuſticiam ſectemur, & pace commodisq; animæ & corporis fruamur.

FINIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM MEMORABILIVM IN HAC SECVNDA parte millenarij sexti.

A.

ACademia Rostoch. 531
Acad. Vvittb. 438
Acad. Franc. 492
Academia Iulia 522
Adalgerius primus Bauariæ rex 319
Adelbertus archiepisc. Mogunt. 63
Adelbertus I. archiepisc. Magd. 100
Adelgotus comes à Loë archiepisc. Magd. 103
Adelbertus Episcop. Patau. 273
Adiaphoristicũ bellum 460.
Adolphi imp. Rom. impetus in Fridericũ & Diceman. 384. Eius sæuitia in Duringia 385
Adolphus Anhald. princeps Episc. Mersepurg. 251
Adolphus Nassou. archiepisc. Mogunt. 67
Adolphus Schauenpurg. archiepisc. Colon. 82
Adolphus Egmondanus Geldriæ dux 545
Adolphus Bergensis comes 544
Adolphus Schaumpurg. Holsatiæ & Slesuici dux 540
Adolphus IV. Adolphus V. Adolphus VI. Schaumpurg. Holsatiæ & Slesuici duces 540
Afra 186
Aganus episc. Eichstet. 196
Agilolphus archiepisc. Colon. 71
Agritius 87
Albanus 186
Albertus rex Boiem. 46
Albertus Marchio Brandepurg. 491. archiepiscop. Mogunt. elector. Cardinal. 69. archiepis. Magdeb. 121. Episc. Halberstad. 205. 332
Albertus comes à Sternberg. archiepisc. Magdeb. 115
Albertus comes à Quernfurd archiepisc. Magdeb. 116
Albertus dux Brunsuic. episc. Halberstad. 201
Albericus episc. Mersepurg. 240.
Albertus de Bornis episcop. Mersepurg. 245

Alber-

Albertus Sax. dux episcop. Patauiens. 278
Albertus à Vvinckel episc. Patau. 278
Alberti duces Monaci mors 306
Albertus Straubing. & Holland. dux 372
Albertus cum trica exarchus Austriæ 340
Albertus patiens archidux Austriæ 340
Albertus II. Austriæ archidux sapiens ibid.
Albertus V. archidux Austriæ ibid.
Albertus superbus Marchio Misn. 371
Albertus degener Landgrauius During. Marchio Misn. 376. 396. 404
Albertus Vrsus marchio Brand. 482. Anhaldiæ princeps 523
Albertus I. dux & elector Sax. VVestualiæ 416
Albertus II. dux & elector Sax. 417
Albertus III. Marchio & elector Brand. 488. Achilles Germanicus & Vlysses dictus 489
Albertus V. senior Marchio Brand. Vasallus Poloni regni, primus dux Boruss. 499
Albertus VI. Iunior marchio Brand. 500 eius bella 501
Albertus Megapolensis dux 530
Albertus II. rex Sueuiæ 530
Albertus comes Suerinens. 532
Albertus I. Teccensium dux 548
Albertus comes Mansfeld. 583
Albinus dux Bauar. episc. Merseburg. 242
Albio Angriuariæ dynasta 539
Aldenburgensis sedes Lubecam translata 288
Aldenburgum arx 565
Aldenburgenses comites 565
Aldenburgense colloquium 450
Alemannicum regnum 347
Alfridus episc. Monast. 283
Almannus vel Alram primus marchio montis Ferrati 361
Alphonsus Carittus 362
Altmannus episcop. Patau. 274
Altdorff Noribergensibus erepta 503
Aluensleben comitatus diœcesi Magdeburg. subiectus 107

Amberga vendita 326
Amandus episc. Vvormat. 162. 175
Amolarius Fortunatus Treuirensis archiepisc. 90
S. Anno archiepisc. Colon. 73. 97
Antonius Schauenpurg. archiepisc. Colon. 82. episc. Mindensis 232
Ansgarius S. Bremensis archiepiscop. 129
Andreas de Dieba episcop. Mersepurg. 248
Angelocella cœnobium cisterciense extructa 278
Anabaptisticum bellum 284
Anhaldini principes 522
Anthyrius Herulorum dominus in Vvagria Megapolitanæ conditor 527
Aribo I. archiepisc. Moguntin. 62
Arnoldus archiepisc. Mogunt. 63
Ariani 88
Argentinensis episcopatus fundatio 161
Arbogastus episc. argentin. 162
Archimarschallus 140
Argentinenses episc. nobiliss. dicti 163
Argentina proscripta 164
Argentinense bellũ 164. 170 eius causæ 167. 168. 169
Ara aurea 169
Arnoldus episc. Mersepurg. 243
Argentoratensis Ecclesiæ reformatio 309
Arnoldus Luidpoldi fil. Bauariæ rex 312
Arnolphus comes in Schiren palatin. Rheni & ducum Bauar. pater 300
Aribertus præses Sax. 523
Aribertus Herulorum regulus conuersus 528
Arnoldus Egmondanus Geldriæ dux 545
Asimus I. Curiens. episc. 194
Ascania à Sax. amissa 156
Ascanij vnde 522
Ascania gens ibid.
Ascania vrbs ibid.
Ascenes filius Gomeri ibid.
Aschersłebia ibid.
Athanasius 87. 172
Augustæ S. Mauritij templum conditum 187
Augusta oppugnata 187 proditione capta 463
Augustus Sax. dux archimarschallus 465. 466. 467. 468. Burggrau. Magdeburg. 124. Misnen. episc. 160. Mersep. episc. 254. episc. Cic. & Numb. 265. eius parentatio.
August. II. dux Sax episc. Cic. & Numpurg. 265. 277

Augustana confessio 227. 230
Augustanus episcopatus 186
Auitus 89
Austriæ nomen 336
Austria marchia in ducatum conuersa 337
Austriaca familia intercidit 338
Austria ad Rudolphi posteros translata 339
Austriæ diuisio 341
Austria occupata ab Vngaris 342
Austria in Habspurgens. comitum potestatem peruenit 349.
Austriæ duces 336
Austriæ & Styriæ feudum venditum à diœcesi Pataviens. 277
Azo Estensis 519.

B.

Barnimus Pomeran. dux 534
Barnimus IX. dux Stetin. Pom. Rug. princeps 537
Bambergensis Episcopatus 96. 139. eius vastatio 503
Bambergæ comitia habita 140
Baldericus Episcop. Spirens. 272
Balthasar Merclinus Episc. Constant. 193. Hildesheim. 218
Basilica cathedralis consecrata 140
Bardo S. alter Chrysostomus dictus episc. Mogunt. 62
Bathidis Beringeri filia 354
Bauari à Boemis oppressi 29
Bauaricum & Boëmicum fœdus 325
Bauariæ titulus in contentionem venit 326 eius variæ vices 322. eius translatio 323. & eius ducum origo 324. vastatio 334. Ecclesia reformata 217. 321. confessio 336. eius situs 318. regni initium ibid. eius diuisio 301. bellum 303
Benedicti S. ordinis monasterium conditum 97. 140. 90
Bernhardus Halberstadens. episc. 98
Bergense monasterium ibid.
Bernhardus comes à Vvelpe archiepisc. Magd. 108
Bertholdus princeps Henneberg. 561. Mogunt. archiepisc. 68
Bertholdus Henneberg. comes 561
Bernhardus comes Ascaniæ 524

Belgra-

Belgradum occupatum
Bernhardus comes à Lip. Episc. Liuon. 574
Bellum silentio & spe auxilij diuini sedatum 119
Benno episc. Misnens. 149. 159
Bernhardus episcop. Misn. 151
Bertholdus à Sternberg. 183
Berchingen opp. episcop. Eichstetensi donatũ 189
Bertholdus Baro à Lansberg. episc. Hildesheim. 212. Episcop. Verdensis 226
Bertholdus I. episc. Numb. & Cicen. 258
Bertholdus II. episc. Numb. & Cic. 258
Bertholdus episcop. Patau. bellicosus 277
Bernhardus Rasfeld. episc. Monast. 286
Beringerus Ballenstati & Ascan. dominus 354. Sax. rex & dux magnus 360. baptisatus 359
Bertholdus Sax. dux 357
Bernardus seu Benno Sax. Angr. Vvestphal. dux I. Elector Sax. 410. 482
Bernardus dux Sax. dynasta Luneb. 410
Bernardus Vrsi march. Brand. filius dux & elector Sax. 414
Beringus Vrsinus 522
Berlinum conditum 523
Bernauum conditum ibid.
Bernardus princeps Anhald. 527
Bergensis comitatus 545
Bergenses principes 543
Biponti & Simerienses duces 304
Bilingus Herulorũ rex 529
Bicha Ecclesiæ Misnens. adiecta 147
Bircauium expugnatum 116
Bitschensis comitatus 571
Blassenburgũ obsessum 504
Boiemi Misna expulsi 567
Bodicus Sax. dux 311
Boiemiæ situs 2. nomen 3. eius duces 3. eius rex primus 19. priuilegijs & immunitatibus aucta 28. cur eius duces non reges nominati fuerunt post Vratislaum 21. cur non amplius titulum regni Polonici vsurpent 37. eius Marchio 32
Boleslaus caluus dux Lignicens. 558
Boleslaus princeps Suidnicens. 558
Bonifacius S. archiepiscop. Mogunt. 321. 291. Episcopatus Vvurcepurg. autor

tor 180. archiepisc. Colon. 71. 271
Boso episc. I. Mersep. 237
Borna 399. 388. 389. 391. 396
Boleslauia condita 10. muro circumdata 13
Boleslaus I. Boëm. dux ibid.
Boleslaus II. Boëm. dux 14
Boleslaus III. Boëm. dux 15
Borziuogius dux Boëm. 7. Baptisatus 8. eius fuga in Morauiam 9
Borziuogius III. dux Boëm. 21. exul 22
Brentius 554
Bretislaus Boëm. dux 17. 18. 19.
Brochusiani comites 577
Bruno archiepisc. Colon. 71
Bruno S. 92. episc. Vvurcepurg. 180. 181. & Dominus Querfurdi 586. martyr. 589
Bremensis Ecclesiæ fundatio 128
Bremensium episcoporum series 129
Bregenses duces 556
Brix 138
Brixiensis episcopatus ibid.
Brunec arx Eichstatensi episcopat. adiecta 199
Brunsuicensium clades 216
Bruno à Vvalbec, episcop. Mersep. 241
Breitinga 260
Bruxellæ Euangelij libertas 316
Bruno I. Misnens. marchio 367
Brunsuicense bellum 444
Brunsuicensium & Lunepurg. principum familiæ autor 519
Brunsuicensis ducatus diuisio 520
Brandepurgum 478
Brandepurgensis Marchio vendita 485. in potestatem Obotritorum venit 482
Brandeburgensis episcopatus 266
Brandepurgici Marchiones cur duces Pomeran. Stetini. Cassuborum & Vandalorum 488
Brunico Marchio Brandepurg. 480
Bruga 525
Bulla indulgentiarum in Boëmiam allata 43
Burckhardus archiepiscop. Magdeb. 106
Burggrauiatus Magdepurg. venditus 109. institutus ibid & 418
Burgouienses marchiones 604
Burchardus comes Blanckenburg. archiepiscop. Magde-

Magdep. 109
Burchard. à Schrapelau archiepisc. Magd. 110
Burchardus I. præsul Ecclesiæ Misn. 146
Bucha Ecclesiæ Misnensi adiecta 147
Budissinensis Ecclesiæ fundator 150
Burandus comes Litzelstein episc. Argentin. 164
Burcardus Anglus episcop. Vvurcep. 180
Buchornum captum 192
Burchardus ab Oberg episcop. Hildesheim. 219
Burchardus à Querfurd. episc. Mersep. 248. 586
Burcardus episc. Numb. & Citen. 256
Burggrauij Magdeburg. 418
Burgundia 342
Bugslaus XIII. Stetin. & Pomer. princeps 538
Bugslaus XIV. Stetin. & Pomer. princeps ibid.
Bugslaus I. Cassuborum Burgau 604. & Pomeran. dux 535
Bugslaus II. Stetinensi I. dux ibid
Bugslaus X. Pomer. Stetin. Vvolgasti dux 537
Burggrauius 418
Burggrauij dignitas Magdeburgensibus vendita 419.

C.

Cœnobium virginum prope Cizium 257
Cœcus pugnat 38
Cattimelibocensis comitatus 510. de eodemq; controuersia 513
Cassubij 435
Carinthia Boiemiæ accrescit 30
Carolus Morauiæ Marchio imperator 38
Carolus IV. Boiemiæ rex 39
Cameræ imperialis instituendæ autor 68
Calba capta 118
Capellatium 299
Carolus Mansfeldiæ comes 584
Carolus Vvilhelmus comes Nassou. 570
Carolus Burgundus 545. 546
Canutus Daniæ rex 540
Cameracum oppidum 524
Carolus Magnus 538
Carolomannus Francus 355
Carolus archidux Austriæ 344
Cassianus S. 138
Caspar à Malditz 382
Caspar à Schonberg, Episc. Misnen. 156
Carolus Lotharingus episc. Argent.

Argent. 169
Casimirus marchio Brand. 497
Casparus comes à Schlick 574
Carolus V. Rom. imperator 343
Carolus Marchio Badensis 334
Carolus Ludouici II. imperat. filius 320
Carolomannus Ludouici II. filius 320
Carolus Megapolitanus dux episc. Racepurgi 269
Certamen de libertate Ecclesiæ Misn. 153
Certamen de sessione in Synodo 62
Certamen inter duos Archipræsules 67
Certamen de sacerdotum coniugio 275
Certamen de electoratu Sax. 422
Chilianus S. 179
Chonon S. 92
Christianorum persecutio 86. 185
Christianus II. archiepisc. Mogunt. 65
Christianus dux & elector Sax. 473. Episc. Mersepur. 254. Episc. Numbur. & Cicen. 265. Episc. Misnen. 160
Christianus II. dux Sax. 477. Episc. Misn. 160
Christophorus dux Vvirtenberg. 555
Christianus IV. rex Daniæ 543
Christianus I. rex Daniæ, Noruegiæ, Sueciæ 542
Christophorus Palatinus Rheni & Bauariæ dux 331
Christophorus Schachnerus episc. Patau. 281
Christophorus Megapolitan. dux episc. Racepurg. 269
Christophorus à Schulenpurg episcop. Racepurg. 268
Christianus Vvitzleben episc. Cicen. & Numbur. 261
Christophorus dux Brunsuic. episc. Verdens. 226
Christophorus Metzlerus I. D. episc. Constant. 193
Christophorus à Stadion episc. Aug. 190
Christianus Anhald. princeps 170
Ciza vastata 388
Cicensis Ecclesiæ fundatio 254
Cicensis episcopatus translatio 255
Cistertiense cœnobium 278.

Clemens S. 95
Clodoueus Francorum rex 162. 191
Cliuenses principes 543
Claudius Drusus Nero 506
Cnautus 388
Coloniæ situs 69
Coloniensis episcopatus septemuiralis dignitas 73
Colonicæ ecclesiæ reformatio 80. eiusq; primus doctor 70. Coloniensis archiepiscopatus 71
Coruus ingens conspectus Colon. 74
Coloniensis Academia eiusque primi professores 78
Constantius 270
Corbinianus S. episc. Salispurg. 282
Conradus à Ritberg episc. Monast. 284
Cosonus Turcarum dux 308
Conuiuium sine pane 335
Consistoria instituta 456
Conspiratio ficta aduersus Lutherum 512
Constitutiones elect. 469
Concordiæ formula 471
Coburgica ditio quomodo ad Sax. peruenerit 563
Corona grandis 173
Comes à Gleichen bigamus 596
Colonatus 179
Constantiensis episcop. 191
Constantina synodus 192
Corbiciorum nobiles 607
Craft episc. Misnen. eiusque mors horrenda 148
Creutzpurgum captum 385. 387
Crosna Ioanni Saganensi duci data 491
Crossensis ducatus 493
Crocus Boiemorum rex 4
Crasnicus 5
Crosig oppidum 106
Crescens Pauli discipulus 57
Cunigindis Canonisata 142
Cunradus Baro à Sternberg archiepisc. Magdep. 107
Cunradus comes Querfurd. archiepisc. Magdep. 104. 586
Cunradus Baro Vvinsberg. archiepisc. Mogunt. 67
Cunradus I. Boiem. dux 20
Cunradus II. Boiem. dux 27
Cunradus à Ritberg episc. Osnabrug. 228
Cunradus dynasta Donensis 605
Cunradus Saltouer Theol. Doctor episcop. Verdensis. Errores pontificiæ Ecclesiæ perstrinxit 225
Cunradus II. à Pfaffenhusen episc. Eichsteten. 198
Curienses episcopatus pincernæ archiduces Austriæ 195

Curienſis epiſcopus titulo principis vtitur 194
Curienſis Rhetorum epiſcopatus 193. 8000. florinis auctus 195
Cunradus à Rabenſpurg. 182
Cunradus baro à Buſuang. epiſcop. Argent. 165
Cunradus de Vvalhuſen epiſc. Miſn. 153
Cupri initium 582
Cunradus dux Glogouiæ, Croſnæ 558
Cunradus Baro Beutelſpachenſis, Vvirtenbergenſis comes 548
Culmbachium oppugnatum 504
Cuſa monachis tradita 297
Cunradus Sueuiæ dux 347
Cunradinus Sueuię dux 347. eius res geſtæ & mors 347. 348
Cunegunda Iſenburgia pellex 376. 378
Cylnpurgi comites 575
Cyrillus 9.

D.

Daganus archipræſul Magd. 101
Dagobertus 162
Dachſteinum 171
Daniel Brendelius archiep. Mogunt. 69
Danhauſen arx epiſcopatui Eichſtetenſ. adiecta 199
Daniæ regum ſtirps 542. 565
Daniæ Eccleſiæ reformatio 543
Dala 258. vendita 259
Daſſel oppidum captum 214
Daſſelienſes comites 598
Dauid Vngnad Baro in Sonneck 581
Dedo Sorbeci Burggrau. comes Vvetini 364
Dedo Diterici filius Luſatiæ Marchio 365
Dedo craſſus comes Rochlicenſ. Marchio Miſniæ 370
Delmenhorſtenſes comites 565
Delmenhorſt arx extructa 565
Dicemannus Landgrau. During. Marchio Miſn. 376. 379. & ſequentib.
Dillinga epiſcopatui Auguſtano donata 189
Dillingæ gymnaſium 190
Dionyſius 186
Diſſidium inter Sax. & Heſſos 214
Diſſidium inter epiſc. & canonicos 226
Diſſidium inter capitulum & ciuitatem Magd. 122
Diſſidium inter ciues & canonicos 229

Ditmarus episcop. I. Boiemiæ 14
Dithericus comes Isenburg. Mogunt. archiepisc. 67
Ditmarus comes episc. Mersepurg. 237
Ditmari chronicon. ibid.
Dithericus I. episc. Cicen. & Numb. 257
Ditericus II. comes Bremensis Cicen. & Numb. episc. 258
Ditmarus Salispurg. antistes 273
Ditericus dux Angriæ & Sax. rex 354. 355
Ditericus comes Ringelheimij 362
Ditgremus Zorbeci Burggrau. 363
Ditmarus comes Vvetini Burggrau. Soraborū 363
Ditericus Marchiorū Misn. electorumq; Sax. pater 364
Ditmarsi 539
Ditericus Othonis filius Marchio Misn. 371
Ditericus Dedon. fil. Soraborum Burggrau. comes Mersepurgi, Vvetini, Ilenpurg. 365
Dolanus ad Mosellam episc. 95
Donenses, Barones & Burggrauij 605
Dedo episc. Osnabrugens. & pontifex. Rom. 228
Drahomira Boëmiæ regina 10. terræ hiatu perijt 12
Dresdensis pons in Albi vectigalis Donensibus dynastis 605
Dresda vendita 151
Duringi Francorum tributarij 353
Duringia vastata 365. fame laborans 403. vendita 384
Duringiæ Landgrauius primus 372
Duringiæ Marchia Misniæ adiuncta 367

E.

Eberardus barbatus dux Vvirteberg. 549. 550
Eberardus I. antistes Bamberg. 140
Eberardus Marchio Suinfurd. episc. Eichsted. 197
Eberardus Vvidensee 205
Eberardus Ascaniæ princeps 383. captus 384 liberatus ibid.
Eberardus Vvalpurgius baro 578
Ecbertus Misnensis Marchio 208
Echardus episc. Mersepurg. 244
Eckardsbergum 259. obsessum 399. 407
Eckardsbergensis arx con-

dita 368
Eckardus Marchio Misnen. 367
Eckelinus episc. Mersepurg. 243
Eckelinus dux Bauariæ episcop. Mersep. 241
Edelhardus Sax. rex 355
Egimo episc. Curiens. 194
Eichstetensis episc. fundatio 195. 196
Eichsteti nomen 195
Eichstetense cathedrale templum extructum & ampliatum 196
Eichstetenses episc. pacis amantes 199
Einbecum occupatum 520
Elmenau oppignoratum Magdepurg. 118
Emmehardus episc. Mecklinburg. 288
Engelbertus S. comes Bergensis archiepisc. Col. 76
Engelbertus nobilis à Falckenburg. archiepisc. Colon. 77
Engelhardus episc. Cicen. & Numb. 258. primus defensor Eccles. Numb. ibid.
Episcopi officium 65
Episcopus in corpus domini iurans 112
Episcopus vxorem habens 194
Episcopus non armis sed literis deditus 209
Episcopale bellum 210
Eppo episc. Mersep. 242
Erasmus Schenck à Limpurg. episc. Argent. 165
Erchenfridus Patau. episc. 269
Erckenvvaldus episc. Eichsteten. 196
Erenberga arx occupata 517
Eremita 70
Erfurd. tumultus 68
Erfurdensis Academia 183
Erfurdensis campana magna 259
Erfurdense bellum cum Friderico forti 401
Erfurdensis fames & pestis 403
Erfurdensis templi cathedralis fundator 291
Ericus dux Brunsuic. captus 215. Episc. Badeborn. 221 episc. Osnabrug. 229. episc. Monasteriens. 298
Ericus I. dux Pom. rex Sueciæ & Dan. 536
Ericus III. dux Pom. 538
Ericus dux Megapol. Rostochiensis Academiæ rector 532
Erimbertus episc. Frising. 282
Erlangus episc. Vvurcepurg. 181
Ericus Marchio Brandepur. archie-

archiepisc. Magdep. 108
Ernestus Bauariæ dux 84. episc. Patau. 281. & Salispurg. 128. Monaster. 287. mortuus 330. episc. Hildesheim. 220. Leodiens. 236
Ernestus Sax. dux archiepis. Magdep. 120
Ernardus vel Eiluardus episcop. Misn. 147
Ernestus episcop. Halberstadensis 204
Ernestus comes Schauenpurg. episc. Hildesheim. 211
Erpo episc. Verdensis 224
Eucharius S. 85. Episc. Patau. 269
Euerardus comes Seburgi episc. Mersep. 244
Exorcismi abrogatio 476
Ezo Episc. Lubecensis 287
Ezike episc. Lub. ibid.

F.

Fabianus à Dona 608
Fœdus hæreditarium inter duces Sax. & Landgrau. Hassiæ 373
Fœdus inter Sax. Brandeb. & Hass. 489
Falckenstein arx extructa 188
Fanlinus legatus pontif. 50
Ferdinandus Rom. imp. 344
Ferdinandus archidux Austriæ ibid.
Ferdinandus Philip. Boiem. rex 56
Finarij marchiones 362
Fides violata 176
Fiessa vendita 325
Fladenkrieg 443
Flacius 460
Florianus episc. Patau. 269
Franciscus à Vvaldeck episcop. Monasteriens. 284. episcop. Osnabrug. 230
Franckenstenum 387
Francofurtana synodus 147
Francofurdianæ ad Oderam Academiæ cancellarius primus 268
eius Academiæ fundatio 492
Franciscus I. Stetin. & Pom. dux 538
Fraus episcopi 214
Friberga capta 391
Fribergensis ecclesiæ collegiatæ fundatio 157
Fridericus Boëm. dux 26
Fridericus archiepisc. Magdeburg. 104
Fridericus ab Hoim. archiepisc. Magdep. 116
Fridericus comes Bichling. archiepisc. Magd. 119
Fridericus Marchio Brandeb. 495 archiepiscop. Magd. 123. episcop. Halber-

berstad. 206

Fridericus Baro Blanckenheim. episcop. Argentin. 164

Fridericus Baro à Bolanden episcop. Spiren. 173

Fridericus Vrspergerus episcop. Vvurcepurg. 184

Fridericus comes Montfordensis episc. Curiens. 194

Fridericus comes Oetingen. episc. Eichstetensis 199

Fridericus Holsatiæ dux episc. Hildesheim. 219

Fridericus episcop. Traiect. 233

Fridericus à Torgau episc. Merseb. 245

Fridericus ab Hoymo episc. Merseburg. 248

Fridericus episcop. Numb. & Cicen. 254

Fridericus ab Oetingen episcop. Patau. 281

Fridericus de Vveida episc. Monast. 284

Fridericus III. elector & archidapifer Palatin. 312

Fridericus IV. Palatinus Rheni 315

Fridericus imperator 332. 333

Fridericus pulcer Aust. exarchus 339

Fridericus III. Austriæ exarchus 341

Fridericus Barbarossa 283. 238

Fridericus cum admorsa gena 378. 379. & seq.

Fridericus grauis & mater 404. Rom. imper. designatus 405. eques auratus 406

Fridericus de Vvangenheim 406

Fridericus pacificus 407

Fridericus strenuus ibid.

Fridericus bellicosus During. Land. ibid.

Fridericus Vvilhelmus Sax. dux & administrator VIIuiratus 450

Fridericus Norinberg. Burggrau. 486

Fridericus II. marchio Brandepurg. cum ferreis dentibus 487

Fridericus V. marchio Brandepurg. 497

Fridericus dux Brunsuic. & Lunep. 521

Fridericus comes Mumpelgard. Vvirtenberg & Teccensis dux 556

Fridericus I. / Fridericus II. / Fridericus III. / Fridericus IV. } duces Lignicens. 559

Frinsingensis episc. 282

Frisij sub potestatem Rom. subiecti 507

Fri-

Fripurgum captum 386
Fronsbergij 618
Fuggarorum comitatus 573
Furstenbergij comites 576

G.

Gabriel ab Eyb episc. Eichstet. 200
Gandaui liberum Euangelij præconium 316
Gebhardus archiepisc. Mogunt. 66. eius superbia ib.
Gebhardus Truchsesius archiepisc. Colon. 83
Gebichstein 102. 114
Gebhardus episc. Spirensis visu priuatus 172
Gebhardus comes de Kalouu episc. Eichstet. pontifex Germ. 197
Geldriæ ducatus ad Iuliacens. translatus 544. venditus 446. in potestatem Burgundiæ ducum peruenit 546
Geilana 179
Georgius palatinus episcop. Spirensis 175
Georgius ab Egemunda episc. Traiect. 234
Georgius austriacus episc. Leodiens. 236
Georgius Anhaldinus 252 præpos. Magdep. & canonicus Merseburg. 525
Georgius II. } Georgius III. } Stetin. & Pomer. duces 538
Georgius Haubitius episc. Cic. & Numb. 262
Georgius à Blanckenberg episc. Hauelpurg. 267
Georgius à Blumendal epis. Lebusiensis & Raceburg. 268
Georgius ab Hohenloë episc. Patau. 279
Georgius comes Oeting. 389
Georgius barbatus Sax. dux 451
Georgius II. pius Brandeb. Marchio 497
Georgius Fridericus Marchio Brand. 505
Georgius Landgrau. Hassiæ 514
Georgius I. } Georgius II. } Bregens. & Ligic. duces 559. 560
Georgius Ernestus Henneberg. princeps 564
Georgius Helffensteinij comes 576
Gerardus Slesuicensis dux 541
Gerardus I. } Gerardus II. } Gerardus III. } Gerardus IV. } comites Iuliacens. & Bergens. 543. 544
Gero marchio Brandeb. 480

Gerenrodense monasterium conditum 480
Germanicum bellum 457. 512
Gerfridus episc. Monaster. 283
Gerardus episc. Patau. 269
Gero episc. Hauelberg. 266
Gero Lusatiæ Marchio, Burggrau. Magdep. 418
Gerardus comes Schvvartzpurg. episcop. Cicen. & Numb. 260
Germanorum certamina cũ Boiemis in Academia Pragensi 40
Geruilio archiepisc. Vvormatiensis 58. 176
Gero archiepisc. Magdep. 102
Geribaldus episc. Ratispon. 137
Geroldus episc. Vvormatiensis 176
Gerochus episc. Eichstetensis 196
Gerardus Baro à Berg episc. Hildes. 209
Gerardus episc. Mersepurg. 242
Geuehardus de Schrapelau episc. Mersepurg. 246
Giselarius episc. Mersepurg. 237. archiepisc. Magdep. 101
Glogouiense bellum 559
Goarus 88
Gorlicium conditum 23
Gommern oppignoratum Magdepurgicis 118
Gotbaldus vel Godebaldus episc. Misn. 150
Gosbertus 179
Godefridus Baro à Limburg. episc. Vvurcepurg. 184
Gotbaldus comes Henneberg. 561
Gotfici in Austria cœnobium ædificatum 274
Gotfridus à Vviseneck episcop. Patau. 278
Gothi fusi 351
Gotha obsessa 398. 469
Godeschalcus S. Henetorum princeps 290
Grima 258. 392
Grimensis illustris schola 296
Gripsvvaldensis Academia fundata 536
Groninga occupata 451
Groicensis comitatus 599
Guelphus Bauarus 538
Guilelmus ambitiosus dux Austriæ 341
Guilelmus medius Hassiæ comes prouincialis 510
Guilelmus Landgrau. Hess. 514
Guilelmus II. & III. comes Iuliacens. & Berg. 543

Guil-

Guilelmus IV. marchio & dux Iuliac. 544
Guilelmus Iuliac. & Berg. dux 547
Guntherus I. episc Cic. 256
Guntherus II. & Num. 257
Gunther⁹ comes Schvvartzburg. archiepisc. Magd. eiusq; bellum cōtra principes Anhaldinos 118
Guntherus comes à Sualenberg archiepisc. Magdep. 108
Guntherus episcop. Hildesheim. 207
Gustrouij collegium canonicorum conditum 530
Gustrouium ad Megapol. duces translatum 531
Gunther⁹ comes Schvvartzpurg. imperat. 567
Guntherus bellicosus comes Schvvartzpurg. 567
Guntherus comes Mansfeld. 583

H.

Haina oppugnata 382
Hainum opp. 258
Hagbertus episc. Traiectensis 235
Halberstadensis episcopatus fundatio 200. translatio ibid.
Halberstad. 201
Halberstadensium ciuium tumultus in senatum 202 203
Halberstad. obsessa 203 libertatem amisit 205. eius religio reformata ibi.
Hamburgensis Ecclesia 128
Hanouienses comites 571
Hansatica ciuitas 79
Hartmannus comes Vvirtenberg. episcop. Curiensis 195
Hartuicus archiepisc. Bremensis 288
Hartmannus episc. August. 189
Hartzburgum expugnatum 118
Hardouicus archiepisc. Magdep. 103
Hassia occupata 372
Hassiæ Landgrauij 506
Hatto archiepisc. Mogunt. eius dolus, quo Albertum comitem Bambergensem decepit 59. à diabolis abreptus ibid.
Hatto à muribus consumtus 61
Hatto Runharius episc. Pataniens. 273
Haubitius 388
Hauelpergensis episcopatus 266
Heberardus episc. Cicen. & Numb. 256
Heinspurgum arx 263

Heidelbergæ integer S. cœnæ vſus inſtitutus 309
Heidelbergenſis Academia 304
Heideccus ab Erpe archiepiſcop. Magdep. 114. Helffenſteinij comites 576
Helueticum & Sueuicum fœdus 327
Helmgutus 158
Henricus epiſcop. Conſtantienſ. 192
Henricus de Reicheneck epiſc. Eichſteten. 199
Henricus Vvinckelius 206
Henricus filius epiſc. Halberſtad. 207
Henricus Sax. dux Lauenb. epiſc. Badebornenſ. 223
Henricus dux Auſtriæ 338
Henricus Placidus Archidux Auſtriæ 340
Hengiſtus dux & rex Sax. 352
Heneti bello ſuperati 353. è Saxonia eiecti 364. in Marchiam infuſi 480
Henricus auceps imperator Rom. 357
Henricus Claudus Rom. imperat. 357
Henricus Marchio Miſnenſ. munificus & illuſtris 372
Henricus puer Duringiæ Landgrau. 562. epiſcop. Merſepurg. 246
Henricus ab Ende 383
Henricus Lipſicus 383
Henricus ſuperbus Bauariæ dux & elector. Sax. 412. proſcriptus ibid.
Henricus Leo Sax. dux & elector. eius bella 290. Luneburg. dux 519
Henricus Brunſuigæ dux 437
Henricus Alberti filius Sax. dux 454
Henricus mirabilis dux Brunſuic. & Lunæp. 520
Henricus ſenior dux Brunouic. & Lunæp. 521
Henricus Iunior dux Brunſuic. & Lunæp. ibid.
Hennebergenſes principes 561
Hennebergenſis ducatus ad Landgrauium Haſſiæ peruentus 564
Henricus à Vvarin epiſcop. Merſeburg. 245
Henricus ab Ammendorff epiſc. Merſep. 246
Henricus Stolberg. comes epiſc. Merſep. 247. epiſc. Cicen. & Numb. 260
Henricus à Stolburg. epiſc. Merſep. 248
Henricus Schutzmeiſter epiſc. Merſep. 248
Henricus Stammerus epiſc. Cicen. & Numb. 261

Henri-

Henricus Bergmeier episc. Raceburg. 268
Henricus cæsar 275
Henricus Flöckel I.D. 279
Henricus de Cattenelnbogen Monasterienſiũ princeps 283
Henricus Vvolff Monasteriensis episcop. ibid.
Henricus sanctus Bauariæ dux 336. proscriptus 322 rebellauit imperatori 321. mortuus 322
Henricus Hazelo vel Hezilo, Bauariæ dux 321
Henricus Boiem. dux 27
Henricus Boiem. rex dux Carinthiæ 34
Henricus Silesiæ dux 37
Henricus comes Firnenburgens. archiepisc. Mogunt. 66
Henricus archiepisc. Magdepurg. 103
Henricus princeps Anhald. archiepisc. Magd. 110
Henricus S. imperator 142
Hentanus 180
Henricus comes à Geisenhausen episc. Augustan. 187
Henricus à Schauuenburg. episc. Mindensis 231
Henricus Obotritorum regulus 529
Henricus Bureuimus II. vandalorum & Megapolensium princeps 529
Henricus Leo princeps Megapol. 530
Henricus pinguis dux Megapol. 531
Henricus ab Husen episc. Hildesheim. 211
Henricus Leo Bau. dux Sax. elector. 412
Henricus pacificus Megapol. dux 532
Henricus Ferreus Holsatiæ comes 540
Henricus dux Slesuici 541
Henricus obesus princeps Lignic. 558
Henricus comes Schvvartzpurg. 566
Henricus diues comes Nassouij 568
Henricus eques aurei velleris comes Nassouij 569
Hermannus Misniæ marchio 368
Hermannus Bilingus 408. Luneburg. ducatus autor 518. comes Nortellingiæ & Holsatiæ 539
Heribertus episc. Eichstetensis 197
Herrmannus episc. Verdensis 225
Hermannus Bonnus episc. Osnabrug. 230
Heruli qui 528

Heribertus comes de Rotenburg. archiepisc. Mogunt. primus dignitatem VIluiralem in hunc episcopatum tulit 73
Hermannus comes de Vveda archiepisc. Colon. 79. 221. 223
Herbipolis 183
Hessi 506
Hieronymus S. 88
Hieronymus Pragensis 39
Hieronymus Landus 51
Hildevvardus episcop. Halberst. 99
Hildebrandus archiepiscop. Magdeb. 106
Hildegrinus Ecclesiæ Halberst. præsul 201
Hildesheimensis episcopat. eiusq; translatio 207
Hildesheimensis obsidio 208. 209. 210.
Hildesheimense bellum 212
Hildesheimensis episc. bellum cum Brunsuic. ducibus 213
Hildesheimensibus tredecim arces abreptæ 217
Hildesheimij religio reformata 220
Hildevvardus episc. Cic. & Numb. 255
Hilpericium pagus episcopatui Mersepurg donatus 237
Hirsbergensis comitatus episcopatui Eichstetensi datus 198
Hiringus episc: Vvurcepur. 183
Historia de nongeminis 587
Hispania 343
Holsatiæ & Slesuici ducum stirps 540. 541
Holsatiæ situs 538
Holsati ibid.
Holsatiæ comitatus in ducatum conuersio 542
Holsatiæ ducatus translatio 540
Hoienses comites 577
Hoierus comes Mansfeld. 582. eius bellum 411
Hochstet. vrbs vendita 325
Hostiæ à Iudæis confossæ 280. Iudæorũq; pœna 281
Hornbachiana schola aperta 314
Hostiuicus dux Boiem 6
Hubertus episc. Traiect. 235
Hohenzollera arx extructa 605
Hunfridus archiepisc. Magdepurg. 102
Hugo marchio Brand. 480
Hugo à Landenberg. episc. Constant. 193
Hunoldus episc. Mersepurg. 241
Hugo II. episc. Cicen. & Numb. 254

Hugo Magnus comes Parisiorum 363
Hugo capetus rex Franciæ ibid.

I.

Iacobus archiepisc. Treuir. 93
Iacobus Schonbergius 381
Iaromirus Boiem. dux 15. oculis priuatus 16
Iessius episc. Spirensis 171
Ienensis Academia introducta 449
Impietatis extremæ in patrem exemplum 545
Impudica consuetudo punita 188
Ilenpurgi comites 575
Interim 310. 458
Immodus stirpis ducum Sabaudiæ autor 361
Incendiarij hostes in fornace combusti
Infans inuentus 89
Insignia Sax. 416
Ioannes Boiem. rex 36. eius res gestæ 37. cœcus pugnat 38
Ioannes Hussus 41. 42
Ioannes comes Isenburg. episc. Treuirensis 574
Ioannes dux Bauariæ archiepisc. Magd. 119
Ioannes Albertus Marchio Brandepurg. archiepisc. Magdep. 122. 499. contra Fridericum & Diceman. 380
Ioachimus Fridericus marchio Brandep. archiepisc. Magdep. 124. 268. 496. Episc. Brandepur. & Hauelp. 267
Ioannes à Blanckenfeld 132
Ioannes Moscouiæ dux bellum Liconis indicit 135
Ioannes de Isenberg episc. Misn. 151
Ioannes Hoffman Theol. doctor episc. Misn 155
Ioannes de Gentzenstein episc. Misn. 152
Ioannes Baro de Kittlitz 154
Ioannes de Vveissenbach V. I. D. episc. Misn. 156
Ioannes de Salhausen I. D. episc. Misn. 157. eius prædictio de Tetzelij doctrina 158
Ioannes à Schleinitz in Raguitz episc. Misn. 158
Ioannes de Maltitz episcop. Misn. 159
Ioannes à Manderscheit episc. Argent. 166
Ioannes Georgius Brandeb. 496. episc. Argent. 169
Ioannes Camerarius episc. Vvormatiens. 178
Ioannes à Hernburg episc.

Lebusien. 268
Ioannes à Leiden Anabaptista 285
Ioannes ab Hoya episc. Monaster. 287. episc. Hildesheim. 210
Ioannes Vvilhelmus Iuliacensis dux episc. Monaster. 287. 547
Ioannes Bugenhagius 290
Ioannes Casimirus Rheni palatin. 315. 317
Ioannes dux Sax. Constans, bonus.
Ioannes Fridericus dux & elector. Sax. Titulum Burggrauij Magdepurgensis vsurpat 419. magnanimus 440
Ioannes Fridericus II. dux Sax. 448. obsessus 449
Ioannes Vvilhelmus Sax. dux 449
Ioannes Georgius Sax. dux 477. episc. Mersep. 254
Ioannes Magnus marchio Brandepurg. 490. Cicero germanicus ibid.
Ioachimus I. marchio & elector Brandepurg. 491
Ioannes prudens marchio Brand. 492
Ioannes Sigismund. Marchio Brandep. 505
Ioannes Georgius Marchio Brand. 508. Episc. Brandep. & Hauelb. 267
Ioannes Scotus 290
Ioannes Anhald. princeps 525. 526
Ioachimus Anhald. princeps 625. 526
Ioannes Fridericus Stetin. & Pom. dux 538
Ioannes Ernestus Stetin. & Pom. princ. ibid.
Ioachim. Ernestus Stetin. & Pom. princep. ibid.
Ioannes Theol. Henetorum & Megapol. princeps 530
Ioannes dux Megapol. eques auratus ibid.
Ioannes Albertus Megapol. dux 532
Ioannes III. Cliuiæ dux 547
Ioachimus Fridericus dux Lign. & Brigens. 560
Ioannes comes Nassouiens. 570
Ioachimus Schligkius 575
Ioachimus Andreas Schlig. ibid.
Ioannes bellicosus comes Hoiens. 577
Ioannes Hoiensis comes 578
Ioannes Baro Vvalpurg. ib.
Ioannes Vngnad Baro 580
Ioannes Georgius Mansfeldicus 583
Ioannes ab Aich Theol. D. Episc. Eichstet. 199. 133
Ioannes Hoym episc. Halber. 220

Ioannes Vvessselius 205
Ioannes Vvimerstadius 206
Ioannes Schadland Theol. D.episc.Hildesheim. 209
Ioannes Sax. de Lauenburg. dux episcop. Hildesheim. 213. 215. proscriptus ob violatam pacem 216. eius fuga 217
Ioan. de Atzel Verdens. episc. 225
Ioan. episc. Mersep. 244
Ioan. a Bosen episc. Merseburg. 251
Ioan. Vverderus episc. Mersepurg. ibid.
Ioannes de Milting. episc. Cicen. & Numb. 260
Ioan. à Schleinitz episc. Cicen. & Numb. 261
Ioan. à Schonberg. episc. Cizen. & Numb. 263
Ioachimus à Bredau episc. Brand. 266
Ioachimus dux Munsterberg. 267
Iodocus Hoiensis & Brocchusanus comes 577
Ionas dynasta & Burggrau. Donensis 606
Isenburgi comites 574
Isenacum captum 385. 394. 497
IudæiMersepurgo eiecti 120. 252
Iudæus biduum in cloaca relictus 120
Iudæi oppressi 107
Iudæi in Boiem. recepti 15
Iulius Brunsuic. dux 251. episc. Minders. 231
Iulia Academia Helmstadi fundata 522
Iulius à Pflug. Canonicus Mogunt. Decanus Misn. 263. episc. Numb. ibid.
Iulini episcopatus fundatus 535
Iuliacenses principes 543
Iuliaci ibid.
Iustitiæ exemplum 74
Iustus S. 137
Iulius Echterus Vvurcepur. episc. 185
Iutho Rex. Sax. 351
Iuthia Insula ibid.

K.

Kaufungus raptor principum 429
Kadelohus episc. Cicen. & Numb. 256
Kirchbergi comites 573
Kochersberga 170
Koten obsessa 118
Kresomilius dux Boiem. 5
Krosyna idolum 7.

L.

Ladislaus Boiem. rex 47
Lambertus à Borne episc. Bamberg. 144

Langendorffensis paræcia episcopatui Cicen. adiecta 260
Laurentij S. templum Martispurgi extructum 251
Laureacum 269
Laurentius S. episc. Patauiensis ibid.
Laureacensis episc. Patauiensi adiectus 271
Laugingianæ Scholæ fundatio 314
Laugingia vendita 325
Landgrauius 507
Laurentij S. vicaria in Misn. Ecclesia instituta 156
Lebus oppidum 106
Lebusiensis episc. 267
Leisnicium Cæsari traditum 392
Viperti arx 599
Leiningij & Vvesterburg. comites 608
Leonhardus à Layning. episc. Patau. 279
Leopoldus austriæ dux 337
Leopoldus Austriæ Marchio 337
Leopoldus Austriæ & Styriæ dux 340
Leopoldus I. Austriæ archidux gloriosus 338. 339. 340
Leopoldus II. Austriæ archidux 341
Leo episc. Ratisp. 137
Leodiensis episcopatus 236
Leodiensis episcopi infelix pugna 236
Leutenberg. ditio Schvvartzburgico comitatui adiecta 568
Lignicium vrbs 556. 559
Lignicenses duces 557
Lignicij ludus apertus 560
Lippienses comites 574
Lippia condita ibid.
Limpurgici Barones 579
Libenauiæ arx vendita 148. Mersepurg. capit. adiecta 249
Libethal arx ædificata 152
Libussa Boiemorum regina 4
Lis inter canonicos pontificios & Euangelicos Argent. 167
Liberalitas episcopi 192
Lipsia in formam vrbis redacta 370
Lipsensis cœnobij ad Sanct. Thomam fundator 372
Lipsensi Academiæ canonicatus sex donati 250
Lipsensis Academiæ fundatio 43. 249. eius cancellarius primus 250
Lichtenfels oppid. 504
Leseus Polonorum princeps 535
Liuonia in Polonorum regis fidem se confert 136. mul-

multis periculis implicata ibi. Liuones conuersi 530
Lotharius comes Supplenburg. elector Sax. 411. 585
Lotharius comes Querfurd. Holsatiæ & Slesuici dux 539
Louenburgenses duces 519
Logica à Rhetorica victa 210
Lubecensis episcopatus fundatio 287
Lubeca noua condita 540
Lubbenitz Ecclesiæ Misnicæ adiecta 147
Lucius Iter episc. Curiens. 195
Lucca obsessa 383.392
Luczensis arx ædificata 246
Ludomilla 7
Ludouicus Boiemiæ rex 56
Ludolphus archiepisc. Magdep. 105
Ludouicus pius imperator 233
Ludolphus episc. Cicen. & Numb. 259
Ludgerus S. Frisius episcop. Monast. 283
Ludouicus pacificus 306. fœdus perpetuum fecit cum filijs Philippi Palatini Rheni 307. Imperialis Cameræ præfectus 307. 308. comes Zigenheim & Niddæ 509
Ludouicus IV. Palatin. Rheni dux Bauariæ comes Simmerens. 315
Ludouicus II. imperator viuus diuidit regna inter filios elector palatin. 304. 319
Ludouicus III. elector Palatin. mansuetus 304. 320
Ludouico I. Bauaro palatinatus donatus 325
Ludouicus II. barbatus elector Palatinus 304. à filio obsessus 330
Ludouicus Gibbosus 330
Ludouicus diues Palatinus Rheni 331
Ludouicus IV. Rheni Palatinus & elector 331
Ludouicus Spurius Apitius 398
Ludouicus Romanus iunior Brandepurg. Marchio & elector 484
Ludouicus II. Saltator vel Salius 508
Ludouicus III. comes primus prouincia. Duringiæ & Hassiæ ibid.
Ludouicus IV. ferreus Duringiæ & Hassiæ Landgrau. 508
Ludouicus V. mitis Duringiæ & Hassiæ Landgrau. ibid.

Ludouicus VI. During. & Hassiæ Landgrau. ibid.
Ludouicus V. imperator 303
Ludouicus Vvirtenberg. & Teccen. dux 555
Ludouicus comes Nassou. 571
Ludouicus Oetingensis comes 576
Lunæburgensis ducat⁹ stirps & autor, eiusq; translatio 518
Lunæburgensis ditio 409
Lusatia inferior 51. 402 488
Lusatia vendita 118. 115
Lutherus Sax. dux 352
Lutheranorum persecutio 221. 222

M.

Magdepurgum 97. nomen ibid. obsessum 110. 123. 461. eius religio 121. 125. Constantia 243. eius Cathedralis templi fundatio 99. 100. priuilegijs aucta 99. eius episcopatus 96. Canonici 101. tumultus 117. bellum 118. 123
Magnus elector Sax. 410
Magnus Torquatus dux Brunouic. & Lunepurg. 520
Magnus III. princeps Megapol. 531
Malecontenti 316
Mansfeldicus comitatus 581. 582
Mansuetus S. 95
Marca 477
Marchia vnde 485. eius longitudo & latitudo 478
Martinus Lutherus 584
Marpurgensis Academ. fundatio 511
Marchiæ Misniæ fundatio 367
Marbodus Sax. rex. 351
Margreta Friderici degeneris vxor 316
Marco episc. Lubecensis 287
Marschallus 340
Martispurgensis cathedralis templi fundator 239
Martispurgenses scholastici chorales 241
Martispurgensis episc. 236
Marggrauius 418
Marquardus Habstein episc. Spirens. 175
Marianæ stellæ monasterium ædificatum
Matthias de Iagou episcop. Brandeb. 267
Matthæus Langius archiepisc. Salispurg. 127
Matthæus Cracouiensis episcop. Vvormatiensis 178
Matthias Vngariæ rex 51. 52. eius ingenuitas 53. Bellum 54. à Turcis vexatus 55. 559
Maternus 85. 161
Mauritij S. vexillum 115

Mauritius S. 98. 100
Mauritius comes Nassouij 570
Mauritius Sax. dux 454. eius bella 456. 457. 458. 460. obsedit Magde. 461. eius expeditio contra Cæsar. 463 contra Albertum Brand. 464. mors ibid. eius parentatio 465
Mauritius Landgrau. Hassiæ 517
Maximilianus martyr 269
Maximilianus I. archidux Austriæ 342. captus 343
Maximilianus II. archidux Austriæ Rom. imperator 344. Boiem. rex 57
Maximinus S. 103
Mauimi S. templum Martisburgi ædificatum 97
Melchior Zobel episc. Vvurceburg. 184
Mecklinburgensis sedes Suerini collocata 288
Meinerus Misn. Burggrau. episcop. Cicen. & Numb. 259
Meckelburgum vastatum 290
Megapolitani duces 527
Megapolitana ditio ibid.
Megapolenses ex regibus principes imperij fiunt 530
Meingotus episcop. Merseburg. 243
Meideborn pagus episcopatui Mersep. adiectus 237
Mersepurgi comites 575
Metis vrbs imperij 502
Mesicus Polorum dux 369
Metensis episcopatus 94
Metropoles septem in German. 96
Methodius 9
Lerita humana nihil ad iustificationem 120
Mirata dux Boiem. 5
Mindelheim vrbs obsessa 190
Mindensis diœcesis occupata 214
Mindensis episcopatus fundator 230
Mindensis ciuitatis proscriptio 249
Michaël Heldingus Sidonius episc. Mersep. 253
Milo archiep. Treuirensi. 90.
Misna 367. occupata 368. 392
Misnensis episcop. 154. eius regalia 154
Misnensis templi cathedralis fundatio, situs 146. confirmatio ibid.
Misnensis cœnobij S. Afræ fundatio & auctio 148
Misnensis ludi illustris fundatio 292. 456
Mistibog' Caurrimeri dux 7

Mistiuoius Obotritorum rex 481. 529
Missæ Dominicalis, Herrnmesse autor 105
Modoaltus 90
Moguntiæ conditor 57. vastata 67
Moguntinorum episcoporum series 58
Moguntinæ Academiæ fundatio 68
Moguntina synodus 62
Moguntinus archiepisc. vastatus 503
Mogelana arx ædificata 151. 152
Mogela obsessa 154
Mompelgardensis comitatus Vvirtenbergico adiectus 549
Mompelgardenses comites 548
Mompelgardica ditio oppignorata 552
Monasteriensis episc. fundatio 282
Monasteriense bellum 283
Monasteriensis schola 284
Monasterium obsessum 285
Monacum vrbs expugnata 329
Monasterium S. Ioannis 16
Monomachia 52
Monetæ maioris autor 105
Monachi stuprant vxores & filias ciuium Spirens. 174
Morauiæ regum defectus 9
Morauiæ marchionatus 20
Moringa vendita 325
Moraui baptisati 273.

N.

Narcissus 186
Nassouij 568
Neklan dux Boiem. 5
Nezamislius dux Boiem. 4
Neapolis 343
Neomagum oppidum 524
Nicolaus Ambsdorffius episcop. Numb. & Cicen. 121. 164
Nicolaus Zigenbock episc. Misn. 153
Nicolaus à Carleuitz episc. Misnensis 160
Nicolaus à Kengingen episcop. Constant. eiusq; liberalitas 192
Nicolaus à Lubeca episcop. Merseburg. 249
Nicolaus Haugbitz 390
Nicephorus Constantinopolitanus imperator 359
Nimitsch cœnobium 396
Nortalbingia 538
Norinbergensis arx cum Burggrauiatu Norinbergensibus vendita 486
Norinbergense bellum cum Alberto marchione Brandepurg. 489
Nortbertus archiepiscop. Mag-

Magdep. 104
Nossa vendita 155
Notingus 191
Northusani capti, cæsi 202. 385
Numburgensis Ecclesiæ defensor primus 258
Numburgensis Ecclesiæ collegiatæ fundatio 260.

O.

Obotriti 528
Odoacer Boiem. rex 325. proscriptus 326
Offo vel Onofrius episcop. Mersepurg. 241
Oetingenses comites 575
Oppoliensis ducatus ad Botem. adiectus 33
Orlamundensis comitatus 405
Ortrantium 258
Oschatzium 258. 396
Osnabrugensis episcopatus 227. 228
Osnabrugense templum incensum 228
Osnabrugense diffidium inter ciues & canonicos 229
Osterreich 336
Ostuali 350
Osnaprugum à Sax. amissum 356
Otho I. imperator Rom. 97. 357
Otho II. imper. Rom. 357
Otho III. imperator Rom. ibid.
Otho comes Henneberg. 561
Otho paruus dux Brunsuic. 520
Otho IV. dux Lunæp. 520
Otho Pflug 390
Otho diues Misniæ, Lusatiæ & Libanotriæ Marchio 370
Otho magnus Saxon. Angriæ & Vvestualiæ dux 357
Otho iucundus archidux Austriæ 340
Othogarus 339
Otho Bauariæ dux 327. Marchio Brandeb. 485
Othoni Vvittelsbachio palatinatus donatus 324. 301. 302
Otho Henricus Palatinus 311
Otho ab Hoya episc. Monaster. 283
Otho à Lomsdorff episcop. Patau. 277
Othogarus episc. Patauien. 270
Otho Königsmarck episc. Hauelberg. 266
Otho comes Schompurg. episc. Hildesheim. 218
Otho Constantiensis episc. 192

Otho dapifer à Vvaltpurg. episc. August. 190
Otho S. Bauarus episc. Bamberg. 141
Otho Hassiæ Landgrau. archiepisc. Magdep. 114
Otho dynasta Donensis 606.

P.

Padebornensis episcopatus 220
Padebornensis tumultus 221
Padebornensi scholæ primus rector 274
Pallium in Mersepurgens. Ecclesiam inuectum 247
Palatinatus 418. 298
Palatini comites 298. 289
Palatinatus Rheni commutationes variæ 300
Palatinatus Sax. 374. eius insigne ibid.
Papa eripit imperatori ius constituendi episcopos 177
Partus mirabilis Querfurd. 587. 588
Paussauni comites 575
Passauiensis transactionis formula 517
Paschalis comes Bragentinus episc. Curiensis 194
Patauium 269. vastatum 276. episcopatui Pataui. donatum 273
Patauiensis episcopatus 269
Paulinus S. episcop. Treuirens. 88. episcop. Ratisponen. 137
Paulus Fagius 309
Pax religioni data 467
Petrus Arragonum rex 349
Petrus Magister artium episcop. Patau. 277
Petrus S. episcopus Pataui 269
Petrus de Columna 264
Petrus Haubitius episcop. Cicen. & Numb. 261
Petrus à Schleinitz episcop. Cicen. & Numb. 262
Peyna vrbs expugnata 215. 217
Petrus à Schaumberg. episc. August. 190
Pegauiense cœnobium ad Elystrum fundatum 601
Pega 388
Petrus de Bruma archiepiscop. Magdepur. 115
Petrus Eichspad. episcopus Basil. & archiepisc. Mogunt. 66
Perfidiæ exemplum & pœna 64. 65
Philippus Nassouiæ comes 388
Philippus princeps totius Hassiæ 511. 512. 513
Philippus I. / Philippus II. / Philippus Iulius } principes Stetin. 538

Philip-

Philippus I. comes Hanau. 571
Philippus comes Hanauien. Reineccij Mincepergæq; dominus ibid.
Philippus senior comes Hanauiens. ibid.
Philippus archidux Austriæ 343
Philippus Ludouicus Palatin. Rheni 336
Philippus bellicosus comes Palatin. dux Bauariæ 311
Philippus Palatin. Rheni episcop. Dicen. & Numb. 263
Philippus Brunsuigi dux episc. Osnabrug. 230
Philippus à Flersheim episc. Spirens. 175
Picti deleti 352
Picardus à Polheim episc. Patau. 278
Pilgrinus episc. Patauiens. 274
Picardi 25
Pipinus Francorum rex 176 180
Pirna vendita 33. 151
Pirna Boiemorum regi tradita 152
Pittenga vendita
Plissenses comites
Podiebratius Boiem. rex 48. 50. eius Strategema 342. 461. 47
Poloni Lechi dicti 3
Polonus & Vngarus solicitantur ad inuadendum Boiem. regnum 52
Poloniæ reges Silesiæ principes 558
Politici honores in episcopos inuecti 172
Pomeraniæ duces 534
Pomerani ibid.
Pomeraniæ ducatus à iugo Polonico liberatus 535
Pontifex euertit concilij Basiliensis decretum 49
Poppo Henneberg. comes 561
Poppo princeps Henneberg. 564
Portensis scholæ fundatio 297. 456
Posonium captum 30
Praga 4. legibus & immunitatibus aucta 23. eius conditor 39
Pragensis archiepiscopatus 38
Pragensis Academiæ fundatio 39. stipendijs & viris doctis aucta 56
Præbendæ fundatæ in Ecclesia Vvurcensi 352
Principes electorales septem 2
Principes rapti ex arce Aldenburg. 428
Primisla' III. dux Boiem. 4

Primislaus Boiemiæ dux 29. 30
Primislaus II. Boiemiæ dux 28. 29
Priscillianus, eius dogma 87
Pyastus Poloniæ princeps 556

Q.

Quirinus episcopus Patauiens. 269
Quercus argentea 373
Querfurd. 585
Querfurdenses dynastæ ibid.

R.

Rabanus Fuldensis archiepisc. Mogunt. 58
Rabbanus episcopus Spirensis 174
Racepurgensis episcopatus 268
Ratisponensis episcopatus gubernatores 137
Rebdorff pagus episcopatui Eichstetensi donatus 198
Reginaldus episcopus Eichstetens. 196
Regius mons extructus 29
Regiomontana Academia 500
Renatus eques aurei velleris comes Nassouiensis 569
Reineccensis comitatus 571
Reinardus comes Querfurdens. episcop. Mersepurg. 243
Reinoldus à Dasseld archiepisc. Colon. 75
Reutlinga obsessa 551
Rhenanum fœdus 343
Richardus Angliæ rex 164
Richuinus episcop. Cicen. & Numb. 257
Ridepurgum castellum occupat. 114
Ridacus comes Mersepurg. 238. Marchio Misnens. 367
Riga 131
Rigenses archiepiscopatus 130
Rigensium episcoporum & archiepiscoporum series ibid.
Rigensium disceptatio inter archiepiscopos & ordinis magistros 132
Rigenses subiectionem regno Polonico & magno ducatui Lithuaniæ pollicentur 136
Rinoldus comes Bamberg. 139
Rochlitz Cæsari data 392
Roginerus Reinerus episc.

Misnen.

Misnen. 148
Rotharius episcopus Argent. 162
Rostochium 531
Rostochiensis Academia 431
Rudolphus I. Rex Boiem. dux Austriæ 34
Rudolphus II. Boiem. rex 57. 566. 345
Rudolphus à Vvedau episc. Mersepurg. 244
Rudolphus I. dux Saxon. 417
Rudolphus II. Saxon. dux 420
Rudolphus III. Sax. dux 421
Rudolphus magnanimus archidux Austriæ 340
Rudolphus Langius 284
Rudolphus Schenck de Nebra episcopus Cicen. & Numb. 260
Rudingerus episcopus Patauiens. 277
Rupertus Bergensis Padeborni antistes 279
Rupertus imperator Palatinus elector 304
Rudolphus comes Ascaniæ 524
Rupertus Iuliacensis dux 546
Rugberus Hutsmannus episc. Spiren. 173
Rugethal arx Mogelana 152
Rupertus S. 126
Rupertus comes Mansfeld. archiepisc. Magd. 107
Rudolphus à Dingelstet archiepisc. Magd. 107
Rutgerus episcop. Magdepurg. 104
Rusticus episc. 88
Rupertus archiepiscop. Colon. 78
Rugiæ ducatus ad Pomer. duces translatus 536
Rustici visio 301
Rutleitzbergium 258.

S.

Sacerdos indoctus 272
Salentinus comes Isenburg. episc. Colon. 83
Salentinus cataphractus episc. Badeborn. 223
Saleck arx & oppidum 261
Salmensis comitatus 572
Salispurgensis episcopatus 126
Saltza capta 118. 387
Sangerhusium obsessum 398
Salinæ Saxon. Vvitikindo donatæ 238. ad Mersepurgensem comitatum collatæ 238
Sanctinus episcopus Virdun. 95

Saxo-

Saxonia 350. eius vetustas ibid. olim per senatum duodecim viralem gubernata 350
Saxoniæ principes & electores imperij 349. eorum insignia 416
Saxoniæ ducum & regum series 351
Saxon. in Angliam migratio 352
Saxones Francorum tributarij 353. petunt pacem 355. fiunt rebelles 356
Saxon. & Bauaricum fœdus contra Francos 356
Saxonicum bellum cum Carolo magno 359. 360
Saxones fiunt Christiani 360
Saxoniæ electoratus 480
Schrapelauia occupata 114
Schreininga obsessa ibid.
Schonberga 260
Schirmenitz pagus 150
Schiren arx 324
Schonga vendita 325
Schlackenvverdæ dominus 575
Scopauia arx Mersepurgensi capitulo adiuncta 249
Scoti in Britanniam & Hyberniam reiecti 352
Sebastianus Hussenstenus I. D. 69
Senones 479
Segeberga arx reparata 540
Septemviralis dignitas 62 eius translatio 408
Seuerinus 70
Seuselicij comites 575
Sicilia 343
Sidonius episcopus Patau. 271
Sigefridus II. comes Leining. episcopus Vvircepurg. 173
Sifridus Colon. archiepisc. 544
Sigefridus Dornbergensis episcop. Augustanus 188
Sigismundus Marchio Brandeburg. 495. episcop. Halberstadens. 201. archiepisc. Magdepurg. 124
Sigismundus Boiemiæ rex 46
Sighardus dux Sax. & Angriu. 353
Sigefridus comes Ringelheim. episc. Hauelberg. 266. Marchio Brandeb. 480
Sigismundus à Lindenau episc. Mersepurg. 252
Sigismundus Landgrau. episc. Mersep. 247
Sigismundus Augustus dux Megapol 533
Sighardus Marchio Brandeburg. 481
Sile-

Silesij 556
Silesia Poloniæ prouincia 558. à Polonis ad Boiemos translata 559
Silesiæ principum initium 557
Silesiæ ducatus ad Boiemiam adiectus 33
Simon comes Lippiensis 574
Simon Vngnad Baro in Sonneck 581
Sixti S. templum Magdepurgi in collegiatam Ecclesiam conuersum 247
Siuersbusensis pugna 464
Slaui dicti Zechi 3
Slaui è Pomerania expulsi 535. conuersi 149
Slesuicum 539
Slesuici duces 540
Slesuicensis ducatus fit feudum Daniæ 541. 542
Smolina 258
Sobieslaus Boiemiæ dux 22
Sobieslaus II. Boiem. dux 25
Soltvvald à Druso primus Marchio 479
Solmensis comitatus 572
Sosimus 186
Soraborum Burggrauij 575
Spira 173
Spirensis episcopatus 171
Spitignæus Boiemiæ dux 9. 19
Sphynx Augustana 493
Stargardiæ ducatus ad Megapol. duces translatus 531
Stetini templum Iacobi extructum 535
Stetinenses duces 534
Stetinum 536
Stormariæ comitatus in Ducatum conuersus 542
Studgardia Vvirtembergico comitatui adiuncta 548
Strela vendita 258. 260
Stasfurtum capitulo Magdepurg. donatum 106. 118
Suatoplucus Morauiæ rex 7
Suatoplucus Boiem. dux 22
Suidegerus episcopus Bamberg. 140
Suickerus comes Eichstet. 196
Suibertus S. episcopus Verdens. 224
Suerinensis episc. 531. 290
Sueuicum fœdus 307
Suabecum venditum 325
Sueuiæ duces 345. 347
Suеui 345. conuersi 347
Sueuia vetus & noua 346. 349
Sueuorum ducum sedes 346
Sueuorum clades 400
Sueuicæ familiæ exitus 349
Suantipulcus II. Cassuborum & Henetorum princeps 535
Syndina vrbs 336

Suuinfurtum 504
Schvvartzpurgici comites 566.

T.

Teccij duces 548
Teccensis comitat⁹ ad Vvirtenbergenses translatus 548
Teschinenses principes 557
Theodoricus archiepiscop. Magdep. 114
Theodoricus Schonbergius episc. Misn. 156
Theomnestus 186
Theodoricus marchio Misn. episc. Mersep. 244
Theodoricus de Buckensdorff episcopus Cicen. & Numb. 262
Theodocus Bulou episcopus Lebusiensis & cancellarius Academiæ Francofurd ad Oderam 268
Theodorus episcopus Patauiens. 269
Thassilo Bauariæ dux 271
Theobaldus episcopus Patauiens. 276
Theodoricus Arndes episc. Lubecens. 289
Theodoricus Marchio Brandepurg. 481
Theodoricus Fortunatus Aldenburg. & Delmenhorst. comes 565
Tiffernus Vienn. Academ. professor 554
Timo de Colditz episcop. Misn. 154
Timo marchio Lansberg. & Vvetini comes 365. Misn. marchio 366
Tilo à Trotta episcop. Mersepurg 251
Traiectensis suffraganeus Colon. 232
Traiectum 232
Traiectensis diœcesis vastata 233
Traiectensis episcopatus translatio 235
Treuiri 85
Treuirensis synodus 87
Treuirensis episcopatus in archiepiscopatum mutatus 91
Treuirensis archiepiscopi VIIuiralis dignitas 91
Treuirense bellum 93. 94
Tropauienses principes 557
Tubingensis Academia fundata 549
Tucha arx capta 118
Tustá vrbs 14.

V.

Valentinus à Tetleben I. V. D. episc. Hildesheim. 218
Valentinus Musteus 205
Valerius S. 86
Valramus episcop. Cicen. & Numb.

Numb. 256
Vandalorum reges in Africa 528
Vandaliæ ducatus ad Megapol. ducatum translatus 531
Vdalricus Boiem. dux duxit rustici filiam in vxorem 16
Vdo comes Aluensleben episc. Hildes. 208
Vdo I. Duringiæ comes episc Cicen. & Numb. 257
Vdo II. episcop. Cicen. & Numb. 258
Vdo Soltvvedelens. comes 482
Vecto vel Vvichtus Sax. rex 352
Veterocella 370
Vetula contumeliosè agitata 385
Verdensis episcopatus 224
Vicariarum quatuor in Misnensi Ecclesia fundator 152
Victoris S. festum 154
Vicelinus Aldenburg. episc. 288
Vigilerus episc. Patau. 281
Vincentius à Schleinitz episc. Mersep. 252
Vipertus Groicensis comes 599. 600. 601
Vipertus iunior Groicensis comes 601. 602
Virdunensis episc. 95
Virgilius antistes Salispurgens. 272
Viuilo episc. Patau. 271
Vladislaus I. Boiem. rex 22
Vladislaus II. Boiem. dux 23
Vladislaus III. Boiem. dux 27
Vladislaus Casimiri regis Pol. dux, Boiem. rex 535
Vlasta puella 4
Vlricus S. episcop. August. 187
Vlricus comes Ilenpurg. episc. Cicen. & Numb. 159
Vlricus à Rotenfeld. episc. Numb. & Cicen. 261
Vlricus à Discheim. episc. Patau. 276
Vlricus à Nosdorf episcop. Patauiens. 280
Vlricus Megapol. dux Suerinens. episc. 291
Vlricus Daniæ regis fil. Suerin. episc. 291
Vlricus Vvirtenberg. dux 512. 550. 553
Vlricus Pom. & Stetin. dux 538
Vngari conuersi 274
Vngaricum bellum 25
Vngnadij Barones 579. 580. 581
Vratislaus I. Boiem. dux 5
Vratislaus Borsiuagij filius dux Boiemiæ 10
Vratislaus II. Boiem. dux 19

Vratislaus I. Boiem. rex 19
Vratislaus Boiem. dux 20
Vriel de Gemingen I. D. archiepisc. Mogunt. 68
Vxores humeris expositos maritos portant 323.

VV.

Vvagria sedes vetusta Henetorum 540
Vvagriæ comitatus in ducatum conuersus 542
Vvagrij 540
Vvaltherus Baro Gerolzeckius episc. Argent. 163
Vvaltherus archiepiscopus Magdepurg. 102
Vvalpurgij Barones 578
Vvaldeccij comites 572
Vvaltho episc. Salispurg 282
Vvaldericus episc. Patau. 273
Vvalterus de Kôkeritz episcop. Mersepurg. 249
Vvaldensteinium arx incensa 214
Vvalterus à Hohenslitz 198
Vvartburgum 396. 397
Vvartislaus I. Pom. dux 534
Vvartislaus IV. Pom. dux 535
Vvartislaus IX. Pom. dux 536
Vvenceslaus S. dux Boiem. II. à fratre interfectus 12
Vvenceslaus I. Boiem. rex 29
Vvencesla' II. Boiem. rex 32
Vvenceslaus III. Boiemiæ rex 34
Vvenceslaus II. Boiemiæ dux 27
Vvenceslaus Caroli IV. filius, rex Boiem. 38. idem Marchio & Elector Brandeburg. 485
Vvelphius Bauarus 188
Vvernerus comes During. episc. Mersepurg. 241
Vveissenhorni comites 573
Vvetini comites 575
Vverdenbergij comites 576
Vvechselpurg cœnobium fundatum 370
Vvelphus robustus 519
Vvelphus Brunouic. & Lunæpurg. princip. autor 519
Vverteri 608
Vvernekinus Angriæ dynasta & Rugiæ princeps 357
Vvestualiæ Coloniens. episcopatui subiecta 397
Vvesterreich 336
Vverarcharius episcop. Argent. 163
Vvezilo doctus archiepisc. Mogunt. 63
Vvigoldus episcop. August. 189
Vvichmannus comes Bauariæ episc. Numb. & Cicen. 257
Vvichindus episc. Patau. 273
Vvigpert' episc. Verden. 224

Vvido

Vvido episc. Osnabrug. 228
Vvigpertus episcopus Mersepurg. 238
Vvichmannus archiepisc. Magdepurg. 105
Vvichardus a Polnheim antistes Salispurg. 127
Vvigpertus Sax. dux 360
Vvidekindus Sax. rex 370
Vviho S. episcopus Osnabrug. 227
Vvilibaldus episcop. Eichsteten. 195
Vvilhelmus à Reichenau episc. Eichstetensis 199
Vvilhelmus dux Brunsv. 215
Vvilibrodus S. episcop. Traiectensis 233
Vvilhelmus Furstenbergij comes 576
Vvilhelmus Auraniæ princeps aurei velleris eques 569
Vvilhelmus comes Nassou. 569
Vvilhelmus Schvvartzpurgi comes 568
Vvilhelmus à Vvaldec 36
Vvilhelmus S. dux 48. Boiemiæ rex eligitur 427
Vvilligis archiepiscop. Mogunt. 61. 62
Vvillehaldus S. episcop. Bremensis 126
Vvilhelm⁹ comes à Dietsch episc. Argentin. 165
Vvilhelm⁹ comes ab Hornstein episc. Argentin. 165
Vvilhelmus Ketler episcop. Monaster. 286
Vvilhelm. Grumbach 449
Vvilhelm. victoriosus dux Brunsv. & Lunæbur. 521
Vvilhelmus Henetorum & Vandaliæ rex 530
Vvimaria obsessa 398
Vvinterus Francus episcop. Mersepurg. 241
Vvipertus episc. Misn. 147
Vvirtenbergici duces 548
Vvisericus episc. Patau. 272
Vvitikindi Svvartzburgi comes 566
Vvitigo I. episc. Misn. 151
Vvitta seu Vitichus Sax. rex 352
Vvitikindus Angriæ dux ib.
Vvitikindus Sax. rex 357. baptisatus 360
Vviteberga condita 361
Vvitikindus iunior comes Vvetini 362
Vvitikindus III. dux Andium 363
Vvitko I. de Milting. episc. Cicen. & Numb. 260
Vvitko II. episc. Cicen. & Numb. 261
Vvolffgerus episcop. Patau. 276
Vvolffgangus à Salen episc. Patau. 281

Vvoldemar' Marchio Brandeb. 401. 402
Vvoldemarus fictitius Marchio Brandeb. 484
Vvolffgangus Palatinus Biponti 312. 313
Vvolffgangus princeps Anhaldin. 527
Vvogen dux Boiem. 5
Vvolffgangus Dalburgus episcop. Mogunt. 69
Vvormatiensis episcopatus Moguntiam translatus 58
Vvormatiensis episcopatus 175. 156
Vvurcensis Ecclesia collegiata 149
Vvurtza 161. Ecclesiæ Misnensi adiecta 147
Vvurcensis arx condita 158. 159
Vvurcense bellum 443
Vvurcepurgicus episcopatus 179
Vvurcepurgicus episcopus gladium strictum prope altare habet 180. 182
Vvurcepurgica Academia Erfurdiam translata 183
Vvurcepurgicorum sepultura 182
Vvurcepurgi episcopi titulo ducis Franciæ vtuntur 184
Vvurcepurgi cæsi 185.

Z.

Zechus 3
Zollerenses comites 604
Zorbecum capitulo Magdepurg. subiectum 107
Zuencka muro cincta 246
Zuttiberus idolum 239
Zutphaniæ comitatus 546
Zutphania in potestatem Burgundiæ ducum peruenta 546
Zuuickauia Viperto data 601.

FINIS.

ERRA-

ERRATA.

F. 25. v. 8. Vladislaus.
27 16. quererentur.
31. 5. Noribergam.
51. 4. excommunicabat.
73. 13. anno C. 1003.
100. in marg. archipræsul.
104. 11. electos.
Ibid. 13. magnam.
In marg. Primas.
109. 13. arce.
130. marg. an. C. 1159.
135. 17. Quod factum est.
139. vlt. fluum.
146. in marg. 4. hunc.
150. 2. Budissinensis.
165. 19. quidam.
173. 6. mænibus.
176. 23. translatio
188. 8. Falckensteinum.
190. 10. offensis.
191. 12. 516.
195. 18. Rhetus.
199. 22. Romanam.
201. vlt. comitibus.
245. 18. anno C. 1226.
250. 11. Numpurgensem.
ibid. 21. canonicatus.
253. 10. catholicam.
255. 8. vt in electione.
296. 9. ordinis.
316. 18. volebant.
333. 14. Eistadensis.
467. 12. Landgrauij.
488. 11. Albertus.
520. 6. Lunæpurgensis.
580. v. 23. 1462.
P p 4. f. b. l. 8. sepultus Coledæ.
P p 5. f. a. l. 9. Siluershusen.
610. 4. aui.
612. 3. liberali.
619. 5. fit.
643. 15. efflagitasse.
647. 6. Et si.
652. 2. exerceant.
Ibid. 3. discedat.
669. 1. deplorauimus.
686. 7. opinionum.
688. 25. sperauimus.

LIPSIÆ,

IMPRIMEBAT MICHAEL LANTZENBERGER.

ANNO M. D. CI.

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Dresser, Matthaeus,

Matthaei Dresseri Isagoges historicae pars ...

Bd.: 4

Lipsiae 1601

Regensburg, Staatliche Bibliothek -- 999/Hist.pol.1614(4
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11096423-4